33563/C

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30413540_0002

SYNOPSIS
UNIVERSÆ
PRAXEOS MEDICÆ,
IN BINAS PARTES DIVISA.
TOMUS SECUNDUS.

42550

SYNOPSIS UNIVERSÆ PRAXEOS MEDICÆ,

IN BINAS PARTES DIVISA;

QUARUM prior omnium morborum conſpectum exhibet; altera verò rem medicamentariam, perpetuis commentariis illuſtratam, ſiſtit; cui ſubjungitur Liber DE CIBO ET POTU.

EDITIO POSTREMA,

ULTERIUS elaborata; vel cœteris tùm Gallicis, tùm Latinis, multò amplior, & accuratior.

Auctore JOS. LIEUTAUD, Archiatrorum comite & primario ſtirpis Regiæ Medico; Doctore Facultatis Medicæ Pariſienſis; Academiæ Regiæ Scientiarum, & Societatis Regiæ Londinenſis.

IMPERANTE, LUDOVICO XVI.

TOMUS SECUNDUS.



PARISIIS,

Apud P. FR. DIDOT, juniorem, Sal. Facultatis Medicinæ Pariſ. Bibliopolam.

M. DCC. LXXIV.

Cum Approbatione, & Privilegio Regis.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INDEX
CAPITUM TOMI SECUNDI.

LIBER PRIMUS
DE MEDICAMENTIS INTERNIS.

PRÆNOSCENDA, 1.

SECTIO PRIMA.

DE MEDICAMINIBUS GENERALIBUS,

Quæ in univerſam œconomiam animalem agere videntur.

Diluentia, demulcentia & obtundentia, 9
Refrigerantia & antiputrida, 20
Temperantia, 31
Febrifuga, 40
Depurantia, 51
Antiſcorbutica, 60
Diaphoretica & ſudorifica, 68
Alexiteria, 77
Aperientia, 85
Incidentia, 98
Analeptica, 109
Adſtringentia & ſtyptica, 120
Vulneraria & reſolventia, 130

SECTIO II.

DE MEDICAMENTIS,

Nonnullis partibus dicatis, vel in eas actionem ſuam exerentibus.

Emetica, 141
Laxantia & cathartica, 148
Stomachica & carminantia, 169
Vermifuga, 183
Anti-acida & abſorbentia, 191
Alvum comprimentia & anti-dyſenterica, 197
Diuretica ſub acutis, 208
in chronicis, 215
Menſes, lochia & partum moventia, 226

Hepatica, 234
Pectoralia demulcentia, 242
vulneraria & adſtringentia, 254
reſolventia & incidentia, 259
Cardiaca, 269
Anodyna & hypnotica, 276
Antiſpaſmodica, hyſterica & epileptica, 287
Cephalica & anti-paralytica, 300

LIBER SECUNDUS

DE MEDICAMENTIS EXTERNIS.

PRÆNOSCENDA, 309.

SECTIO PRIMA.

DE MEDICAMINIBUS GENERALIBUS,

Quæ ſcilicet quibuſvis partibus admoveri ſolent.

Emollientia, 321
Demulcentia, 327
Anodyna, 332
Reſolventia, diſcutientia & incidentia, 336
Maturantia & digeſtiva, 349
Vulneraria & detergentia, 354
Repellentia & adſtringentia, 360
Roborantia, 367
Exſiccantia, 373
Veſicantia & cathæretica, 378
Antiſeptica, vel antiputrida, 386

SECTIO II.

DE MEDICAMINIBUS

Quæ ad nonnullas partes pertinent; vel ipſis admoveri ſolent,

Capiti & faciei dicata, 392
Ophthalmica, 399
Errhina, 408
Auribus congrua, 414
Ore excipienda, 418
Cervicalia & thoracica, 428
Mammis imponenda, 432
Abdominalia, 436
Genitalia reſpicientia, 443
Anum ſpectantia, 450
Artubus admovenda, 464
Cuti proſpicienda, 470

LIBER TERTIUS

DE CIBO ET POTU.

PROLEGOMENA, 479.

SECTIO PRIMA.

DE VEGETABILIBUS.

Cerealia,	489	*Fructus*,	505
Olera,	495		

SECTIO II.

DE ANIMALIBUS.

Quadrupedes,	517	*Piſces*,	530
Aves,	522	*Aquatilia anomala*,	541

SECTIO III.

DE CONDIMENTIS.

Exotica,	544	*Indigena*,	547

SECTIO IV.

DE POCULENTIS.

Naturalia,	554	*Domeſtica*,	566
Fermentata,	558		

PRAXEOS

PRAXEOS MEDICÆ
PARS SECUNDA,
VEL
MATERIA MEDICA
Ab hactenùs evulgatis longè diſcrepans.

LIBER PRIMUS,
DE MEDICAMENTIS INTERNIS.

PRÆNOSCENDA.

SCIRE expedit ea duntaxàt medicamina, quæ ad ſtomachum appellunt, interna vocitari ; ut ſcilicèt diſtinguantur, non ſolùm à meris topicis cuti proſpicientibus ; ſed etiam à variis remediis quæ ore, naribus, ano, aliiſque partibus perviis excipiuntur ; quæ etiam externorum claſſem ſubeunt. Neminem latet utraque diverſas pro medentium nutu nanciſci formas, accuratiori, & tradendæ, doſium normæ ſubmittendas, ut expectatos effectus feliciùs exerant : nec à ſolertioribus poſthabetur hæc vel tralatitia

PRÆNOSCENDA.

doctrina; quàm inconſultò deſpiciunt qui ad altiora ſeſe accingere gloriantur. Ideò nonnulla de hoc argumento, quaſi per tranſennam, præhabere haud ab inſtituto alienum fore putavimus: miſſis tamen hiſce futilibus, & nauſeoſis præceptis, quæ circà elegantiorem methodum concinnandi formulas, ubique occurrunt; in hoc ſolo verſatur hæc ars, ut quæ animo concipiuntur, clarè & nitidè chartæ mandentur; ne emergant, inter præparanda remedia magiſtralia, errores ægrotantibus lugendi.

Illud præcipuè curantibus incumbit munus ut apprimè teneant naturam & vires eorum quæ in officinis mercatoriis & pharmaceuticis proſtant, ſub rerum emporeticarum & officinalium titulo recenſendæ; atque utriuſque ſortis medicamina optimæ notæ, ab adulteratis, ſpuriis, obſoletis, & corruptis, ritè diſtinguant. Ergà plantas recentes & virides uſurpari ſolitas, ad anni tempeſtatem attendere debent; ne portulacam inter hyemem præſcribentes ludibrio habeantur. Maximum inſuper occurrit diſcrimen ratione ponderis inter plantas recentes & ſiccas: quatuor v. g. unciæ radicis recentis cichorii vix poſt integram ſiccitatem ad ſemi-unciam accedunt: quatuor unciæ lapathi, eryngii, bardanæ, ſymphyti, &c. ad unciam circiter unam rediguntur: idem dicendum de foliis & floribus plantarum quæ lanci committuntur; quatuor, verbi gratiâ, unciæ florum borraginis, buglossi, papaveris rubri, violarum, nymphææ, &c. vix ad ſemi-unciam accedunt. Tractûs etiam, vel loci, ubi praxim exercent, habenda eſt ratio; ne talia præcipiendo, quibus carent officinæ; aliud pro alio ſubſtituendi ſibi arrogent licentiam ſcioli pharmacopœi: quod etiam intelligi debet de rebus exoticis, quæ planè nonnunquàm exolent, & à nemine conterraneorum in uſum medicum trahuntur. Nec minoris eſt momenti ut ipſis innoteſcant reſpectivæ ſingulorum medicaminum vires, ad illa aptè aſſocianda; ne emergat inepta formula, quæ naſutulis riſum excuteret: quod ſanè quidem hanc praxeos clinicæ partem orbiter vel perfunctoriè tractantibus ſæpiùs eveniſſe pro comperto habemus. Sed horum præcipuè intereſt, rectam inter præſcribenda remedia interna, & congruam ſingulorum doſim apprimè callere: ab eâ enim plus æquo refractâ nil abſolvi evidens eſt: ab ipsâ verò ſuprà modum auctâ maximas & lethales quandóque turbas excitari nullus fermè dubitat. Inſuper ſingulorum doſes ſolis legibus multiplici experientiâ conſtitutis ſubmittuntur: nec audiendi, quos non puduit eas methodo mathematicæ ſubjicere, ut fortè imperitorum oculos perſtringerent: quandóquidem principia, quibus ſuffulciuntur de hâc re, in medium adducta, vel pro mentis arbitrio finguntur, vel tantis accidentium involucris abſconduntur & irretiuntur, ut illis enodandis impares ſint perſpicaciores, qui illa calculo geometrico adſtringi poſſe negarunt.

Feliciùs igitur collineant qui hanc *doſium normam* ad experientiæ incudem revocant; non verò empiricorum more, ſed oculatiorum ritu, qui experimenta ratione eſſe dirigenda putarunt. Hæc reſpicit 1°. ætatem: ſi doſis v. g. ſit pro viro conſiſtentis ætatis, unciâ unâ componitur; pro adoleſcente quindecim annorum, ad drachmas ſex; pro puero octo cir-

citer annorum, ad ſemi-unciam; & ſic de aliis ætatibus, eâdem habitâ proportione. 2°. Molem corporis: proceres & obeſi majores ferunt doſes quàm graciles. 3°. Temperiem: bilioſis ſcilicèt & melancholicis noxia ſunt acria & ſtimulantia; quibus humectantia & refrigerantia tutò præſcribi poſſunt: ſecùs verò evenit in phlegmaticis, qui hæc poſtrema ægrè ferunt. 4°. Sexum: feminæ utplurimùm delicatulæ, & habitûs tenerioris, minores doſes expoſtulant. 5°. Demùm vitæ genus, conſuetudinem, idioſyncraſiam, conſtitutionem morboſam, &c. quæ ſunt totidem circumſtantiæ, quas poſthabere incautum foret. Haud tamen, ut verum fatear, ex hiſce ritè perpenſis omnia ſolvuntur dubia; quin potiùs præcipuorum remediorum doſes ægrotantium periculo ſæpiùs ſunt expiſcandæ. Tuta tamen erit hæc exploratio, ſi prudens clinicus, ubi v. g. opus eſt emetico, vel cathartico, dùm primùm ad ægrum inviſendùm accitur, ipſo ſciſcitetur utrùm facilè, vel difficilè moveatur. Nec minor adhibenda eſt cautela ergà narcotica, quæ largiori manu exhibita, necrotica evadere queunt. Idem fermè dicendum de cardiacis & cephalicis, de aperientibus & incidentibus, de abſorbentibus & adſtringentibus &c. Nil igitur impedit quominùs minori doſi primò experimentum capiatur; quam dein augere licet, animadversâ prioris inertiâ; ut ſenſim genuina & congrua innoteſcat, quam alio modo vix aſſequi licet: inſuper pro quocumque remedio imminuitur, vel augetur ingredientium quantitas, ubi ejus vim intendere vel remittere animus eſt. Illud obiter notare expedit, quòd, quantò difficiliùs inquiritur ſimplicium doſis, tantò magis arduum erit mutuam ingredientium medicamenti compoſiti invenire proportionem; quæ tamen difficultas ne quidem in mentem venit tot imperitorum, qui formulas rerum farragine turgidas conſcribere gloriantur. Hinc colligitur, ſimplicitati eſſe ſtudendum inter præcipienda remedia; cùm hæc variarum rerum luxuria ignorantiæ potiùs quàm doctrinæ ſpecimen oculatioribus præbeat: ratum enim manet, apud clariores noſtræ ætatis Medicos, quòd inter ea quæ iiſdem viribus pollent, ſimpliciora pro tutioribus ſemper habeantur: nec ipſis arrident varia officinalia quorum dotes præcipuè pendent à Pharmacopœorum, vel Chimicorum fide & ſolertiâ, de quibus nonnunquàm dubitare fas eſt. His præhabitis expedit ut ad expoſitionem variorum titulorum in hoc libro proſtantium nos conferamus; ne fortè aliquid ambigui præ ſe ferant.

PRÆNOSCENDA.

Nemo neſcit *infuſum* è vegetabilibus calidè vel frigidè maceratis ex aquâ, vino, alterove liquore congruo, citrà coctionem parari: hanc ſimpliciſſimam elaborationem ſubeunt flores, herbæ capillares, aromaticæ, antiſcorbuticæ, &c. *Ptiſana* dicitur quodvis decoctum, vel infuſum, ad potum ordinarium paratum: cæteris præſtat ſimplicior & palato minùs ingrata: notandum hâc inſcriptione etiam inſigniri nonnulla infuſa cathartica, necnon radicum & lignorum ſudorificorum decocta; quæ bis, ter, quaterve tantummodò per diem propinari ſolent. Quodnam occurrat diſcrimen inter ptiſanam & *apozema* vix definire licet; cùm utraque denomi-

PRÆNOSCENDA.

natio à medentis arbitrio planè pendeat. Ptiſana enim variis imprægnata, pro apozemate haberi valet; dùm apozema ſimplicius, ptiſanæ inſtar propinare licet. Attamen apozema, *decoctum* audit è variis vegetabilibus paratum, ſyrupo utplurimùm, vel ſaccharo edulcatum; quod mediante ovi albumine defœcare ſolent; & cui adjici queunt ſubſtantiæ animales & minerales, præparata chymica & pharmaceutica: nunc adhibetur aqua fontana; aliàs vinum, præſertim ad coquenda reſinoſa; uti guaiacum, lignum juniperi, &c. Apozematis ebullitionem, ratione denſitatis materierum, breviorem vel longiorem, leviorem vel vehementiorem, requiri, in propatulo eſt: majorem ſcilicèt expoſtulant ligna & radices; mediam folia, fructus & ſemina inodora; leviorem verò & breviorem plantæ tenues, flores, ſemina fragrantia, ipſaque aromata, quæ particulis volatilibus & fugacibus ſcatent: radices ſcilicèt haud ultrà ſemi-horam; & folia haud ultrà horæ quadrantem bulliant.

Ad apozema proximè accedit *juſculum*, vel medicamentum illud eſculentum è carne vervecinâ, vel vitulinâ, pullo, cancris fluviatilibus, viperâ, &c. aliiſque variis materiebus juxtà artem vulgatiſſimam paratum. Sed ſcire expedit quandóque fieri juſculum pro nutu medico in ollâ accuratè obturatâ; ad quod opus requiritur *diploma*, vel vas duplex, cujus exterius continet aquam; interius verò ſollicitè clauſum coquenda cum liquido recipit: ſic præcavetur ambuſtio; præſertim ubi, additis herbis ſucculentis, ne gutta quidem aquæ adjicitur: parùm aut nil diſcrepat à diplomate *balneolum*, quod inſulſo *balnei mariæ* nomine vulgò deſignatur. Juſculis quovis modo paratis commiſcere licet ſuccos ex herbis expreſſos, ut efficaciora evadant. Parùm diſcrepat *gelatina* à juſculo; cùm ſic nuncupetur ipſummet juſculum diuturniori coctione inſpiſſatum, in ſcatulas affuſum, & refrigeratione congelatum. A coquis parari ſolet gelatina cum carne variorum animalium, pedibus vitulinis, ſuillis & vervecinis; raſurâ cornu cervi, eboris, &c. Alterius eſſe naturæ has gelatinas, quæ mediante ſaccharo è variis fructibus conficiuntur; ribeſiis nempè, cydoniis, moris, &c. nemo neſcit. A gelatinis haud multùm abludit, ratione conſiſtentiæ, *cremor* qui è frumentaceis elicitur: coquuntur ſcilicèt oryza, hordeum, ſecale, avena, &c. præviâ quâdam ebullitione, per debitum tempus, vel ad crepaturam; ex aquâ vel juſculo; ut demùm ſolitâ expreſſione emergat liquor, farinaceâ prædictorum granorum ſubſtantiâ refertus, qui cremoris nomine inſignitur. His ſubjungere lubet *ſuccum plantarum*, qui v. g. elicitur è borragine, urticâ, naſturtio, portulacâ, aliiſque herbis recentibus & ſucculentis; dummodò conquaſſatæ & contuſæ notiſſimo prælo committantur. Si hâc arte paratus ſuccus aliquandiù reponatur, craſſamen fundum vaſis petit, & hâc præcipitatione defœcatur: aliàs hæc clarificatio coctione ſolvitur, vel albuminis ovi miſcellâ peragitur.

Potio latiori ſignificatione audit quodvis liquidum propinandum: ſed ſub alio conſpectu uſurpatur hoc vocabulum in noſtrâ rerum magiſtralium ſerie; quam dilucidiorem fore putavimus, ſi hic titulus duntaxàt præfige-

retur hiſce medicaminibus liquidis, quæ ad plures doſes parantur: cathartica, cardiaca, antihyſterica, &c. hâc formâ plerúmque præſcribi ſolent. Iiſdem rationibus ducti, idem remedium pro unâ tantùm doſi præceptum *hauſtûs* nomine inſignire, haud incongruum judicavimus; ut nictu oculi clariùs pateat diſcrimen quod occurrit inter utrumque modum. His proximè accedit illud medicamen parciori copiâ præbendum, quod *mixturæ* nomine venit; & paratur extemporaneâ miſcellâ, ex aquis ardentibus, tincturis ſpirituoſis, elixiriis, oleis aromaticis, ſalibus volatilibus, & id genus aliis minori doſi exhibendis. Ad mixturam rigidiori ſenſu referri poſſunt julapium, emulſio & linctus, de quibus ſupereſt ut dicamus; ſed illas potiùs ſpecies propriis nominibus ſalutare, mos invaluit: itaque *julapium* audit illud medicamen haud ingrati ſaporis, nec coloris injucundi, ex aquis præcipuè diſtillatis, infuſis vel decoctis levioribus, ſyrupo aut ſaccharo, illicò paratum, & uno hauſtu propinandum. *Emulſio* verò colore & conſiſtentiâ, lactis utplurimùm æmula, paratur è medullosâ quorumdam ſeminum & fructuum pulpâ, cum liquore ſenſim affuſo, mixta: huic uſui inſerviunt amygdalæ, & nuces piſtaceæ, nuclei pinei, ſemina frigida majora & minora, papaveris albi, carthami, &c. ipſi additur ſaccharum, ut ſuavior evadat; vel quicumque ſyrupus juxtà ſcopum medicum: ſcitur emulſionem, pro nonnullis debilibus, cum aquâ fervente parari, vel leviter coqui. Illud obiter notare expedit ſubſtantiam albicantem cujuſcumque emulſionis, à miſcellâ acidorum, tàm vegetabilium, quàm mineralium, brevi fundum petere; quæ tamen facili marte, agitato vaſe, priſtinum ſitum ſtatim recuperat. *Linctus* demùm, Arabibus *looch*, conſiſtentiâ mediâ inter ſyrupum & electuarium, pectoris affectibus plerúmque dicatur: ejus compoſitionem ingrediuntur mucilaginoſa, pinguia, ſyrupi & pulveres: cochleatim aſſumitur, & in ore aliquandiù detinetur, ut ſenſim deglutiatur, vel in ipſum immergitur fruſtum liquiritiæ identidem lambendum: ſic partes balſamicas calore exhalatas, unà cum inſpirato aëre, ad tracheam, bronchia & pulmones devehi fertur.

PRÆNOSCENDA.

Hactenùs de remediis liquidis; nunc de ſiccis & mollibus breviter agendum. Hæc ſunt pulveres, boli & opiatæ. Neminem latet ars quâ ſubſtantiæ aridæ in *pulverem*, vel minutiſſimas particulas, rediguntur: ſed haud omnibus innoteſcit quomodò materies ſucculentæ & pingues teri & aliis commiſceri patiuntur: exemplo ſit ſperma ceti, quod nonniſi ope lapillorum cancrorum, vel cujuſvis alterius materiæ abſorbentis, pulveris formam induere valet. Alia præterea occurrunt corpora, præſertim ſaccharata, quæ ægrè diſſociari queunt, niſi acceſſerit una aut altera guttula olei cujuſdam diſtillati; quod ſanè norunt artifices. Illud addere lubet, quòd nonnulli pulveres, ut diutiùs & commodiùs in officinis ſerventur, in paſtam rediguntur cum mucilagine gummi arabici, vel tragacanthi, è quâ conficiuntur trochiſci, paſtilli, &c. quæ ad pharmaceuticem pertinent. Pulvis in genere raró ultrà drachmam unam præſcribitur: doſi minimæ, unius ſcilicèt vel alterius grani, additur ſaccharum, aliuſve pulvis

PRÆNOSCENDA.

innocuus; ne ob molis exiguitatem tactum quaſi ſubterfugiat. Pulvis ingrati ſaporis pane azymo involvi ſolet: aliàs exhibetur ex aquâ, vino, juſculo, panatellâ, pulpâ pomi cocti, &c. E pulveribus, electuariis, conſervis, extractis, pulpis, ſyrupo, melle, &c. conflatur *bolus*, cujus moles avellanam haud ſuperare debet, ne ægrè deglutiatur. Id genus remedii, quod electuarii mollis conſiſtentiam æmulatur, pro unâ aut alterâ doſi, intrà ſemi-drachmam & drachmas duas continenda, duntaxàt præſcribitur. Ubi verò ex iiſdem materiebus, ſed copioſioribus major ejuſdem conſiſtentiæ exſurgit maſſa, *opiata* vocitatur; quæ ideò pro pluribus diebus præcipitur. Ab opiatâ, formâ duntaxàt & duritie differunt *pilulæ*, quæ ſunt globuli mole piſi minoris, & pondere ad ſummum ſex granorum; quorum materiam ſubminiſtrant pulveres, mel, ſyrupi, ſucci inſpiſſati, extracta, ſaponacea, gummi, reſinæ, mucilagines, &c. Eâ arte effingi debent pilulæ, ut ſibi relictæ haud liqueſcant; nec nimiùm exſiccentur & indureſcant. Pulvere liquiritiæ vel aniſi conſpergi ſolent ad præcavendam cohæſionem; vel auro & argento obducuntur, ut magis oculis blandiantur. Mercurialia, aloëtica, colocynthis, agaricus, terebinthina, aliaque ingrati ſaporis, formâ pilulari præſcribi ſolent. De elixiriis, ſyrupis, tabellis, extractis, conſervis, confectionibus, aliiſque præparationibus officinalibus, nil addimus; cùm ad chymiam & pharmaceuticem potiùs quàm ad materiam medicam pertineant.

Reliquum eſt ut nonnulla, ad horumce nauſeoſorum finem properantes, adjiciamus circà pondera & menſuras, quæ in hoc opuſculo uſurpantur. Itaque *granum* æquat pondus grani medii frumenti: *ſcrupulus* conſtat viginti quatuor granis: *drachma* continet ſcrupulos tres: *uncia* ex octo drachmis eſt conflata: *libra* demùm ex unciis ſexdecim exſurgit. Menſuræ verò manipulo & pugillo exprimi ſolent. *Manipulus* eſt illa quantitas quæ totâ manu accipitur; & ad unciam ſemiſſem circiter accedit. *Pugillus* continet quantum tribus digitis apprehenditur; vel pro quartâ parte manipuli, vel drachmâ unâ, vulgò habetur. Sed illud circà menſuras notaſſe juvat, quòd determinatam quantitatem haud ſat accuratè deſignent; ideò ad trutinam ſunt revocanda præcipua remedia; & menſuræ duntaxàt ſunt adhibendæ ergà remedia temperatiora & mitioris indolis, è quorum exceſſu vel defectu nil metuendum. Nec magis accurata eſt doſium per *guttas* determinatio; cùm ratione fluiditatis gradûs diverſa ſit liquidi quantitas in guttam confluens: ſed haud tutius foret hanc minimam doſim lanci committere. Poſtremò notiſſimos Pharmacopœorum characteres, & occulta Chymicorum ſigna, in conſcribendis formulis, brevitatis causâ, vulgò uſurpata, conſultò abjicimus: cùm omnibus ritè perpenſis, tutius viſum fuit utraque exprimere vulgatioribus litteris; ne Typographorum incuriâ plures circà doſim obrepant errores, quibus inexperti, maximo ægrotantium damno, deciperentur.

Nemo non novit de hâc re opera à ſciolis vel imperitis tradita; vel amanuenſium, typographorumque incuriâ defœdata, quæ innumeris

mendis ſcatent. Exemplo ſint variorum remediorum doſes in ipsâmet materiâ medicâ clar. Geoffroi; juxtà quam ſal martis Riverii ad grana viginti; crocum orientalem & balſamum judaicum ad drachmam ſemiſſem; tincturam ſuccini ad drachmam unam; terebinthinam ad unciam ſemiſſem; & aquam meliſſæ compoſitam ad unciam unam præſcribere licet. Quantum periculum incurrant inexercitati, qui viri celeberrimi auctoritate ducti haſce hallucinationes minime cavent, pronum eſt colligere. Nec id genus errores, ſæpiùs exitiales, declinare valet intellectus, vel perſpicaſſimus, ni à ritè obſervatis aut promulgatis hiſtoriis erudiatur; cùm ſolâ recordatione opus ſit: cur expedit ut quiſque quamdam ſeriem doſium ſibi concinnet, quam, enchiridii inſtar, diurnâ manu verſandam, altâ mente reponat. Speciminis inſtar hunc qualemcumque proceſſum tradere, & hiſce generalibus ſubnectere haud incongruum fore judicavi.

PRÆNOSCENDA.

CONSPECTUS DOSIUM

Ergà medicamina uſitatiora, quæ liquida à guttâ unâ ad unciam unam; vel ſicca à quartâ parte grani ad drachmam unam præſcribi ſolent.

Oleum caryophyllorum, & cinnamomi; *à guttâ unâ ad quatuor.* Oleum thymi & lavandulæ; atque oleum tartari per deliquium; *à guttis duabus ad ſex.* Spiritus vitrioli & ſulphuris; *à guttis duabus ad octo.* Spiritus dulcis ſalis & nitri; aquá Rabelii & oleum ſuccini; *à guttis tribus ad decem,* Spiritus viperarum & cornu cervi; æther vitriolicum, & guttæ la Motte; *à guttis quatuor ad duodecim.* Balſamum ſulphuris; ſpiritus ſuccini & ſalis ammoniaci; guttæ anglicæ; lilium Paracelſi & quinta eſſentia abſinthii; *à guttis quatuor ad quindecim.* Balſama naturalia; petroleum; oleum terebinthinæ; tinctura croci; guttæ anodynæ Sydenhami; laudanum liquidum & anodynum minerale; *à guttis ſex ad viginti.* Elixirium Stoughton; tinctura abſinthii & caryophyllorum; balſamum Commendatoris & Fioraventi; *à guttis octo ad viginti quinque.* Eſſentia antihyſterica; elixirium proprietatis & ſyrupus Glauberi; *à guttis decem ad triginta.* Spiritus juniperi; tinctura ſuccini & caſtorei; *à guttis duodecim ad drachmam ſemiſſem.* Terebinthina; eſſentia corticis citrei & ſpiritus cochleariæ; *à ſemi drachmâ ad drachmam unam.* Aqua Reginæ Hungariæ, meliſſæ compoſita, cinnamomi, imperialis & theriacalis; *à drachmâ unâ ad drachmas duas.* Acetum diſtillatum; oxymel ſcilliticum; tinctura martis tartariſata; elixirium Garuſi & ſyrupus de papavere albo; *à drachmis duabus ad ſemi unciam.* Acetum; aqua calcis; vinum emeticum & ſcilliticum; *ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam.* Hæc de liquidis; ad ſicca devenimus.

Cantharides; *à quartâ parte grani ad ſemi-granum.* Kermes minerale, (ut alterans) *à grano ſemiſſe ad granum unum.* Laudanum; *à grano ſemiſſe ad grana duo.* Ambra cineritia; moſchus, & ſal ſaturni; *à grano ſemiſſe ad grana tria.* Vitrum antimonii; tartarus emeticus; turpethum minerale,

PRÆNOSCENDA.

& pulvis algaroth ; *à grano uno ad grana quatuor.* Crocus ; camphora & kermes minerale (tanquam emeticum) ; *à granis duobus ad grana ſex.* Flores benzoini ; ſal martis Riverii ; crocus martis antimonialis, & pilulæ de cynogloſſo ; *à granis duobus ad octo.* Aloe (ceu alterans), & cinnabaris ; *à granis duobus ad decem.* Sabina, ſcilla ; gummi gutta ; elaterium ; vitrum antimonii ceratum ; trochiſci alhandal ; flores martiales ſalis ammoniaci ; ſal volatile viperæ, cornu cervi, ſuccini & anglicum ; *à granis duobus ad duodecim.* Zingiber ; cinnamomum ; caryophylli ; macis ; ipecacuanha (velut alterans) ; ſtyrax calamita ; borax ; alumen ; æthiops martialis ; globulus martialis ; æthiops mineralis fuſcus & uſtus ; *à granis quatuor ad grana quindecim.* Zedoaria ; turpethum ; fuligo ; terebinthina chia ; myrrha ; reſina guaiaci ; caſtoreum ; pulvis viperinus, & millepedum ; crocus martis ; ſal tartari ; flores, & magiſterium ſulphuris ; antimonium ; diaphoreticum minerale ; antihecticum Poterii ; aquila alba ; panacea mercurialis & pilulæ ſcilliticæ edimburgenſes ; *à granis ſex ad ſcrupulum unum.* Caſcarilla ; jalapum ; trochiſci de agarico ; aloe (ad catharſim) ; ſanguis draconis ; ſaccharum vermifugum & terra foliata tartari ; *à granis octo ad drachmam ſemiſſem.* Kinakina (ſicuti ſtomachicum) ; galanga ; acorus ; ſerpentaria virginiana ; ſuccinum ; gummi ammoniacum & tragacanthum ; benzoinum ; galbanum ; aſſa fœtida ; nitrum ; cryſtallus mineralis & tartarus vitriolatus ; *à granis decem ad drachmam ſemiſſem.* Rheum (ex alterantium claſſe) ; ipecacuanha, (ut moveat vomitum) ; pareira brava ; ſemen ſantonicum ; nux moſchata ; maſtiche ; ſal ammoniacum ; hæmatites ; cornu cervi præparatum ; pulvis temperans, è chelis cancrorum, & de guttetâ ; pilulæ balſamicæ Morton, & hydropicæ Bontii ; *à granis duodecim ad drachmam ſemiſſem.* Iris noſtras & florentina ; ariſtolochia rotunda ; arum præparatum, ſperma ceti ; acacia ; tartarus chalybeatus ; trochiſci de karabe ; pulvis de tribus & antiſpaſmodicus ; *à granis duodecim ad ſcrupulos duos.* Simarouba ; cortex Winteranus ; ſumach ; ſapo ; cremor tartari ; arcanum duplicatum ; pulvis contra vermes ; pilulæ mercuriales & angelicæ *ab ſcrupulo uno ad drachmam unam.* Rheum (tanquam catharticum) ; gentiana ; kinakina (quatenùs febrifugum), imperatoria ; angelica ; agaricus ; capita papaveris albi (coquenda) ; ſal Glauberi ; magneſia alba ; balſamum Lucatelli & trochiſci Gordonii) ; *à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

DE MEDICAMINIBUS GENERALIBUS,

quæ in univerſam œconomiam animalem agere videntur.

DILUENTIA, DEMULCENTIA ET OBTUNDENTIA.

QUID *diluentis* nomine ſit intelligendum per ſe patet: ideò futili illius vocabuli expoſitioni haud inhærebimus. Nec minùs innoteſcit latiſſimus horum uſus, tàm in acutis, quàm in chronicis. Mira ſanè præſtant diluentia ſub febribus; æſtum ſcilicèt ſanguinis morboſum temperant; ſicciora & rigidiora organa emolliunt, atque dolores à quâcumque causâ ortos compeſcunt. Prætereà cachecticis & ſcorbuticis proſunt; melancholicis opitulantur, & arthriticis ſuccurrunt. Pluris æſtimantur in morbis pectoris, atque ſub inſultibus catarrhalibus egregiè ſe gerunt. Saburram primarum viarum blandè eliminant; nec deſtituuntur virtute diureticâ, quâ humorum moleculæ ſalino-acres & tartareæ foràs per renes ablegantur. Id genus remedia vires ſuas mutuari ab *aquâ*, evidens eſt; quam ſcilicèt ſimpliciſſimam, fontanam nempè vel fluviatilem, hiſce adimplendis muniis aptiorem evadere, apud perſpicaciores in confeſſo manet; præſertim ſi ſit optimæ notæ; nempè levis, limpida & ſaporis expers. Saluberrimam deprædicant aquam, ſi citò caleſcat & refrigeretur; ſi ad coquenda legumina, ſolvendum ſaponem, vel mundanda lintea magis congrua cenſeatur. *Aqua* coctionem alimentorum juvat; humoribus fluiditatem conciliat; viſcidiores ſubſtantias diſſolvendo, obſtructiones reſerat; ac demùm excrementitias & ſalinas humorum ſordes evehit. Hoc eſt præſentiſſimum remedium, cætera longè antecellens, cujus ope pertinaciſſimi ſæpiùs domantur morbi; & citrà quod omnia alia præſidia incaſsùm adhiberentur; cùm ſit genuinum, tùm medicaminum, tùm eduliorum vehiculum. Uno verbo pluriès vidimus, ſub conſtitutionibus epidemicis, morbos graviores à ſolâ copioſæ aquæ ingurgitatione in ovo quaſi ſuffocari: quod altâ mente tenere debent, qui malo nodo fortem admovendum eſſe cuneum clamitant. Multiplici experientiâ conſtat inertia eſſe mineralia innumeros fontes inficientia, ſi ab ipsâmet aquâ ſeparentur. Haud tamen planè innoxia eſt aqua, quam plures, experientiâ ducti, averſantur: prætereà aqua frigidiſſima & inaſſueta nonnullam ſæpiùs perniciem infert ſtomacho, ob ſtuporem quem ipſi conciliare videtur. Nec innoxius eſt diuturnior aquæ calidæ potus; quæ ſcilicèt morboſam huicce viſceri laxitatem ægrè oppugnandam, nonnunquàm impertitur: aliàs compeſcendo febrium intermittentium

rigori, & promovendis ſudoribus apta. Sed ut è diverticulo in viam redeamus, ad *demulcentia* & *obtundentia* quæ hujuſce claſſis omnem fermè implent paginam, devenire licet. Neminem fugit hæc decantatiſſima eſſe ad materias ſtimulantes & vellicantes, cicurandas & intricandas: ideò fauſtè adhiberi adversùs venena corrodentia, non ſecùs ac emetica, aliave ſtimulantia incautè exhibita, quæ ſtomachum & tubum inteſtinalem ultrà modùm laceſſunt, &c. Nec minùs laudantur ad retundendum ſanguinis impetum; ad coërcendam ſpirituum ferociam; ad compeſcendum æſtum pulmonum, faucium, digeſtionis organorum, renum, &c. Latiſſimum demùm, & auſpicatiſſimum eſſe diluentium & demulcentium uſum in praxi medicâ, nemo neſcit: de utrorumque agendi modo, facili ſanè marte enucleando, nil addimus; ne vel levis emergat hypotheſeos ſuſpicio.

DEMULCENTIA.

EMPORETICA.

RADICES liquiritiæ; althææ ([1]), & nymphææ.

Folia lactucæ, borraginis, bugloſſi, cynogloſſi, pulmonariæ, braſſicæ rubræ. . . . Flores althææ, malvæ, verbaſci, nymphææ, papaveris rhœados, violæ, tuſſilaginis . . . Semina frigida majora & minora ([2]); violæ, papaveris albi, cichorii, lactucæ, lini ([3]), pſyllii. . . . Avena. Hordeum. Oryza. . . . Amygdalæ dulces ([4]), piſtaciæ nuces, pruna Damaſcena, dactyli, paſſulæ, jujubæ, caricæ. . . . Gummi Arabicum, tragacanthum. Saguſium. . . . Pullus ([5]), vitulus, agnus, teſtudo ([6]), rana ([7]). . . . Lac ([8]), ejuſque ſerum, butyrum; cremor lactis. Mel. Sperma ceti. . . . Aquæ minerales, tùm frigidæ, tùm thermales.

OFFICINALIA.

AQUÆ diſtillatæ ([9]) lactucæ, nymphææ, liliorum, papaveris rhœados, ſperniolæ, &c. Mucilago ſeminum lini, pſyllii, cydonii; gummi tragacanthi. . . . Oleum amygdalarum dulcium ([10]), lini. . . . Syrupus de althæâ, de nymphæâ. . . . Saccharum lactis. Trochiſci Gordoni.

DEMULCENTIA.

MAGISTRALIA.

AQUA PULLI, &c.

℞ PULLUM pelle denudatum, & exenteratum. Coque per duas horas in aq. q. ſ. ad libras ſex, vel octo; trajice cum expreſſione. Pulli venter repleri poteſt oryzâ, hordeo, ſeminibus frigidis, &c. Addere licet capitum papaveris albi contuſorum drachmam unam aut alteram.

℞ *Carnis vitulinæ*, ab adipe & membranis purgatæ, libras duas. Coque in aquæ libris octo, ad medietatem. Trajice per linteum madidum pro uſu.

AQUA ORYZÆ, &c.

℞ *Oryzæ* lotæ, ab unciâ unâ ad duas. Bulliat per horam & ultrà in aq. q. ſ. ad libras ſex, vel donec ſaporem, vel colorem contraxerit. Cola pro uſu. Simili proceſſu uſurpantur hordeum decorticatum, & grutum, ſive avena mundata.

℞ *Hordei integri* manipulum ſemis; bulliat tantiſper in aquâ, quâ rejectâ, novam adde ad libras decem. Coque iterùm ad tertiæ partis conſumptionem, vel ad crepaturam.

AMYGDALATUM.

℞ *Amygdalas dulces* excorticatas, numero quindecim. Contunde in mortario, ſenſim affundendo aquæ hordei libras duas. Colaturæ adde *ſacchari cryſtallini* unciam unam.

HYDRO-SACCHARUM.

℞ *Sacchari albi* uncias quatuor; diſſolve in aquæ libris duabus: à vaſe in vas pluriès transfuſa, ſervetur ad uſum. Addere licet *ſuccum limonum*, ad gratam aciditatem.

PTISANA.

℞ *Seminum lini*, in nodulo, unciam unam. Infunde calidè per quatuor horas in *aquæ hordei* libris quatuor, pro uſu.

℞ *Hordei integri*, in aquâ fervente loti, manipulum ſemis. *Radicum nymphææ* & *dentis leonis*, ana unciam unam. *Foliorum borraginis* manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Cola pro uſu.

℞ *Radicum althææ* uncias duas. *Seminum lini*, in nodulo, unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Cola pro uſu.

℞ *Radicum althææ* uncias duas. *Seminum lini*, in nodulo, unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Sub finem adde *florum althææ* & *verbaſci* ana pugillum unum. Cola ad uſum.

DEMULCENTIA.

℞ *Radicum nymphææ* & *bugloſſi* ana unciam unam. *Paſſularum exacinatarum* ſemi-unciam. *Seminum papaveris albi* contuſorum, in nodulo, drachmas ſex. Coque in *aquæ hordei* q. ſ. ad libras ſex.

HAUSTUS.

℞ *Florum malvæ* pugillum unum. Infunde calidè in *aquæ liliorum* unciis ſex. Colaturæ adde *ſyrupi violacei* unciam unam.

℞ *Aquæ liliorum* uncias tres. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. *Spermatis ceti* ſemi-drachmam. *Syrupi violacei* unciam unam. Miſce, ex arte fiat hauſtus.

POTIO.

℞ *Gummi Arabici* in pulverem redacti drachmas duas. Coque in *aquæ hordei* libris duabus. Adde *ſyrupi de althææ* uncias duas. Fiat potio pro uſu.

EMULSIO.

℞ *Seminum frigidorum majorum* drachmas duas. *Amygdalas dulces* excorticatas, numero quatuor. Contunde, ut artis eſt, in aquæ fontanæ, vel *infuſi florum malvæ*, unciis ſex. Colaturæ adde *ſyrupi violacei* unciam unam, vel *ſyrupi de papavere albo* ſemi-unciam.

℞ *Amygdalas dulces* numero quatuor. *Pineorum* enucleatorum, & *ſeminum papaveris albi*, ana drachmam unam & ſemis. Fiat ex arte emulſio cum aquæ *papaveris rhœados* unciis ſex. Adde *ſyrupi de nymphæâ* unciam unam.

℞ *Seminum lini*, vel *papaveris albi* drachmas tres. Contunde ſenſim affundendo *aquæ papaveris rhœados*, vel *decocti hordei*, uncias ſex. Colaturæ adde *ſyrupi de althæâ* unciam unam.

APOZEMA.

℞ *Radicum althææ* unciam unam. *Foliorum borraginis* manipul. unum. *Florum tuſſilaginis* pug. duos. *Jujubas* numero quatuor. *Seminum papaveris albi* contuſorum, in nodulo, ſemi-unciam. Bulliant in aq. q. ſ. ad lib. duas. Colaturæ adde *ſyrupi de nymphæâ* unciam unam & ſemis.

℞ *Hordei integri* unciam unam. *Foliorum buglοſſi* manip. unum. *Paſſulas* numero ſex. *Seminum frigidorum majorum*, in nodulo, ſemi-unciam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi violacei* unciam unam & ſemis.

JUSCULUM.

℞ *Radicum althææ* & *buglοſſi* ana ſemi-unciam. *Foliorum borraginis* & *braſſicæ rubræ* ana ſemi-manipulum. *Seminum lini* contuſorum, in nodulo, drachmas duas. Fiat ex arte juſculum cum *pullo*, aut *fruſtulo carnis vitulinæ*.

℞ *Pullum juniorem*. *Seminis papaveris albi contuſi*, in nodulo, ſemi-

unciam. *Cancros fluviatiles* numero duos. *Crura quatuor ranarum. Foliorum borraginis* manip. unum. Fiat ex arte juſculum.

DEMULCENTIA.

℞ *Pullum hordeo infarctum. Seminum frigidorum majorum* contuſorum, in nodulo, ſemi-unciam. *Cancros fluviatiles*, numero quatuor. Bulliant in aq. q. ſ. Sub finem adde *foliorum borraginis* manipulum unum.

℞ *Pullum juniorem*, & *teſtudinem* è teſtâ exemptam, reſciſſis capite, caudâ & artubus. Bulliant per quatuor horas in aquæ q. ſ. Sub finem adde *foliorum borraginis* & *cichorii* ana manipulum ſemis. Fiat juſculum.

CREMOR.

℞ *Oryzæ lotæ* cochlearia duo. *Amygdalas dulces* excorticatas, numero triginta. Contunde, & in paſtam redigantur cum *aquâ pulli*. Hanc demùm coque in ejuſdem aquæ q. ſ. per duodecim horas. Adde *ſacchari* q. ſ. cum tantillùm *cinnamomi*. Cola pro hauſtu.

℞ *Hordei mundati* uncias duas. Coque in aq q. ſ. Fervefacta abjiciatur, & nova addatur, ut bulliat igne lento per ſex horas. Colaturam iterùm coque, ad cremoris conſiſtentiam. Adde *ſacchari* ſemi-unciam.

GELATINA.

℞ *Pullos gallinaceos*, numero tres. *Carnis vitulinæ* libras duas. Coque per quatuor horas igne vehementi, in aquæ q. ſ. Colaturæ & expreſſioni adde *ſacchari* & *ſucci limonum* ana cochlearia duo. Iterùm cola, ut in crateribus concreſcat.

℞ *Avenæ excorticatæ* ſemi-libram. *Paſſularum minorum* & *raſuræ cornu cervi* ana uncias duas. Cum *femore vitulino* contuſo fiat ex arte gelatina.

COMMENTARIA.

(1.) ALTHÆA Dioſcorid. & Plinii, C. B. pin. *Guimauve*.

Ob mucilaginem quam continet hæc planta, inter demulcentia & lubricantia interna primatum ducit. Radix & flores humorum acredini occurrunt, fibras emolliunt & laxant, dolores à quâvis causâ ortos leniunt. Conducunt in morbis pectoris, qui tuſſi exaſperantur: nec minus præſtant auxilium ſub renum & veſicæ affectibus, qui dyſuriam & ſtranguriam poſt ſe trahunt. Radix recens pro quâque librâ decocti vel infuſi, à ſemi-unciâ ad unciam unam præſcribitur: ſicca verò à drachmis duabus ad tres. Flores ad unum vel alterum pugillum, ſimili modo uſurpantur. Quoad uſum externum inter emollientia & anodyna numerantur radices & folia: hinc ingrediuntur fotus, cataplaſmata & enemata, quæ hiſce viribus pollent. Nil familiarius in praxi chirurgicâ quàm decoctum althææ, vulgò *eau de guimauve*. Notiſſima eſt *mucilago* quæ è radice extrahitur; non ſecùs ac è

DEMULCENTIA.

ſeminibus lini, pſyllii & cydoniorum. *Vide* tabellæ, ſyrupus, unguentum, &c.

(2.) *Semina frigida majora*, numero quatuor, nempè melonis, cucurbitæ, citrulli, & cucumeris; fructuum ſcilicèt plantarum hortenſium cucurbitacearum, quæ inter obſonia exquiſitiora, & ſalubriora haud infimum gradum obtinent; quas ideò à congeneribus diſtinguere expedit. Prima, vulgaris C. B. pin. noſtratibus *melon*, audit; cujus fructus menſe Julio vulgatiſſimus gratiſſimum & refrigerantem cibum præbet, dummodò ſit maturum & optimæ notæ. Secunda dicitur cucurbita lagenaria flore albo, & folio molli C. B. pin. vernaculè *courge ou calebaſſe*, à coquis notiſſima inter alimenta refrigerantia & temperantia numeratur. Tertia vocitatur anguria, citrullus dicta C. B. pin. *citrouille ou paſteque*, quæ etſi cum prædictis convenit, rariùs uſurpatur ad uſum culinarem. Quarta demùm inter olera temperantia & gratiſſima recenſenda nuncupatur cucumis ſativus vulgaris C. B. pin. *concombre*; circà quem per tranſennam notare juvat fructus minores & immaturos in aceto, non ſecùs ac cappares, & fructus piperis indici, utplurimùm ſervari, & condi in vaſis cupreis, vel additis nummulis æreis, ut ope æruginis colorem viridem elegantiorem aſſequantur: quapropter hæc gratiſſima condimenta, apud noſtrates *cornichons* dicta, angue pejus fugiant, qui ſuæ ſaluti conſulunt.

Horumce ſingulorum fructuum ſemina, ut eò redeamus undè digreſſi ſumus, è cortice expurgata, inter demulcentia & refrigerantia uſitatiora jure recenſentur; dummodò haud præ vetuſtate rancorem contraxerint; ſub quo ſtatu contrarium & nocivum effectum exerunt. Nec deſtituuntur virtute anodynâ: hinc bilis & cruoris efferum motum compeſcunt, linguæque ariditati occurrunt. Ideò fauſtè uſurpantur ſub febribus ardentibus & inflammatoriis, non ſecùs ac in hæmorrhagiis, morbis pectoris, &c. Opportunè exhibentur ad æſtum renum & veſicæ, lotiumque cient. Familiariſſimè ingrediuntur emulſiones ad drachmas duas vel tres, pro hauſtu. Integra aut contuſa, à ſemi-unciâ ad drachmas ſex, nodulo includuntur pro juſculo, apozematis librâ unâ, vel ptiſanæ libris duabus. Emulſio ſimplex extùs admota ardorem lenit ambuſtionis, ophthalmiæ ſiccæ, &c. Inſuper *ſemina* lactucæ, cichorii, endiviæ & portulacæ, de quibus ſuo loco, *minora* audiunt, non ſolùm ratione exiguæ molis, ſed etiam ob debiliorem efficaciam.

(3.) *Linum* ſativum C. B. pin. *Lin.*

Semina, Noſtratibus *graine de lin*, inter demulcentia & lubricantia primatum quaſi ducunt. Egregiam opem præſtant, adversùs ſpaſmum & dolorem renum, tubi inteſtinalis, aliorumque organorum, ac ſæpiùs diureſim movent. A drachmis duabus ad ſemi-unciam, in nodulo continentur pro infuſi, ptiſanæ inſtar propinandi, libris duabus; ad drachmam verò unam vel alteram pro emulſione recipiuntur. Quoad uſum externum coquuntur hæc ſemina in clyſteribus & fotubus emollientibus. Farina uſurpatur in cataplaſmate emolliente & reſolvente. Extrahitur mucilago ſim-

plici maceratione in aquâ tepidâ, quæ non ſolùm linctus demulcentes ingreditur, ſed etiam pro cataplaſmatibus emollientibus uſurpatur. *Vide* oleum lini.

DEMULCENTIA.

(4) *Amygdalæ*, uti neminem latet, ſunt dulces vel amaræ: primarum latiſſimus eſt uſus; ubi demulcentibus opus eſt, præſertim ſub pectoris & renum affectibus, non ſecùs ac in febribus ardentibus & inflammatoriis. Ex hiſce fructibus recentibus parantur emulſiones, quæ variis morbis ab irritabilitate oriundis auxiliantur; ſed cave ne rancorem contraxerint. Lac amygdalatum magis familiare apud coquos, quàm in noſtris officinis, expreſſione educitur ex amygdalis in aquâ contuſis. A ſex ad duodecim præcipiuntur pro emulſione, quæ præter uſum internum, tanquàm topicum anodynum, uti ſuprà innui, adhibetur. *Amygdalæ amaræ* inter ſtomachica & vermifuga locum obtinent; imò & vi quâdam aperiente inſigniuntur: ſed magis reſpiciunt edulia, quàm remedia. Ex utriſque elicitur oleum, de quo infrà.

(5.) *Pullus* æquè ac caro vitulina vel agnina, quotidiè uſurpatur ad juſcula demulcentia, refrigerantia & ſedantia, quæ rarò ſimpliciſſima exhibentur; ſed his utplurimùm adjiciuntur ſemina frigida, papaveris & lini, hordeum & oryza, lactuca, cichorium, borrago, &c. Coquitur primò pullus ſeorſim per ſemi-horam; dein cum herbis, donec caro ab oſſibus ſecedat, & trajicitur juſculum cum expreſſione. Si bulliat in majori aquæ copiâ, in libris ſcilicèt octo vel decem ad tertiæ partis conſumptionem, fit quædam ptiſanæ ſpecies, quæ aqua pulli audit, & pluris habetur ſub febribus acutis & linguæ ariditate, ſub ardore interaneorum poſt aſſumpta venena, vel à quâvis aliâ causâ, ad phlogoſim internam, acutos renum & veſicæ affectus, colicam, choleram, &c. Huic addere licet ſemina frigida, oryza, hordeum, capita papaveris albi, aliaque id genus. Inſuper pullus gallinaceus per medium ſectus, cruentus & ſuo calore nativo præditus, vertici capitis nonnunquàm proſpero ſucceſſu imponitur, ſub phrenitide aliiſque cerebri affectibus.

(6.) *Teſtudo* terreſtris teſtâ, capite, caudâ & pedibus purgata, vel ipſius caro ad uncias quatuor, baſim præbet juſculi demulcentis, quod ad ferociam humorum coërcendam, & viſcerum ardores reſtinguendos plurimùm decantatur: hinc tabidis apprimè congruum cenſetur; quod ſanè lacticiniorum uſum minime excludit.

(7.) *Coxæ ranarum* à paribus duobus ad decem ingrediuntur juſcula demulcentia & refrigerantia, quæ ſæpiùs uſurpantur, ut inducias agant in morbis chronicis pectoris, renum & veſicæ; in febre hecticâ, atrophiâ, &c. *Vide* ſperniola, emplaſtrum de ranis.

(8.) *Lac* ex animali juveni, & non prægnante, præſertim virentibus herbis, eductum, pro alimento magni momenti jure habetur; quod ſcilicèt, vel mirè prodeſt, vel ſummè nocet: ideò tempeſtivè & opportunè adhibitum inter præſtantiora remedia recenſeri debet: humores enim acriores demulcet, eorumque vitiatam craſim emendat: organis nativum

DEMULCENTIA.

tonum conciliat, atque eroſionibus viſcerum ſummè prodeſt. Ideò mira præſtat, dummodò opportunè exhibeatur, in atrophiâ, in morbis pectoris, renum & veſicæ; in affectibus arthriticis & ſpaſmodicis, hæmorrhagiâ chronicâ, alvi fluxu pertinaciori, &c. Summè demùm deprædicatur ad involvenda vel obtundenda venena corroſiva, aliaſque materies laceſſentes & ſtimulantes intricandas. Cautè exhiberi debet bilioſis & melancholicis, præſertim ſi infarcta ſint viſcera; ſenibus & cachecticis, non ſecùs ac plethoricis & corpulentis: ab illo demùm abſtinere debent qui febre acutâ corripiuntur. Ventriculi etiam habenda eſt ratio, ne putreſcat, acorem contrahat, aut in coagulum abeat, eliminando ſcilicèt ſaburram illam nidulantem in ſtomacho, quam lactis uſui obeſſe nullus fermè dubitat. Lactis aceſcentia in ventriculo præcavetur ab ipſi immixto ſucco cerefolii; & variis abſorbentibus, quæ ſpicula acida infringere valent: quibus poſthabitis, impugnantur aceſcentes materies primas vias inquinantes largo aquæ ſimpliciſſimæ potu; ni conſultius viſum fuit illas emeticis vel catharticis foràs amandare.

Nemo non novit *diætam lacteam;* ſed plures latet genuinus hanc ſubminiſtrandi modus: hinc fit ut poſthabitis cautelis, vel perfunctoriè adhibitis, nil proficiant qui ad hancce diuturnam medelam ſeſe accingunt, & curandi ratio aliàs ſaluberrima vitio vertatur. Mos invaluit ut ter quaterve & ultrà per diem lac exhiberetur: panis inter prandium vel cœnam pro libito conceditur; nec vetantur, urgente fame, ova ſorbilia, &c. Ubi de ſtomachi viribus haud conſtat, à minori doſi incipiendum; nec ultrà unam vel alteram in die exhibere licet, donec ſenſim aſſuefacti ægri debitam lactis copiam ſumere queant. Exulare debet regimen lacteum, vigente quâvis febre, ſi lentam excipias. Raro conducit ſub obeſitate & cachexiâ: cautè exhibendum ſenibus, bilioſis & melancholicis: lacticinia demùm nocent his quos ferrum juvat: hæc ſunt ſaniorum clinicorum conſilia, quæ deſpicere vix citrà piaculum licet. Præcavetur lactis aceſcentia in ſtomacho, uti jam inculcavimus, corallii, lapillorum cancrorum fluviatilium, aliorumve abſorbentium uſu: ſub eodem ſcopo etiam præſcribuntur, pro quâque lactis librâ, duo vel tria aquæ calcis cochlearia, vel nonnullæ guttæ olei tartari per deliquium: ſimilem effectum edere valent rheum, cortex peruvianus, aliaque amara. Scire demùm expedit quod lac coctum, crudo difficiliùs in ſtomacho aceſcat; & faciliùs alvi profluvio medeatur. Si tamen omiſſis, inter diætam lacteam, vel incaſsùm adhibitis hiſce cautelis, ingeſtum lac aciditatem contrahat; incunctanter largâ manu propinentur diluentia; aqua nempè ſimpliciſſima, infuſum the, decoctum graminis, aliaque id genus: nec prohibentur, cæteris conſentientibus, emetico-cathartica, quæ brevi hanc colluviem eliminare valent.

Lac recèns mulctum uſurpari ſolet; vel danda opera ut calorem nativum aſſequatur balneolo: frigidum tamen ſumitur, ſi alvus ſiccior evadat; vel ampliſſimus aquæ cyathus, ſub eodem caſu, priùs hauriendus exhibetur, pluribuſque prodeſt hæc methodus; vel addi ſolent ſemel in die nonnulla grana

grana rhabarbari. Ubi econtrà alvus plus æquo ſolvitur, ferrum candens, vel laterculus ignitus, in ipſo lacte extinguitur; & hæc ferri candentis vel igniti laterculi in lacte immerſio pluriès iteratur, vel ad conſumptionem quartæ circiter partis: à nonnullis aliquantiſper coquitur cum tantillo ſalis, & calidum propinatur. Eaſdem vires obtinet lac cum cortice granatorum coctum, vel ebullitioni cum aquâ, identidem pro evaporatione renovandâ, commiſſum. Si ab ingeſto lacte gravetur ſtomachus, aqua dilutum, vel cum triplici aquæ quantitate nonnihil coctum; quod *hydrogala* audit, exhibetur; vel notiſſimâ arte, merum, aquæve immixtum ebutiratur. Saccharo edulcoratur, ſi metus ſit ne in coagulum abeat in ſtomacho. Ubi ſanguinis æſtum auget; ipſi immiſcetur decoctum hordei. Sic ad varium finem adhibentur infuſum the vel caffe, decoctum hordei, lignorum & radicum ſudorificorum, herbarum bechicarum & vulnerariarum, ſucci variarum ſtirpium, aquæ Cauterienſes, Bonenſes, Selteranæ, Spadanæ, aliæve diverſæ ſortis minerales: nonnullis demùm arridet lacti cocto addere vitellum ovi cum ſaccharo, &c. Inſuper futilia inter uſum lactis cenſeri debent cathartica, à Medicorum choro comprobata, ni ſtomachus pravis ſuccis ſcateat; plures enim meæ curæ commiſſi, lacte per biennium & ultrà victitarunt, fauſtiſſimo ſanè ſucceſſu, ne minimo ſemel excogitato carthartico; quod piaculo fermè ducebant vulgi præjudiciis obcæcati. Notare demùm expedit quod lac præcipuas vires mutuetur à pabulo: crocus enim, rubia tinctorum, caſſia, vinum, &c. ſuum colorem lacti conciliant: thymum, ſatureiam, allium, abſinthium, &c. redolet lac haſce plantas depaſcentium: hinc patet quàm facile ſit catharticorum, adſtringentium, incidentium, pectoralium, traumaticorum & antiſcorbuticorum vires lacti impertiri.

DEMULCENTIA.

Hiſce generalibus præmiſſis circà lacticinia ad uſitatiores lactis ſpecies devenire expedit. *Lac muliebre* cæteris palmam præripit, ob indolem temperatiorem, & magis naturæ humanæ analogam; ideò tabidis & phthiſicis ſummè prodeſt, ſi maturè exhibeatur; priuſquàm ſcilicèt altas egerit radices morbus. Optimum cenſetur ſi quatuor aut quinque horis à paſtu ducantur ubera: citiùs, crudum multùm de ingeſtorum indole retinet: tardiùs verò, tenue & ſubflaveſcens, quemdam fœtorem ſuburinoſum habet. Sed rarò ægris arridet utendi modus, nempè ſuctus; imò plures ab ubere abhorrent: præterea tanquàm egregium demulcens extùs admovetur lac muliebre, ſæpiúſque uſurpatur adversùs oculorum auriumque dolores. Hoc excipit *lac aſininum*, cujus familiaris eſt uſus ſub morbis pectoris, febre lentâ, ophthalmiâ, dyſuriâ, arthritide, &c. ſemel in die propinatur, vel bis, ni alvum ſolvat. Ejuſdem fermè eſt naturæ *lac equinum*, nec aliis inſtruitur viribus. De virtute *lactis caprini* ſæpiùs dubitare licet, cùm præcipuè pendeat à vario pabulo in quod incidunt capræ: ſi enim comedant quercum & lentiſcum, lac adſtringens præbent; quod alvum obſtruit: contrarium effectum præſtat, ſi tithymalo, thymeleâ, clematitide veſcantur, &c. Aliàs uberiori ſero ſcatens prædictum lac minùs adverſatur ob-

DEMULCENTIA.

ſtructionibus viſcerum; hinc magis prodeſt melancholicis, quibus quandoque pro victu ter quaterve per diem conceditur. Optimam alimoniam ſuppeditat *lac vaccinum* craſſum, pingue & butyroſum, & ideò ad diætam lacteam magis congruum. Si libra una lactis vaccini diluatur in aquæ libris tribus, emergit aqua lactea, quam pro potu ordinario, ſeri lactis inſtar præſcribere licet. Lac vaccinum præſentaneum remedium cenſetur contrà hæmorrhagiam chronicam, dyſenteriam pertinaciorem, &c. Coronidis loco addere licet, rarò in uſum medicum trahi *lac ovillum*, licèt caſeoſum magis palato arrideat: haud tamen eſt contemnendum, etiamſi, ut verum fatear, prioribus minime ſit æquiparandum. Quoad uſum externum, lac cujuſvis ſortis, & ſub quâcumque formâ, injectionis nempè, gargariſmatis, enematis, fotûs vel cataplaſmatis, egregium præbet anodynum, demulcens & emolliens; ſi veſicâ ſuillâ, parti affectæ admovendâ, tepidum excipiatur, calorem & humiditatem diutiùs ſervat.

(9.) *Aquæ diſtillatæ officinales* vulgatiſſimâ arte paratæ, haud omnes plantarum vires retinent. Particulas enim aqueas, unà cum volatilibus duntaxàt elevari credere par eſt; cur minime mirum ſi materies farinoſæ & mucilagineæ; ſi abſinthium & chamædrys, plantæ ſummâ amaritie præditæ; ſi acetoſa & pruna ſylveſtria, quorum notiſſima eſt aciditas & acerbitas; ſi liquiritiæ radix dulciſſima, &c. aquam vapidam, inſipidam & inodoram tantummodò præbeant. Scitur inſuper aquam è plantis emeticis, catharticis, adſtringentibus, &c. eductam hiſce viribus omninò orbatam deprehendi. Hinc pronum eſt conjicere, annuente BOERHAAVIO, prorsùs inutiles eſſe aquas diſtillatas, ſi excipias aromaticas, de quibus nullum eſt dubium: haud deſunt tamen qui prædictas aquas etſi inſipidas & inodoras quidpiam mixti ſenſus noſtros fugiens, retinere contendunt: ſed hanc quæſtionem dirimendam relinquimus. Inter hæc dubia nil impedit quominùs ſolito more, vehiculi inſtar reſpectu aliarum materierum, uſurpentur prædictæ aquæ, cùm haud ſanè deteriores ſint aquâ ſimplici. Inter uſitatiores tàm inodoras, quàm aromaticas recenſere licet aquas artemiſiæ, baccarum juniperi, bardanæ, betonicæ, borraginis, bugloſſi, centinodii, chelidonii, cichorii, cochleariæ; corticum aurantiorum, citrei; florum aurantiorum, ſambuci, tiliæ, feniculi, fumariæ, graminis, hyſſopi, lactucæ, lavandulæ, liliorum alborum, matricariæ, meliſſophylli, menthæ, nucum, nymphææ, papaveris rhœados, parietariæ, portulacæ, roſarum pallidarum & rubrarum, ſalviæ, ſcabioſæ, ſcordii, ſcorſoneræ, ſolani, ſperniolæ, tuſſilaginis, verbenæ. De earum viribus nil addimus, cùm has quantulaſcumque ab ipſiſmet plantis vel aliis materiebus, de quibus ſuo loco, mutuentur.

Nemo neſcit aquas elici ope veſicæ cupreæ, per alembicum ſtanno probè obductum; ſed non omnibus innoteſcit quænam ſit proportio inter aquam addendam & ipſaſmet plantas, quam per tranſennam hùc attexere haud abs re erit. Itaque plantis ſucco turgentibus, uti borragini, lactucæ, portulacæ, &c. additur ad ſingulam libram plantarum conciſarum duas aquæ

libras, è quibus libra una & ſemis educi ſolet: vel earum ſuccus recèns expreſſus ad dimidias balneolo diſtillatur. Plantæ minùs ſuccoſæ, uti betonica, carduus benedictus, chelidonium majus, cichorium, euphraſia, fumaria, plantago, ſcabioſa, ſcordium, ſcorſonera, verbena, &c. triplum aquæ expoſcunt, & dimidiam partem reddunt. Plantis odoriferis & aromaticis; artemiſiæ ſcilicèt, feniculo, hyſſopo, lavandulæ, matricariæ, meliſſæ, menthæ, &c. quadruplum aquæ effunditur, & duæ circiter aquæ partes eliciuntur. De floribus, ſeminibus, baccis, radicibus aromaticis, lignis & corticibus, nil addimus, ne falcem in meſſem pharmaceuticam immittere videamur.

DEMULCENTIA.

(10.) *Oleum amygdalarum dulcium* ex tempore exprimi debet è fructibus recentibus; ne rancorem, pectori & ſtomacho infenſiſſimum, contrahat. Nulli cedit hoc oleum ad demulcendum & leniendum: feliciſſimè uſurpatur vel per ſe, vel cuivis ſyrupo bechico ſociatum adversùs laryngis & pulmonum aſperitatem, dolores colicos ſedat, parturientibus & præſertim puerperis opitulatur, urinæ difficultati medetur: tormina demùm infantum vel recèns natorum mirè compeſcit: ſed cave crebriorem, uti mos eſt apud mulierculas, uſum; ne ſenſim debilitetur horum ventriculus, & hinc varii oriantur morbi obſcuræ indolis. Doſis à drachmis duabus ad unciam unam. Nauſeabundis vomitum ciet, imprimis ſi propinetur ad uncias duas cum aquâ tepidâ. Alvum ſolvit, ſi præſcribatur ab unciis duabus ad tres in juſculo. Mannæ plerúmque ſociatur minori doſi, & ex hoc connubio emergit laxans præſtantiſſimum, ſævientibus imi ventris doloribus, qui etiam inflammationem comitem habent, tutò exhibendum. Quoad uſum externum ingreditur hoc oleum enemata demulcentia & lubricantia, tàm pro emolliendis induratis fæcibus, quàm ad leniendos & mitigandos dolores. Inſuper ex illo parantur linimenta, injectiones, &c. Notiſſimum eſt illud magma, reliquum ab expreſſione olei, quod vulgò audit *pâte d'amande*; ad deterſionem manuum & cutis lævigationem, quovis ſapone præſtantius.

Refrigerantia et antiputrida.

REFRIGERANTIA ET ANTIPUTRIDA.

Hisce titulis inſigniuntur hæc medicamina, quæ humorum æſtum temperare, horum acredinem emendare, efferum motum compeſcere, diſſolutionem & alkaleſcentiam præcavere valent: quibus addere licet vim quam exerunt in nervos; quos ſub ſingulis affectibus à calore oriundis ſuum ſymbolum conferre haud falsò ſuſpicantur oculatiores. Sed hiſce agendi rationibus, quæ ſanè hypotheſim ſapiunt, haud diutiùs immorabimur, ut ad magis ſeria nos convertamus: ad examen ſcilicèt illorum remediorum, quæ commentitiæ humorum putredini adverſari dicuntur, & *antiſepticorum* nomine, noſtrâ ætate celebratiſſimo ſuperbiunt. Nùm hæc humorum dyſcraſia, quæ nonnullas febres concomitatur, ſit mera, ut inquiunt, putredo, variis ducti rationibus alibi dubitavimus. Nec dilucidiùs patet quomodo illam putatitiam corruptelam arceant tot antiſeptica, quæ poſt varia experimenta in medium adduxit exercitatiſſimus Pringle, vir ſanè in intricatioribus perſcrutandis nulli ſecundus, & de cujus fide & ſolertiâ nullus eſt ambigendi locus. Sed viderint Medico-Phyſici nullis præjudiciis obcæcati, an materies amaræ, vel aromaticæ, non secùs ac ſalia volatilia, quæ ſubſtantiarum quieſcentium & extinctarum, circà quas verſantur experimenta, corruptelam arcere valeant; eumdem effectum exerere queant ergà humores indeſinenti motu raptos & vitæ participes. Inſuper inquirere licet, nùm hæc remedia cujuſvis ſint efficaciæ, quæ multiplicem ſubeunt elaborationem in digeſtionum organis, priuſquàm ad ſanguinem appellant, integras vires ſervent. Ideò has ſubſtantias amaras, aromaticas & volatiles, quas poſt aſſertum laudati Authoris, tanquàm putredini adverſantes intùs exhibent nonnulli, ex antiputridorum albo expungimus; donec ad ulterius examen revocentur, vel obſervatione medicâ comprobentur. Acida vegetabilia & mineralia, etſi varias in ſtomacho & inteſtinis elaborationes patiuntur, hâc virtute pollere apud omnes practicos in confeſſo manet: hinc fauſto ſanè ſucceſſu quotidiè exhibentur adversùs humorum alkaleſcentiam, quæ fortè ad quamdam putredinem, variarum febrium ſobolem, vergit. Prætereà bilis efferveſcentiam mirè compeſcunt, vomitum arcent, diarrhœæ & dyſenteriæ opitulantur, choleram ſopiunt, colicum dolorem ſedant, &c. Proſunt demùm helluonibus & bibacibus; ſed noxam plerúmque inferunt melancholicis, tabidis & tuſſiculoſis.

REFRIGERANTIA.

EMPORETICA.

RADICES graminis, fragariæ ([1]), acetoſæ ([2]), lapathi, cichorii, dentis leonis, ſymphyti, urticæ & nymphææ.

Folia lactucæ ([3]), endiviæ, cichorii, taraxaci, borraginis, portulacæ, acetoſæ & oxytriphylli ([4])…. Flores violarum & nymphææ…. Semina frigida majora & minora, acetoſæ, urticæ, agni caſti, oryza, hordeum, grutum…. Fructus berberis ([5]), fragariæ, alkekengi, cynorrhodontis ([6]). Ribeſia ([7]), pomum renetium ([8]), tamarindi…. Succus limonum ([9]) & citreorum ([10]), aurantiorum, malorum granatorum, omphacium ([11]), acetum ([12]), cereviſia ([13])…. Gummi arabicum, tragacanthum…. Pullus, vitulus, agnus, teſtudo, rana, limax…. Lac, ſerum lactis…. Aqua communis, aquæ minerales frigidæ ([14]), præſertim Vallenſes ([15]), Reginenſes ([16]), Monferinenſes ([17]), Meinenſes & Veſullenſes ([18])…. Nitrum, camphora.

OFFICINALIA.

AQUA lactucæ, nymphææ, liliorum & borraginis…. Syrupus de limonibus ([19]), ribeſiorum ([20]), berberis ([21]), granatorum, de nymphæâ, violaceus, myrtinus compoſitus…. Gelatina ribeſiorum, conſerva violarum…. Pulvis temperans…. Spiritus ſulphuris ([22]), vitrioli ([23]), dulcis nitri ([24]), & ſalis ([25])…. Cryſtallus mineralis, tartarus vitriolatus, cremor tartari.

MAGISTRALIA.

AQUA ACIDULA.

℞ SUCCI *limonis* (vel *aceti*) unciam unam; dilue in aquæ libris duabus. Addere licet *ſacchari* ſemi-unciam; pro potu ordinario, ad febres putridas, & affines.

℞ Aquæ communis, vel aquæ oryzæ, libras duas; *ſpiritûs vitrioli* vel *ſulphuris* guttas viginti, vel ad gratam aciditatem.

AQUA NITRATA.

℞ *Nitri purificati*, vel *cryſtalli mineralis*, drachmas duas. Diſſolve in *aquæ* fontanæ, vel *aquæ graminis* libris ſex.

PTISANA.

Refrigerantia.

℞ *Hordei* integri ſordibus expurgati unciam unam. *Radicis graminis* vel *cichorei* manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Sub finem adde *liquiritiæ* raſæ & minutim ſectæ ſemi-unciam. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Avenæ* lotæ uncias duas. *Radicum cichorii* unciam unam. Coque in aquæ fontanæ q. ſ. ad libras ſex. Colaturæ adde *cryſtalli mineralis* drachmas duas. Vel adde ſingulis cyathis *cremoris tartari*, à granis decem ad drachmam ſemiſſem.

℞ *Radicum conſolidæ majoris* uncias duas. Bulliant per horæ quadrantem in *aquæ oryzæ* q. ſ. ad libras duas. Cola pro uſu.

℞ *Radicum graminis* contuſorum manipulum unum. *Radicum dentis leonis* & *nymphææ* ana unciam unam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Colaturæ adde *nitri* purificati drachmas duas.

℞ *Radicum lapathi acuti* uncias tres. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Infunde *liquiritiæ* contuſæ ſemi-unciam.

℞ *Radicum nymphææ* & *fragariæ* ana unciam unam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Sub finem adde *radicum althææ* & *liquiritiæ*, ana ſemi-unciam. In colaturâ diſſolve *nitri* purificati drachmam unam.

℞ *Radicum fragariæ* & *acetoſæ* ana unciam unam. *Fructuum cynorrhodon* contuſorum in nodulo, paria viginti. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ portulacæ* uncias ſex. *Syrupi limonum* unciam unam. *Spiritus ſulphuris* vel *vitrioli* guttas ſex, vel ad gratam aciditatem. Pro hauſtu.

℞ *Aquæ cichorii* uncias ſex. *Syrupi berberis* drachmas ſex. *Salis prunellæ* ſemi-drachmam. Miſce, fiat julepus.

℞ *Aquæ lactucæ* uncias ſex. *Syrupi granatorum* vel *violarum*, unciam unam. *Cryſtalli mineralis* ſcrupulum unum. Miſce pro hauſtu.

LOOCH.

℞ *Syrupi de althæâ* unciam unam. *Olei amygdalarum dulcium* drachmas ſex. *Aquæ cinnamomi* drachmam unam. *Camphoræ* grana quatuor. Miſce ex arte. Fiat linctus cochleatim ſumendus.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* uncias duas. *Camphoræ* grana ſex; *nitri purificati* grana decem. Miſce, fiat looch cochleatim exhibendum.

EMULSIO.

℞ *Seminum frigidorum majorum* drachmas tres. *Amygdalas dulces* numero quatuor. Terantur in mortario, ſenſim affundendo *aquæ liliorum* uncias ſex. In colaturâ dilue *ſyrupi limonum* unciam unam.

℞ *Seminum frigidorum majorum* & *papaveris albi* ana drachmas duas. Contunde ſenſim affundendo *decocti radicum nymphææ* uncias duodecim. Colaturæ adde *ſyrupi de althæâ* unciam unam & ſemis. *Nitri* purificati ſemi-drachmam. Fiat emulſio pro duplici doſi. REFRIGERANTIA.

℞ *Seminum melonum* drachmas ſex. *Seminis papaveris albi* drachmas duas. *Amygdalarum* excorticatarum numero duodecim. Contunde in *decocti oryzæ* vel *hordei* libris duabus. Colaturæ adde *ſyrupi de nymphæâ* uncias duas vel *ſacchari* unciam unam. Fiat emulſio per vices propinanda.

APOZEMA.

℞ *Radicum acetoſæ* & *cichorii* ana ſemi-unciam. *Foliorum eorumdem* ana manipulum ſemiſſem; *ſeminum frigidorum majorum* unciam unam. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi violarum* uncias duas. *Salis prunellæ* ſcrupulos duos.

℞ *Radicum recentium lapathi acuti* & *fragariæ* ana ſemi-unciam. *Foliorum lactucæ* & *endiviæ* ana manipulum ſemiſſem. *Seminum melonum* contuſorum, in nodulo, ſemi-unciam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi limonum* unciam unam & ſemis, vel *ſpiritum ſulphuris* ad gratam aciditatem.

℞ *Hordei mundati* manipulum unum. *Paſſularum minorum* uncias duas. *Cremoris tartari* drachmas duas. Coque in aquæ libras quatuor ad crepaturam.

℞ *Radicum nymphææ* & *althææ* ana unciam unam. *Seminum frigidorum majorum* in nodulo unciam unam. *Foliorum lactucæ* & *borraginis* ana manipulum unum. *Poma renetia* in fruſtula ſecta, numero duo. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *florum violarum* pugillos duos. Colaturæ adde *ſyrupi berberis* uncias duas. Fiat apozema.

℞ *Radicum graminis* & *dentis leonis* ana ſemi-unciam. *Foliorum acetoſæ* manipulum unum. *Seminum frigidorum* contuſorum in nodulo, drachmas ſex. *Cremoris tartari* drachmam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi ribeſiorum* unciam unam & ſemis.

℞ *Radicum acetoſæ* & *taraxaci* ana unciam unam. *Foliorum oxytriphylli* & *endiviæ* ana manipulum unum. *Fructus kynorrhodon* contuſos, in nodulo, paria decem. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde cuique doſi *ſyrupi granatorum* drachmas duas.

JUSCULUM.

℞ *Pulli* junioris pelle denudati & exenterati, cujus venter replebitur *hordei* integri manipulo uno, & *ſeminum frigidorum majorum* ſemi-unciâ. Coque & deſpuma in aquæ q. ſ. per tres horas. Poſteà adde *foliorum cichorii* & *lactucæ* ana manipulum ſemiſſem. Bulliant per horæ dimidium. Addere licet, ſi ſtomachus debilis ſit, tantillum *cinnamomi* circà finem.

℞ *Carnis vitulinæ* vel *agninæ* libram unam. *Seminum frigidorum majorum* in nodulo, ſemi-unciam. *Foliorum borraginis* & *cichorii* ana manipulum

unum. Fiat ex arte juſculum. Cui addere licet *ſucci limonum* unciam unam vel *ſpiritûs ſulphuris* guttas ſex.

REFRIGERANTIA.

℞ *Pullum* exenteratum. *Seminum frigidorum majorum* contuſorum, in nodulo ſemi-unciam. Coque & deſpuma per duas horas in aquæ q. ſ. Dein adde *cancros fluviatiles* ad rubedinem in aquâ fervente extinctos & contuſos, numero quatuor. Ollâ optimè clausâ, bulliant per horam. Sub finem adde *foliorum borraginis* manipulum unum. Cola & exprime.

℞ *Teſtudinem* è teſtâ liberam, amputatis capite, caudâ & pedibus. Aliquandiù infunde in aquâ ut mucus abſtergatur. Demùm in fruſtula diſſecta, bulliat per quatuor horas in aquæ q. ſ. & deſpuma. Sub finem adde *foliorum cichorii* manipulum unum. *Foliorum cereſolii* pug. unum. Cola & fortiter exprime.

GELATINA.

℞ *Succi ribeſiorum* ovi albumine clarificati, & *ſacchari albi* ana libram unam. Coque ex arte ad gelatinæ conſiſtentiam.

COMMENTARIA.

(1.) **F**RAGARIA vulgaris C. B. pin. (*Fraiſier*).

Præter vim refrigerantem quâ gaudet hujuſce plantæ radix; aperientium, tonicorum & vulnerariorum claſſem ſubit; ideò familiaris eſt uſus in cachexiâ, ictero & hydrope, à vitiatâ bile; vel à vino, aquiſve ardentibus ortum trahentibus. Prætereà conducit ſub alvi profluvio; hæmorrhagiam arcet; atque ulceribus internis, vel ipſius pulmonis, haud exiguam opem fert. Sicca præſcribitur à drachmis duabus ad tres pro quâque librâ decocti: recens verò ad unciam unam. Planta integra in vino ad putrilaginem cocta, & cataplâſmatis inſtar, regioni pubis admota pollutionibus nocturnis occurrit.

(2.) *Acetoſa* rotundifolia hortenſis C. B. pin. (*Oſeille franche*).
Acetoſa pratenſis C. B. pin. (*Oſeille ordinaire*).
Acetoſa arvenſis lanceolata C. B. pin. (*Oſeille ſauvage*).

Folia harum plantarum, quæ indiſcriminatim in uſum medicum veniunt, ſummâ aciditate donantur: radicibus verò ineſt quædam amarities cum levi adſtrictione. Folia frequentiùs quàm radices tanquàm refrigerantia & antiputrida uſurpantur; nimirùm ad demulcendam acriorem & ſtimulantem bilem, ad infrigendum ſanguinis impetum, atque ad compeſcendum æſtum febrilem & ſedandam ſitim. Hæmorrhagiis inſuper, non ſecùs ac diarrhœæ & dyſenteriæ occurrunt. Nonnullius ſunt efficaciæ contrà oris fœtorem. Scorbuticis proſunt, præſertim ſi ſocientur cum naſturtio & cochleariâ,

cochleariâ. Folia ad manipulum unum; & radix recens ad unciam unam præſcribuntur pro juſculo, & quâque apozematis librâ: ſuccus cochleatim exhibetur: ſemina verò, quæ iiſdem viribus pollent, ad doſim unius vel alterius drachmæ, emulſiones ingrediuntur: de ſyrupo acetoſæ nil addimus, cùm ab uſu fermè receſſit. Illud per rranſennam notare licet ptiſanam è radice ſiccâ paratam vini colorem præ ſe ferre, quo nonnulli decipiuntur ægri. E foliis ſub cineribus coctis conficitur cataplaſma reſolvens & maturans; egregium ſanè topicum adversùs recentes tumores cyſticos.

REFRIGERANTIA.

(3.) *Lactuca* ſativa, C. B. pin. (*laitue ordinaire*).
. . . . capitata, C. B. pin. (*la pommée*).
. . . . romana longa dulcis, J. B. (*la romaine*).

In uſum medicum & culinarem veniunt prædictæ ſpecies, quæ inter refrigerantia & anodyna tutiora recenſentur; nec vi emolliente & laxante deſtituuntur. Modus adhibendi & doſis uti ſuprà. Ex aquâ diſtillatâ parantur julapia refrigerantia & ſedantia. Semina verò ejuſdem efficaciæ ad drachmas duas vel tres ingrediuntur varias emulſiones, & multis efferuntur laudibus in ſtranguriâ: illud ſilentio premere minime debemus quòd nonnulli Authores, GALENI authoritate freti, ſuccum hujuſce oleris, haud minùs noxium eſſe cicutâ & papavere aſſerere haud dubitarint, quòd experientiæ minime conſonum pro comperto habemus.

(4.) *Oxytriphyllum*, Tragi. Oxys flore albo, Inſt. r. herb. Oxys ſive trifolium acidum, J. B. Acetoſella ſive alleluya officinarum, Brunf. (*Pain à coucou*).

Sapore & viribus ad acetoſam proximè accedit: ideò pro refrigerante & antiputridâ habetur hæc planta. Antiſcorbuticorum etiam claſſem ſubit, nec ipſi denegatur vis diuretica. Crebri eſt uſûs in febribus ardentibus & bilioſis; imò & malignis; ad ſitim reſtinguendam, humorum æſtum mitigandum, horumque dyſcraſiam alkalinam præcavendam, vel corrigendam. Folia ad manipulum unum pro juſculo vel librâ apozematis adhibentur. Succus cochleatim præſcribitur, vel extrinſecùs, collutionis inſtar, adhibetur ad oris aphthas mundandas; folia manſa eumdem effectum præſtare ſolent.

(5.) *Berberis* dumetorum, C. B. pin. Spina acida vel oxyacantha, Dod. (*Epine vinette*).

Fructus hujuſce fruticis, quibus ineſt ſapor acidoauſterus, refrigerantium, antiputridorum & adſtringentium claſſem ſubeunt. Præter uſus jam indicatos, languentem appetitum recreant; alvi fluxum ſiſtunt, & hæmorrhagiis medentur. Succum à ſemi-unciâ ad unciam unam propinare mos eſt. Hoc eluuntur fauces phlogoſi correptæ, & gingivæ ſcorbuticorum putreſcentes. Fructus verò exſiccati, in decocto, à drachmis duabus ad ſemi-unciam præſcribi ſolent: ſed familiarior eſt uſus ſyrupi de quo infrà.

(6.) *Cynorrhodos*, ſeu roſa canina, Thal. Roſa ſylveſtris vulgaris flore odorato incarnato. Inſtitut. rei herb. (*Eglantier* ou *Gratecul*).

Fructus hujuſce fruticis, ſaporis acido-auſteri, præter vim refrigeran-

Refrigerantia.

tem, ſtomachum roborant, & alvum comprimunt: diureſim prætereà movent; etiam in inſultu nephritico; non ſecùs ac in hydrope. Horum recentium à ſeminibus & pilis mundatorum doſis à ſemi unciâ ad unciam unam pro quâque librâ decocti. Sicci verò haud ultrà drachmam unam vel alteram præſcribuntur. E pulpâ paratur conſerva, quæ in uſum familiarem cedit à drachmâ unâ ad duas. E ramis prædicti fruticis exſurgunt ſpongiolæ, *Bedegar* à Pharmacopolis nuncupatæ, & vi adſtringente præditæ, quorum pulvis ad bronchocelem à nonnullis intùs uſurpantur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam; & ad duplum in infuſo.

(7.) *Ribes officinarum.* Groſſularia multiplici acino, ſive non ſpinoſa hortenſis rubra, vel Ribes, C. B. pin. (*Groſelier rouge*).

Groſſularia non ſpinoſa fructu nigro majore, Inſt. rei herb. Ribes nigrum vulgò dictum folio olente, J. B. (*Caſſis*).

Ribeſia, vel fructus primæ ſpeciei pro refrigerantibus & adſtringentibus habentur: hinc ſitim ſedant; effervеſcentem bilem temperant; laxiorem ſtomachum reſtituunt; medentur alvi profluvio & hæmorrhagiis. Succus ad ſemi-unciam in aquâ dilutus præcipitur; vel gelatina domeſtica & vulgatiſſima uſurpatur. Inſuper proſtat in officinis ſyrupus, de quo infrà.

Secundæ ſpeciei folia ſuavè olentia, minime ad hancce claſſem pertinent: quin potiùs referuntur ad roborantia, ſtomachica & diuretica. Infundenda præſcribuntur recentia ad manipulum unum pro quâque librâ aquæ vel vini: ſicca verò à drachmis duabus ad tres: ſed raro in uſum veniunt. E fructibus etſi ingrati ſaporis, paratur quædam tinctura, quæ nonnulli, inſtar *Ratafia*, ſorbillant inter pocula.

(8.) *Malum* vel *pomum renetium* (*Pomme renette*) tanquàm refrigerans, demulcens, & pectorale coquitur ad ptiſanam, quæ ſuas laudes meretur adversùs ſitim, faucium aſperitatem & tuſſim. E pomis coctis in aquâ roſarum, plantaginis, vel euphraſiæ conficitur cataplaſma, quod deprædicatur in ophthalmiâ, dolore & phlogoſi ſtipatâ. Poma putrida, vel ſub cineribus cocta ſimili modo adhibentur; nec minoris ſunt efficaciæ. Inſuper è pomis alterius ſpeciei contuſis & prelo ſubjectis ſuccus exprimitur; qui fermentatus & probè defæcatus, pomaceum (*le cidre*) audit; & ad vinum uti nemo neſcit, ſapore & ſalubritate proximè accedit.

(9.) *Limon* vulgaris, Ferrar. Heſperid. Inſt. rei herb. (*Limonier*).

Cortex aromaticus limonis, (vulgò *limon*), inter tonica, ſtomachica & alexiteria haud infimum locum obtinet. Succus ejuſdem fructûs ratione aciditatis, pro refrigerante & antiputrido exquiſitiſſimo habetur; qui aliàs vires refocillat & diureſim movet, etiam in paroxyſmo nephritico. Ad ſcorbutum præcavendum vel curandum præſtantiſſimum eſſe ſat apertè probatur à navigantibus, qui tandiù ab hoc morbo immunes evadunt, quandiù ipſis haud deficiunt limones. Vermes prætereà enecat prædictus ſuccus; vomitum coërcet; alvi fluxum ſiſtit, & ipſimet choleræ egregiè auxiliatur. Crebri eſt usûs in febribus ardentibus, bilioſis, putridis, malignis, &c. à drachmis duabus ad ſemi-unciam commiſcetur aquæ, vel

potûs ordinarii cuique libræ ; aut additur medicaminibus , vel catharticis, eâdem proportione. Ex hocce ſucco unciam unam pro quâque librâ aquæ paratur cum ſaccharo hic potus ſuaviſſimus , (*limonade* dictus). Proſtat demùm in officinis ſyrupus de quo infrà. Illud notare expedit quòd à ſucco limonum abſtinere debeant , qui opio vel antimonio utuntur ; eò quod præpedit ſolitum narcoticorum effectum ; & vim emeticam antimonio impertiri valet. Nocet prætereà tuſſientibus , non ſecùs ac iis qui ulceribus renum & veſicæ afficiuntur. REFRIGERANTIA.

(10.) *Citreum* vulgare , Inſt. rei herb. (*Citronier*).

Limoni congener eſt malum citreum , (vulgò *citron*) ; & in eumdem uſum cedit. Utriuſque ſuccus indiſcriminatim uſurpatur : ſed cortex citri præfertur cortici limonum & aurantiorum ad ſpaſmum compeſcendum & flatus diſcutiendos : ideò maximè commendatur in affectu hyſterico , cordis palpitatione , vertigine , cardialgiâ , &c. Siccus in decocto vel infuſo à ſemi-unciâ ad drachmam unam & ſemiſſem præſcribitur ; recens verò ad duplum & ultrà : vel exhibetur pulvis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. E prædicto cortice , diſtillatione , elicitur aqua , quæ latiſſimi eſt usûs. Putredinem demùm oris arcet prædictus cortex , & ideò ingreditur varia gargariſmata antiſcorbutica.

(11.) *Omphacium* , (vulgò *verjus*) eſt ſuccus acido-ſtypticus , ex uvis immaturis expreſſus , qui jure refrigerantium & antiſepticorum claſſem ſubit. Ideò ad ſitim ſedandam , bilis & ſanguinis motum compeſcendum ſummè proficuum eſſe nullus fermè ambigendi locus. In aquæ libris duabus diluitur ad unciam circiter unam , pro potu ordinario. Sed vix in uſum venit ; niſi pro coſmetico quandóque à nonnullis uſurpetur.

(12.) *Acetum* è vino , novâ fermentatione degenere , oriri perſpicuum fit : ſimili modo aceſcunt pomaceum , cereviſia , &c. Experientiâ etiam notum manet ſyrupos , liquida farinacea , juſcula , lac , &c. haud levem aciditatem contrahere. Sed ſolum acetum vinoſum , legitimum & non adulteratum , in uſum medicum trahitur , tanquàm refrigerans & antiſepticum præſtantiſſimum , quod ſanguinis & humorum ferociam coërcere valet ; ſitim ſedare ; urinæ ſecretioni favere , alvum ſiſtere , non ſecùs ac hæmorrhagias & ſudores. In febribus malignis & putridis opportunè exhibitum , haud exiguas laudes meretur. Morbos prætereà epidemicos & ipſammet peſtem avertit , juxtà proprium *Sylvii Deleboe* experimentum & aliorum , ſi quotidiè propinetur à ſemi-unciâ ad unciam unam. Norunt litterati quòd romani milites hoc prophylactico adversùs morbos caſtrenſes , proſpero ſucceſſu utebantur ; ſed exolevit , neſcio quo fato , præclarum illud εὐπόριστον ; quidquid de ejus viribus in medium adduxerit celeberrimus BOERHAAVIUS. Prætereà acetum obeſis confert : ſed in omnibus morbis pectoris , qui tuſſi exaſperantur , exulare debet. Præſcribitur tùm per ſe , tùm aquæ immixtum vel melli ſociatum à ſemi-unciâ ad unciam unam. Paratur *oxycratum* , quod præſcribi ſolet pro potu ordinario ſub febribus malignis , ſi immiſceatur acetum cum aquâ communi ; eâ proportione , ut ſit aceti

ſemi-uncia pro quâque librâ aquæ. Haud alias vires obtinet acetum diſtillatum, quod tamen ad dimidiam doſim, practicis magis arridet.

REFRIGERANTIA.

Familiariſſimè extùs uſurpatur acetum : à quo naribus admoto vires recreantur, & languens refocillatur ſtomachus; nauſeantibus enim juvamen præſtat. Pari modo exhibitum inſultus hyſtericos tutiùs quandóque abigit, quàm ſal anglicanum & ſpiritus ſalis ammoniaci : nec inutilem opem confert ad arcendum contagium morborum epidemicorum. Prætereà inquinatum aërem corrigit; præſertim ſi injiciatur in candentem laminam ferream : egregiâ vi incidente pollet hic vapor aceti ergà tumores ſkirrhoſos pertinaciores, præmiſſis emollientibus, nonnihil ſubactos. Lintea aceto imbuta quibus obvolvitur cervix, vel ſcrotum, hæmorrhagiam narium ſiſtunt : eumdem effectum præſtare valent ergà uterum, ſi abdomini admoveatur : ſed cautè in utroque caſu procedendum. Acetum inſuper inter repercutientia efficaciora celebratur; ſed uſitatius eſt *oxycratum* pro uſu externo, quod nil aliud eſt quàm miſcella duarum vel trium aceti unciarum cum librâ unâ aquæ, è quo parantur fotus, gargariſmata, enemata, &c. Ab infuſione roſarum rubrarum, florum ſambuci, rutæ, ſcillæ, &c. producitur acetum roſatum, ſambucinum, rutaceum, ſcilliticum, &c. de quibus alibi, non ſecùs ac de aceto antiſeptico, ſaturni, &c. ut de acetis quæ ad rem cibariam pertinent, ſileamus.

(13.) *Cereviſia*, (vulgò *la Biere*), conficitur è decocto farinæ hordei vel tritici; in quo rursùs bulliunt flores lupuli & ſummitates abſinthii, alteriuſve ſtirpis amaræ. Fortiter & diù agitatur hoc decoctum, priuſquàm calorem amittat : fermentationi poſteà cum fæcibus cereviſiæ committitur; & ritè defæcatum in doliis accuratè clauſis vini inſtar ſervatur. Cereviſia ſic parata vi humectante & refrigerante donari creditur; licèt ebrietatem quandóque accerſat; & recens ſæpiùs ſtranguriam, imò & gonorrhœam ſpuriam poſt ſe trahat; quibus aquam vitæ prodeſſe experientiâ compertum manet. Cereviſia quò levior & citiùs per urinas expellitur, eò ſalubrior judicatur. Sed minime reticere debemus varios eſſe modos parandi cereviſiam; cur fit ut de ejus dotibus vix quidquam aſſerere liceat.

(14.) *Aquæ minerales frigidæ*, ſub generali conſpectu, inter remedia refrigerantia, aperientia, diuretica, emmenagoga, &c. pro variis ſubſtantiis muriaticis, ammonialibus, aluminoſis, vitriolicis, & martialibus, quas recondunt; haud inferiorem locum obtinet. Neminem vel rudem & inexpertum fugit quòd ſæpiùs, incaſsùm adhibitis ſolitis præſidiis, febres intermittentes diuturniores, ophthalmiæ pertinaciores; dyſenteriæ mali moris, fluor albus; aliique affectus ægrè domabiles, à prædictis aquis ſæpiſſimè eradicentur. Ipſis ineſt minor vis cathartica, quàm in thermalibus; quod tamen non impedit quominùs affatim hauſtæ intrà breve tempus, non ſecùs ac aqua communis, alvum ſolvant : nec hâc virtute defraudantur quæ ferro ſcatent. Scitur aquas minerales frigidas noxam inferre phthiſicis, aliiſque tuſſientibus. Ratione frigiditatis debiles ſtomachos afficiunt, ni tepidæ propinentur; aut aniſo, feniculo vel angelicâ interdùm refocil-

letur ventriculus : nonnullis, ſub eodem ſcopo, proſunt panni vel lintea calida ſcrobiculo cordis inter harum uſum admota. Aquæ hujuſce indolis uſitatiores, ſunt Vallenſes, Reginenſes, Forgienſes, Paſſiacæ, Cranenſes, Selteranæ, Spadanæ, Sedlicenſes, &c. de quibus ſigillatim.

REFRIGERANTIA.

(15.) *Aquæ Vallenſes*, (vulgò *de Vals*) vici tractûs Helvorum, (*le Vivarais*); à Rhodano quinque leucis recedentis, & à Vivario urbe epiſcopali (*Viviers*), ſex leucis diſtantis, ad Caurum (*Nord-Eſt*); inter refrigerantes acidulas præſtantiores recenſentur, ſi à fonte dicto (*la Marquiſe*), hauriantur. Ipſis præterea ineſt quædam vis anodyna : ſed inter aperientia & diuretica primùm celebrantur : ideò egregiè ſe gerunt in menſium ſuppreſſione, chloroſi & ictero : imò & ſæpiùs pertinaciſſima febris quartana hocce remedio tuto eradicatur : nec inutilem opem confert in fluore albo, ſterilitate, &c. Per decem aut duodecim dies propinantur prædictæ aquæ, matutinis horis, à libris duabus ad ſex.

(16.) *Aquæ Reginenſes*, pagi ſcilicèt cujuſdam ignobilis (*de Sainte-Reine*), in Burgundiâ novem leucis à Divione (*Dijon*); ad Cæciam (*Nord-Oueſt*). Frigidæ & ſaporis expertes, virtute refrigerante & anodynâ, non ſecùs ac aperiente & diureticâ gaudent; ſed vix aquæ ſimpliciſſimæ proprietates ſuperant. Illas propinare licet, inſtar aliarum, per duodecim circiter dies, à libris duabus ad ſex : ſed plerùmque pro potu ordinario in uſum adhibentur; qui per menſes, imò & annos, pro Medici arbitrio protrahitur.

(17.) *Aquæ Monſerinenſes*, (vulgò *de Montfrin*), vici cujusdam Occitaniæ, propè Rhodanum; & ab antiquiſſimâ civitate Nemauſenſi (*Nîmes*), quatuor leucis diſſiti, ad Boream (*Nord-Eſt*); pro refrigerantibus & ſedantibus habentur, imprimis in affectibus ſpaſmodicis. Inſuper catharſim movent, obſtructiones reſerant, & urinas cient. Pavoribus nocturnis vel nervorum ſubſultibus, conflictatis proſunt. Per quindecim circiter dies, utplurimùm ardente ſyrio, propinantur à duabus libris ad ſex, vel aquæ communis inſtar, pro potu ſolito diutiùs juxtà nutum Medici uſurpantur.

Aquæ Meinenſes, (*de Maine*), vici Galliæ Narbonenſis à Nemauſio, (*Nîmes*), quatuor leucis remoti, ejuſdem ſunt indolis, nec alias obtinent vires,

(18.) *Aquæ Veſullenſes*, (*de Veſoul*) urbis Comitatûs Burgundiæ, (*Franche-Comté*), à Veſuntione (*Beſançon*), novem leucis diſtantis, ad Septentrionem; frigidæ, ſaporis & odoris expertes, licèt amaritiem coctione contrahant; inter refrigerantia & antiſpaſmodica numerantur. Stomachi vires refocillant, & alvum blandè ſolvunt, nec deſtituuntur vi aperiente & diureticâ. Vomitum compeſcunt, diarrhœam coërcent, febres intermittentes diuturniores fugant, atque calculos laceſſentes veſicam & renes, ni obſtet moles, foràs eliminant.

(19.) *Syrupus de limonibus* nil aliud eſt quàm ſuccus limonum ritè defæcatus, in quo ſaccharum ad duplum ponderis, igne lento diſſolvitur.

Refrigerantia.

Præter virtutem refrigerantem & antiputridam, vires inſtaurat, diureſim movet, & vermes enecat. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam & ſemiſſem.

(20.) *Syrupus ribeſiorum* haud aliâ arte paratus, vi refrigerante & adſtringente inſtruitur, biliſque æſtum temperat: hinc ſub febre, colicâ & alvi profluvio ab hâcce causâ oriundis, præſentaneam opem fert eâdem doſi. Syrupi vires ſupplere valet gelatina domeſtica.

(21.) *Syrupus berberis* ſimili modo conficitur, nec alias vires obtinet, & eidem utendi rationi ſubjicitur.

(22.) *Spiritus ſulphuris* acidiſſimus, ex accenſo ſulphure in inverſam campanam vitream elevatur, è quâ ſtillat in aliud vas. Pro refrigerante & antiſeptico habetur, & urinam ciet. Notare juvat hunc tutiùs ſpiritu vitrioli congenere uſurpari ad ſitim compeſcendam, bilis & ſanguinis effervefcentiam domandam, humorum alkaleſcentiam præcavendam, ſub febribus ardentibus, bilioſis & malignis. Hunc caveant qui tuſſi moleſtantur, licèt ad morbos pectoris, uti nemo neſcit, conducat balſamum ſulphuris. Doſis à guttis duabus ad ſex, in cujuſvis hauſtûs unciis ſex. Si ejus uſum protelare animus ſit, potui ordinario immiſcetur ad gratam aciditatem: hâc poſtremâ methodo, deficientibus aliis præſidiis, contrà choleram euporiſti inſtar adhibetur. Inſuper extùs admotum, gangrænam & putredinem arcet. Si aphthæ oris hocce ſpiritu, ope goſſipii, attingantur, brevi obliterantur.

(23.) *Spiritus* vel *oleum vitrioli*, liquor acidiſſimus, & poſt hydrargyrum ponderoſius, è vitriolo viridi ad albedinem calcinato, diſtillatione elicitur. Prioris congener, iiſdem pollet viribus, & ſimili methodo intùs & extùs uſurpatur: ſed frequentiùs in uſum externum venit ad detergendum vel exſiccandum, & ſub hoc conſpectu gargariſmata ſæpiùs ingreditur. Inſuper cathæreticorum vires æmulatur. Si ſpiritu vini arte chymicâ temperetur, emergit ſpiritus, ut inquiunt, dulcis. *Vid.* Aqua Rabel.

(24.) *Spiritus nitri dulcis*, ſic dicitur poſt digeſtionem cum ſpiritu vini per menſem integrum in vaſe circulatorio. Nonniſi tamen ſummâ cautelâ, licèt hâc arte temperatus, intùs exhibetur. Ideò raro præſcribitur pro refrigerante & antiputrido; ſed quandóque in caſu urgentiori tanquàm præſtantiſſimum diureticum in uſum venit à guttis tribus ad octo & ultrà, in juſculo, alterove hauſtu: vel potui ordinario immiſcetur ad gratam aciditatem, ratione ſcilicèt unius drachmæ, pro aquæ vel ptiſanæ libris duabus.

(25.) *Spiritus ſalis dulcis* eodem proceſſu paratur, nec minori cautelâ exhibetur in eumdem ſcopum. Præter jam decantatas vires, tanquàm adſtringens præſtantiſſimum herniis occurrit, dummodò juxtà methodum Authoris *le Prieur de Cabrieres*, uſurpetur. Nonnulli, penès quos ſit fides, hunc ſpiritum ſummis laudibus extollunt adversùs gangrænam ab humorum labe ortam. Doſis à guttis tribus ad decem in liquore congruo, vel, quod tutius eſt, ad gratam aciditatem.

Tempe-rantia.

TEMPERANTIA.

Quid ſibi velint Authores per temperantia, quorum ordinem proſequitur hæc claſſis, facilius eſt animo concipere, quàm verbis exprimere: ratum manet apud ſolertiores ſic vocitari hæc medicamina quæ ad refrigerantia, ratione indolis & virium, propiùs accedunt; adeò ut temperantia pro refrigerantibus mitioribus haberi queant. Illa enim mitiùs & lentiùs agere in æſtuantes humores conjicere licet: majorem verò eſſe refrigerantium energiam haud falsò exiſtimatur, cùm hæc poſtrema, celeriori actione, humorum excandeſcentiam compeſcant. Hinc patet ratio cur varia medicamina, tùm ſimplicia, tùm officinalia utramque claſſem ſubeant; vel ſolo adhibendi modo, pro mero curantium nutu, ad alterutram referantur. Latiſſimus eſt temperantium uſus ſub febribus acutis, affectibus inflammatoriis, aliiſque caſibus, in quibus expedit ut ſenſim ſine ſenſu coërceatur efferus ſanguinis motus, vel placidè cicurentur ſubſtantiæ acriores, quibus ſcatet hic latex. Ubi verò ardor viſcerum minùs ab accelerato liquidorum motu, quàm à materiebus ſtimulantibus ortum ducit, vigente febre, necne, ad refrigerantia confugere expedit, quorum ope infringi & obvolvi ſpicula illa ſalina, alteriuſve ſortis, pronum eſt credere. Varia temperantia iterùm in depurantium ſeriem collocantur; & hæc poſtrema, vice verſâ, temperantium munere nonnunquàm fungi valent, foras ſcilicèt elutriando ſubſtantias æſtum excitantes; cur fit ut antiſcorbutica, in ore ferventiora, ad temperantium claſſem etiam pertineant.

EMPORETICA.

Radices graminis (1), liquiritiæ, lapathi, polypodii, cichorii, taraxaci, acetoſæ & fragariæ.... Folia cichorii (2), dentis leonis (3), endiviæ, borraginis (4), agrimoniæ (5), pimpinellæ (6), lapathi, fumariæ, lupuli, trifolii hepatici (7), eupatorii, cerefolii, cochleariæ, naſturtii aquatici, berulæ & becabungæ, capilli veneris (8), cuſcuta minor, filicula (9) & the.... Semina cichorii, lactucæ & portulacæ, hordeum (10), grutum, oryza (11).... Cortex Winteranus.... Saguſium (12), ſalep.... Camphora, gummi lacca.... Cancri fluviatiles, teſtudo, rana.... Lac caprinum & ovillum, ſerum lactis (13). Aqua communis, aquæ minerales acidulæ, nitrum, ſal catharticum amarum.

TEMPERANTIA.

OFFICINALIA.

AQUÆ cichorii, fumariæ, borraginis, lactucæ.... Syrupus cichorii ſimplex ([14]) & compoſitus, capillorum veneris, violaceus.... Extractum fumariæ, cochleariæ.... Pulvis temperans ([15]). Anodynum minerale.... Cremor tartari ([16]). Cryſtallus mineralis, ſal Glauberi ([17]). Arcanum duplicatum ([18]). Tartarus vitriolatus ([19]). Sal ſedativum.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ HORDEI integri uncias duas. *Radix graminis* unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Sub finem adde *liquiritiæ* raſæ & contuſæ ſemi-unciam.

℞ *Rad. lapathi* unciam unam. *Fol. capillorum veneris*, & *ſcolopendrii* ana manipulum unum. Coque leviter in aq. q. ſ. ad libras ſex.

℞ *Florum ſambuci* pugillum unum; *mellis* uncias duas; *aceti* unciam unam. Superaffunde aquæ ferventis libras quatuor. Tantillùm agitentur ad mellis ſolutionem. Colatura frigida ſervetur ad uſum.

SERUM LACTIS.

℞ *Tamarindorum* pinguium uncias duas. *Seri lactis* libras duas. Bulliant leviter. In colaturâ diſſolve *ſyrupi violacei* uncias duas.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ cichorii* uncias ſex. *Syrupi violacei* unciam unam. *Cryſtalli mineralis* ſcrupulum ſemis. Miſce; fiat julepus.

℞ *Aquæ lactucæ* uncias ſex. *Liquoris anodyni mineralis* guttas quindecim. *Nitri purificati* ſcrupulum ſemis. *Syrupi limonum* unciam unam.

POTIO.

℞ *Pulveris ſalep* à drachmâ unâ ad duas. Infunde & diſſolve in aquæ calidæ unciis octo. Colatura cochleatim ſumatur alternis horis. Addere licet *ſaccharum*, ſyrupum congruum, aquam florum aurantiorum, lac, &c.

APOZEMA.

℞ *Radix taraxaci* unciam unam. *Fol. pimpinellæ*, *borraginis* & *fumariæ* ana manipulum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de cichorio* unciam unam & ſemis. *Tartari vitriolati* drachmam unam. Fiat apozema.

℞ *Radix*

TEMPERANTIA.

℞ *Radix lapathi* & *cichorii* ana unciam unam. *Foliorum agrimoniæ* & *taraxaci* ana manipulum ſemis. *Fol. linguæ cervinæ* pug. unum. Coque in ſ. q. aquæ ad libras duas. Colaturæ adde *ſalis Glauberi* drachmas duas.

℞ *Rad. cichorii* unciam unam. *Hordei* ſemi-unciam. *Fol. acetoſæ* manip. unum. *Semin. frigidior.* drachmas tres. *Flor. viol.* pug. unum. Coq. in aquæ q. ſ. ad libras duas. Pro quatuor doſibus. Adde cuique doſi *ſyrup. de nymphæâ* ſemi-unciam. *Salis prunellæ* ſcrup. ſemis.

℞ *Rad. cichorii* & *aſparagi* ana unciam unam. *Foliorum endiviæ* manip. unum. *Scolopendrii* & *epithymi* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Adde *ſyrupi de cichorio* uncias tres. *Arcani duplicati* drachmas duas.

℞ *Rad. graminis* & *fragariæ* ana ſemi-unciam. *Rad. polypodii* drachmas duas. *Fol. borraginis* & *cichorii* ana manip. unum. *Tamarindorum pinguium* unciam unam & ſemis. Coq. in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *ſalis cathartici amari* drachmas duas.

JUSCULUM.

℞ *Carnis vitulinæ* ſemi-libram. Coq. per duas horas in aq. q. ſ. Dein adde *cancros fluviatiles* lotos & contuſos, numero quatuor. Ollâ ritè obturatâ bulliant per horam. Sub finem adde *fol. borraginis* & *pimpinellæ* ana manip. unum. *Cerefolii* pug. unum. Cola & exprime.

℞ *Rad. lapathi* & *aſparagi* ana ſemi-unciam. *Fol. cichorii* & *agrimoniæ* ana manip. ſemis. *Ceterac* pug. unum. Coq. ex arte cum *pullo* vel *fruſtulo colli vervecini*, ad juſculum.

PULVIS.

℞ *Tartari vitriolati* & *nitri purificati* ana drachmam ſemis. *Cinnabaris nativæ* grana octo. Miſce; fiat pulvis, qui vulgò temperans audit; pro quatuor doſibus.

℞ *Nitri purificati* drachmam unam. *Camphoræ* grana quindecim. *Laudani* granum unum. Miſce pro quatuor doſibus, tertiâ quâque horâ ſumendis.

℞ *Arcani duplicati* grana decem. *Sacchari ſaturni* grana quatuor. *Camphoræ* grana duo. Miſce; fiat pulvis cum cautelâ uſurpandus ſub delirio melancholico.

OPIATA.

℞ *Arcani duplicati* & *ſalis cathartici amari* ana unciam unam. *Nitri purificati* drachmas duas. *Cinnabaris factitiæ* ſcrupulum unum. Miſce; fiat opiata cum *extracto fumariæ*. Doſis à ſemi-drachmâ ad duplum.

TEMPERANTIA.

COMMENTARIA.

(1.) GRAMEN *loliaceum* radice repente, vel Gramen officinarum, Inſt. r. herb. Gramen caninum, Ger. Agroſtis, Dioſcorid. (*Chien-dent ordinaire*).

Gramen dactylon radice repente, ſive officinarum, Inſt. r. herb. (*Chiendent pied de poule*).

Utriuſque radix vulgatiſſima inter temperantia jure numeratur; imò & in ſerie refrigerantium, aperientium mitiorum, & diureticorum locum obtinet. Ipſi demùm conceditur virtus antihelmintica; & ejus aquam diſtillatam in hunc ſcopum quotidiè uſurpari pro infantibus neminem latet. Gramen prætereà hypochondriacis juvamen præſtat; atrophiæ ab obſtructis vaſis meſentericis auxiliatur; renes & ureteres ab arenulis & phlegmate viſcido infarctis, & obturatis, liberat: nec deſunt inter Medecinæ proceres, qui virtutem lithontripticam gramini adſcribunt: nùm rectè? viderint practici. Ingreditur hæc radix ſicca ptiſanas familiariores à drachmis duabus ad ſemi-unciam, pro aquæ libris duabus; ad duplum verò, ſi recens, uſurpetur.

(2.) *Cichorium* ſylveſtre vel officinarum, C. B. pin. (*Chicorée ſauvage*).

Cichorium latifolium, ſeu endivia vulgaris, Inſt. r. herb. (*Chicorée douce*).

Prior ſpecies, cujus notiſſima eſt amarities, pro uſu medico ab omnibus præfertur: quâ tamen deficiente, altera, quæ ſolâ olitorum curâ amaritiem deponit, uſurpatur. Cichorii uſus eſt familiariſſimus adversùs ferè omnes morbos; adeò ut pro remedio polychreſto, ut inquiunt, haberi videatur. Etenim ab Authoribus proponitur, veluti temperans, refrigerans, demulcens, reſolvens, diaphoreticum, depurans, hepaticum, aperiens, diureticum, ſtomachicum, tonicum, febrifugum, & arthriticum, &c. Plures hanc plantam pro frigidâ habent; alii verò calidam eſſe contendunt: adeò ut in genuinis cichorii aſſignandis viribus anxii hæreant oculatiores: ſed haſce lites dirimendas relinquimus, ne à propoſito aberremus. Ejus radices & folia recentia ingrediuntur tralatitia juſcula alterantia, non ſecùs ac apozemata & ptiſanas ad unciam unam vel manipulum unum pro quâque circiter librâ liquidi. Succus ex integrâ plantâ expreſſus ab unciis duabus ad quatuor, ſemel vel pluriès in die præſcribitur in febribus continuis & intermittentibus, in inflammatione pectoris, &c. In officinis proſtat aqua diſtillata, non ſecùs ac ſyrupus, de quo infrà. Cichorii ſemen ad doſim unius vel alterius drachmæ, pro hauſtu, emulſiones refrigerantes ingreditur.

(3.) *Dens leonis* latiore folio, C. B. pin. Taraxacon officinarum. (*Piſſenlit*).

Chicorii eſt congener dens leonis, qui leviter amaricat cum nonnullâ adſtrictione. Inter temperantia, depurantia & hepatica ſelectiora, aperien-

ria & diuretica mitiora, celebratur. Nativam ſanguinis craſim reſtituit; in morbis hepatis conducit; ſub affectibus cutaneis haud inutilem opem præſtat; pollutionibus nocturnis obviam it; nec virtute febrifugâ deſtitui videtur. Radices & folia recentia ad unciam unam vel manipulum unum præcipiuntur pro quâque librâ decocti vel infuſi. Succus verò ex integrâ plantâ expreſſus ab unciis duabus ad quatuor, ſemel vel pluriès in die, inter peripneumoniæ curationem haud rarò uſurpatur.

TEMPERANTIA.

(4.) *Borrago* floribus cœruleis, J. B. (*Bourrache*).

Ratione creberrimi usûs, haud ſuperioribus cedit borrago, temperantium & mitiorum diaphoreticorum fortè præſtantior. Ab illâ ſub morbis acutis pectoris vix citrà piaculum abſtinere licet; cùm plurimùm valeat ad flexilitatem conciliandam ductibus bronchialibus, æſtum pulmonis compeſcendum, & expectorationem promovendam. Folia ad doſim ſolitam ingrediuntur juſcula, apozemata & ptiſanas; vel ſuccus è foliis expreſſus pluriès per diem, ab unciis duabus ad quatuor; per ſe, aut cum ſyrupo de althæâ, de tuſſilagine, capillorum veneris, &c. propinatur. Proſtat in officinis aqua diſtillata; non ſecùs ac conſerva florum, quæ pro cardiacâ habetur. Coronidis loco addere juvat borraginis vices ſupplere *echium* vulgare, C. B. pin. (vulgò *viperine;*) quod ubique ſpontè naſcitur.

(5.) *Agrimonia* officinarum, Inſt. r. herb. Agrimonia ſeu eupatorium, J. B. (*Aigremoine*, ou *Eupatoire des Grecs*).

Inter temperantia & hepatica uſitatiora primatum ducit hæc planta. Ideò ad ſanguinis dyſcraſiam emendandam; ac tonum corporis incerniculis conciliandum, fauſtè uſurpatur. Cur fit ut in familiariſſimum uſum veniat ſub cachexiâ, ictero, hydrope, aliiſque hepatis læſionibus; undè fortè eupatorii nomen ſortita eſt. Inſuper ipſi ineſt vis vulneraria & detergens; cujus ratione multis effertur laudibus in mictu cruento & ulcere renum. Recens ad manipulum unum, & ſicca ad dimidium recipitur pro quâque librâ decocti. In uſum externum venit, tanquam adſtringens & vulneraria; ideò gargariſmata anginoſa, & enemata detergentia ingreditur. In vino demùm cocta extrinſecùs, cataplaſmatis inſtar, ſcroto œdematoſo, haud infelici ſucceſſu admovetur. Notare expedit alias eſſe plantas quæ eupatorii nomine ab Arabibus inſigniuntur; eupatorium nempè cannabinum, & ageratum, de quibus alibi.

(6.) *Pimpinella* ſanguiſorba minor hirſuta, C. B. pin. (*Pimprenelle*).

Haud cichorio cedit, quoad latiſſimum uſum, pimpinella; adeò ut, ſi Scriptoribus, & potiori Practicorum parti habenda ſit fides, utrique ineſſe omnes aliarum ſtirpium vires alterantes, colligere detur: ſed refragatur experientia, quâ duce, quidquid de præclaris & multiplicibus ejus dotibus effutierunt, contrahere cogimur. Quapropter inter temperantia & refrigerantia haud infimus locus ipſi concedendus: jure prætereà vulnerariorum & adſtringentium ſeriem ſubit. Idcircò ſaluberrima cenſetur, ubi nimiùm æſtuat ſanguis, & ultrà modum effervescit bilis; nec exiguam laudem meretur ad glutinanda & ſananda ulcera interna: quapropter ſummè

TEMPERANTIA.

deprædicatur adverſus ſputum cruentum, dyſenteriam, cæteroſque fluxus ſanguineos: nec minùs confert diarrhϾ; pulmone pituitoſo laborantibus, calculoſiſque prodeſſe fertur: de cæteris proprietatibus dubitare licet. Doſi ſolitâ coquitur, vel frigidè infunditur. Succus demùm exhibetur ab unciâ unâ ad tres.

(7.) *Trifolium hepaticum*, ſive herba Trinitatis, J. B. Hepatica trifolia Cluſ. hiſt. Ranunculus tridentatus vernus flore ſimplici cæruleo, Inſt. r. herb. (*Trefle hépatique*).

Rarò à noſtratibus uſurpatur olim celebratiſſima hæc planta, ab hepaticâ terreſtri ritè diſtinguenda. Haud tamen ipſi denegatur quædam vis temperans, vulneraria & adſtringens; quâ vitiatam ſanguinis craſim reſtituere valet: conducit in hæmoptyſi; mictum cruentum cohibet, atque eroſionibus internis, vel ipſimet phthiſi auxiliatur. Sed hodiè ferè exolevit hæc planta, quæ apud Veteres, ſpecifici titulo adverſùs morbos hepatis ſuperbiebat: nùm immeritò? viderint Practici. Decoquitur pro uſu interno in aquâ vel juſculo ad doſim vulgatiſſimam. Extùs verò nuſquàm ferè adhibetur; ni quandòque ingrediatur gargariſmata, ad faucium inflammationem paranda. Mirari profectò ſubit accuratiſſimum LEMERY, cujus Lexicum, rerum naturalium, tot futilibus, vel planè ignotis ſcatet, hanc plantam celebratiſſimam ſilentio prætermiſiſſe.

(8.) *Capilli veneris.* Sub hoc nomine intelligi quinque plantarum genera ratum manet apud Pharmacopolas. Hæc ſunt adiantum, polytrichum, ceterac, ruta muraria & filicula; de quibus ſingulis ſuo loco.

(9.) *Filicula fontana* major, ſive adiantum album filicis folio, C. B. pin. (*Capillaire blanc*).

Filicula quæ adiantum nigrum officinarum, Inſt. r. herb. (*Capillaire commun*).

Utraque ſpecies inter temperantia & aperientia mitiora numeratur: fauſtè præſertim uſurpatur adverſùs chronicos pectoris morbos. Infunditur ad manip. ſemis in aquæ librâ unâ vel alterâ.

(10.) *Hordeum* polyſtichum, J. B. (*Orge*).

Non ſecùs ac oryza è glumâ purgatur hujuſce plantæ culmiferæ granum; quod præcipuum locum obtinet inter temperantia, refrigerantia, demulcentia & obtundentia: cujus ratione æſtuantibus humoribus occurrit, & morbis pectoris opitulatur. Hordeum illud minimum orbiculatum, (vulgò *Orge perlé*,) quod iiſdem viribus pollet, à peculiaribus piſtrinis hanc formam mutuatur. Sine fuco decorticatum, (vulgò *Orge mondé*,) coquitur à ſemi-unciâ ad unciam unam in aquæ libris duabus vel tribus, pro potu ordinario. Ab eâdem doſi hordei mundati, vel triti, ſub nomine *gruau*, paratur cremor, pro hauſtu, qui vix differt à ptiſanâ Veterum; & juſculorum vices ſupplere valet in febribus ardentibus & inflammatoriis. Inſuper farina hordei cataplaſmata emollientia & anodyna, reſolventia & digeſtiva ſubingreditur. Hordei integri decoctum pro detergente uſurpatur ſub formâ gargariſmatis, enematis, &c. Scitur demùm ex hordeo,

non ſecùs ac ex aliis cerealibus, parari cereviſiam, de quâ ſuprà; non ſecùs ac illud hordeatum ſpurium (vulgò *orgeat*), quod ſuavitatis gratiâ conficitur; & cujus qualitates ab amygdalis potiùs quàm ab hordeo peti debent.

TEMPERANTIA.

Notare juvat binas alias eſſe hordei ſpecies, quæ prioris vires ſuperare videntur; nempè *hordeum diſtichum*, J. B. cujus uſus familiariſſimus eſt in Gallo-Provinciâ, ſub nomine *paumoulo*; & *hordeum diſtichum ſpicâ nitidâ*, zea nuncupatum, Inſt. rei herb. (vulgò *eſpeautre*); quod poſtremum ægrè mundandum, ad triticum proximè accedens, alimoniam congruam tabidis præbet, longè præſtantiorem eâ quæ paratur è ſubſtantiâ illâ farinaceâ, (*ſagou* dictâ) apud Anglos, vel noſtrates novitatis amore captos, ultrà modum fortè celebratâ. Addere expedit quòd ſi integræ, pro quocumque medicamine interno, uſurpentur prædictæ hordei ſpecies, non ſecùs ac alia id ſortis grana, præviâ brevi coctione in aquâ detergi debent.

(11.) *Oryza* Matthioli. Inſtit. rei herb. (*Le ris*).

Nemo neſcit granum illud vulgatiſſimum pro temperante, refrigerante & demulcente ab omnium conſenſu haberi. Ideò egregiè ſe gerit ſub cremoris formâ in febre lentâ, tabe & phthiſi; necnon in alvi profluviis; præſertim in fluxu hepatico. Ad eumdem ſcopum præſcribitur aqua oryzæ, quæ ptiſanæ inſtar, coctione ad crepaturam paratur; eâ proportione ut ſit unum circiter cochlear oryzæ pro quâque librâ, vel alterâ aquæ. Oryza in vino cocta mammis tumidis, vel phlogoſi correptis fauſtè admovetur: ejus poſtremò farina, non ſecùs ac ſecalina, hordacea, &c. cataplaſmata reſolventia ingreditur.

(14.) *Saguſium* eſt materia, granorum milii inſtar, farinacea & pallida, quam extrahi fertur è quâdam ſpecie palmæ indicæ, de quâ Raius, Parkinsonus & Boerhaavius mentionem ſubjecerunt: ſed de modo extrahendi nondùm conſtat. Nonnulli è ſucco concreto hujuſce arboris ſoboleſcere hanc materiam exiſtimarunt: alii verò ſuccum ligni debitè triturati & conquaſſati aquam inficere autumarunt; quâ repoſitâ, ſenſim ſubſidet, fæculæ inſtar, prædictus ſuccus; qui demùm peculiari enkeireſi granulatur, & (*ſagou* nomine) exſiccatur. Ex hâc ſubſtantiâ, facilè in aquâ calidâ ſolvendâ, conficiuntur cremores; non ſecùs ac ex hordeo, oryzâ, &c. qui in febre lentâ, tabe & phthiſi pulmonari ſummè deprædicantur. Doſis à drachmis duabus ad ſemi-unciam pro quâque aquæ librâ. Licet citrà periculum adhiberi poſſe hoc remedium, imò & pluribus profuiſſe pro comperto habeamus; illi tamen minime fidendum putamus, cùm haud deſint alia præſidia notiſſima & indigena, quæ feliciùs ac tutiùs prædictorum affectuum curam abſolvere valent.

(13.) *Serum lactis* extrahitur è quovis lacte, ſi priùs huic immiſceatur coagulum agninum vel vitulinum, cum tantillâ aquâ probè ſolutum; ad grana ſcilicèt decem vel duodecim, pro quâque librâ lactis, ut coeat: quod intrà breve tempus peragitur, ſi collocetur ſuprà cineres calidos, vel in balneolo. Citiſſimè etiam cogitur lac, ſi bulliat cum cremore tartari ritè

TEMPERANTIA.

pulverato, ratione ſemi-drachmæ, pro quâque librâ. Sed notare expedit plures ægrè ferre ſerum lactis cum prædicto cremore paratum. Hinc tutiùs adhibetur coagulum agninum, licèt ejus ope ſerum minùs limpidum evadat. Acetum, ſuccus mali citrei, acetoſa, flores cynaræ, gallii lutei, &c. eumdem effectum præſtare valent. Lac quocumque modo coagulatum imponi ſolet craticulæ vimineæ, vel linteo extremis alligato, ut ſerum in vas ſubjectum uberiùs ſtillet: iterùm per chartam bibulam trajiciendum vel albumine ovi notiſſimâ arte defæcandum. Quâcumque methodo paratum ſerum lactis, inter remedia temperantia, refrigerantia & laxantia primum fermè locum obtinet, nec virtute aperiente & diureticâ deſtituitur; ideò fauſtè uſurpatur, ubi ſanguis & bilis incandeſcunt, præſertim vigente febre ardente & inflammatoriâ; dyſenteriæ prodeſt; materias acres, fibras nerveas laceſſentes cicurat: hypochondriacis & ſcorbuticis juvamen præſtat; dolores rheumaticos & arthriticos compeſcit: ſtranguriæ medetur; ſub ulceribus internis conducit; nec inutilem opem confert in morbis cutaneis, variiſque aliis affectibus chronicis, vel domari neſciis. Ab unciis ſex ad duplum, ſemel vel pluriès per diem propinatur. Sed circà illius uſum notare expedit nonnullos, ob imbecilliorem ſtomachum, ſerum lactis ægrè ferre, ni priùs in ipſo immergatur ferrum candens, vel lapis ignitus. Si verò in ſtomacho receptum ad aciditatem vergat, hæc præcavetur abſorbentibus; prætereà in hoc caſu à præparatione exulare debent cremor tartari; ſuccus citrei, acetoſa, aliaque acida exquiſitiora. Nunc purum & ſincerum præſcribitur ſerum lactis; aliàs coquitur pro diverſo curantium ſcopo cum radice lapathi, naſturtio aquatico, fumariâ, &c. Poſtremò materiam enematum refrigerantium & demulcentium ſuppeditat.

(14.) *Syrupus de cichorio* nil aliud eſt quàm ſuccus cichorii per ebullitionem defæcatus, & cum ſaccharo ad debitam conſiſtentiam coctus. Vires hujuſce plantæ, de quâ ſuprà, retinet; & exhibetur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemiſſem.

(15.) *Pulvis temperans* à miſcellâ nitri, tartari vitriolati & cinnabaris exſurgit. Præter vires quæ ex ipsâ nomenclaturâ intelliguntur; virtute quâdam aperiente & diureticâ, necnon antiſpaſmodicâ gaudet. In uſum familiarem, haud jamdudùm, venit à granis viginti ad triginta, ſemel vel bis in die. Nonnulli ad drachmam unam illum præſcribunt; nùm tutò? viderint Medico-Chymici. Notare expedit varias circumferri deſcriptiones hujuſce pulveris ab Stahlio celebrati, cujus formulam ſimpliciorem & magis comprobatam tradidimus. Nonnulli addunt lapillos cancrorum, corallium, matrem perlarum, arcanum duplicatum, antimonium diaphoreticum, &c.

(16.) *Cremor tartari* pro tartaro apprimè depurato haberi debet: ad quod opus requiritur ut tartarus in tenuiſſimum pulverem contritus, in aquæ trigecuplâ quantitate bulliat per plures horas, quæ inter ebulliendum ejicit in ſuperficiem, pelliculam quamdam, ſpumæ inſtar cochleari perforato auferendam: hæc eſt materia quæ exſiccata abit in pollinem al-

bicantem, cremoris nomine notum. Dein trajicitur diſſolutio, in loco frigido reponenda, ut emergant cryſtalli, quæ ejuſdem ſunt indolis & indiſcriminatim cum cremore uſurpantur. Diluitur tantummodò pulveris tenuiſſimi inſtar in quovis hauſtu, cùm intactum maneat in aquâ frigidâ vel calidâ id genus ſalis, à cæteris hactenùs notis planè diverſi: ſed aquæ ferventis unciæ tres, illius drachmam integram diſſolvere valent. Præter vim temperantem & antiputridam; inter aperientia & diuretica numeratur cremor tartari, laxantiumque claſſem ſubit, & ardori ventriculi medetur. A ſemi-drachmâ ad drachmam unam, in aquæ librâ unâ ebullitione ſolutus præſcribitur, vel in alkool redactus in quolibet hauſtu diluitur à granis duodecim ad drachmam ſemiſſem; aut formâ ſiccâ exhibetur, ut in pulvere Cornachini. Catharticis ſociatus horum actionem juvat & nauſeam arcet, imò & per ſe à drachmis quatuor ad unciam unam, partitis vicibus, alvum blandè ſolvit; nec vetatur id cathartici genus vigente febre. Hoc remedium cachecticis & hydropicis ſummè proficuum, minime congruit nonnullis melancholicis, quæ de cruditatibus acidis queruntur. Eâdem doſi febrem intermittentem fugare fertur, ſi in decocto florum chamæmeli, ineunte frigore, exhibeatur. TEMPERANTIA.

(17.) *Sal Glauberi.* Si poſt diſtillationem ſpiritûs è ſalis marini & olei vitrioli miſcellâ prodeuntis, ſuperſtes maſſa in retortâ, calcinationi ſubjiciatur; diſſolvatur demùm in aquâ fervente, ſolitæ evaporationi committenda; concreſcunt cryſtalli, quæ ſal neutrum à GLAUBERO inventum præbent, quod ex acido vitriolico & terrâ alkalinâ ſalis marini conſtare videtur. Alvum laxat abſque morſu prædictum ſal non ſecùs ac Ebſonienſe, ſi ad eamdem doſim præſcribatur: ſed frequentiùs uſurpatur tanquàm temperans & nonnihil aperiens, vel diureticum in affectibus melancholicis & hyſtericis, dummodò ſolvatur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, in juſculo vel librâ unâ apozematis: cæterùm mannæ, aliiſque catharticis, ſtimuli mitioris inſtar, ſociatur.

(18.) *Arcanum duplicatum*, vel ſal, ut inquiunt, de duobus, conflari videtur ex alkali nitroſo, & acido vitriolico, cùm paretur integrâ calcinatione nitri & vitrioli viridis. Hæc materia in aquæ q. ſ. ſolvitur, & trajectæ diſſolutioni affunduntur guttæ nonnullæ olei tartari per deliquium; ut, juxtà mentem chymicorum, ſuperſtites vitrioli partes metallicæ fundum petant. Poſt debitam illius diſſolutionis iterùm percolatæ evaporationem, concreſcit ſal, quod haud rectè dicitur de duobus, ſi à veri tramite minime recedant nonnulli recentiores, obnixè contendentes nuſquàm perfectionis gradum aſſequi poſſe, ni à vitriolo planè orbetur. Utcumque ſe res habeat, inter temperantia, diaphoretica & diuretica recenſetur prædictum ſal: præterea alvum laxat, prodeſt cachecticis & hydropicis: plurimùm commendatur, quatenùs depurans, pro puerperis lacte devio laborantibus, &c. Doſis ab ſcrupulo uno ad drachmam unam, in juſculo vel librâ unâ apozematis: ſi major exhibeatur, nempè ſemi-uncia, catharſim movet. Illud notare expedit difficiliorem eſſe hujuſce ſalis en-

TEMPERANTIA. cheireſim, & ideò haud citrà periculum exhiberi, ni à peritiſſimo artifice tractetur; aliàs haud ritè peractâ præcipitatione, ſaporem metallicum vitriolicum retinet, quo moventur nauſeæ & vomitus: quod altâ mente tenere debent, qui in hujuſce remedii familiariſſimo uſu verſantur.

(19.) *Tartarus vitriolatus* educitur è miſcellâ olei tartari per deliquium & ſpiritûs vitrioli, quæ poſt debitam efferveſcentiam evaporationi lento igne traditur, ut poſteà in loco frigido, juxtà proceſſum chymicum, coeant ſpicula ſalina, & emergant cryſtalli, quæ aquâ leviter ablutæ exſiccantur & ſervantur ad uſum. Pro temperante & ſedante habetur prædictum ſal: inſuper obſtructiones blandè reſerat & urinam ciet. Præcipuum eſſe ingrediens pulveris temperantis STAHL nemo neſcit. Doſis à granis duodecim ad ſemi-drachmam, in juſculo vel librâ apozematis. Sunt qui velint, poſt prædictum Authorem, nullum eſſe diſcrimen inter arcanum duplicatum & tartarum vitriolatum, cujus præparatio haud minorem expoſtulat ſolertiam, ſed adhuc ſub judice lis eſt.

FEBRIFUGA.

LICET, poſt inventum corticem peruvianum, remedium ad profligandas febres intermittentes præſtantius, ſed nonnunquàm iners vel noxium; cætera febrifuga, olim decantiſſima, innocua, ſæpiùſque efficaciora, neſcio quo fato, planè exoleverint: neceſſum tamen judicamus ſelectiora cujuſcumque ſortis, nuſquàm deſpicienda, in medium proferre; ut ſub eâdem ſerie in conſpectum venientia, pro re natâ uſurpari queant. Non fugit ſanè quidem clinicos, qui extrà vulgus ſapiunt, kinamkinam intempeſtivè exhibitam; vel deterioris notæ, cujus copia proſtat in variis officinis; ſæpiùs incaſsùm adhiberi, vel haud levem noxam inferre; cur ad alia præſidia ſe conferre ſuadet ratio & docet experientia. Nonnunquàm inſuper ruricolis deficit cortex peruvianus; nec deſunt inopes, qui hoc carum remedium ſibi comparare nequeunt: pro alterutris præſtat varia noſſe febrifuga indigena, ubique occurrentia, vel vilioris pretii, quæ ſolerti manu tractata pro votis ſuccedere, multiplici experientiâ freti, aſſerere nulli dubitamus. Præter amara, martialia, aromatica & tonica, diaphoretica & hypnotica, quæ jure hanc claſſem ſubeunt; nonnulla alia occurrunt, quorum nos latet agendi ratio, ob peculiarem energiam fortè kinækinæ æquiparanda. Omnia tamen, hactenùs nota, medicamina febrem fugantia, vel ſuccedanea, ut viſum fuit Scriptoribus qui hanc ſpartam coluerunt, hùc attexere, ſupervacanei & inexhauſti laboris opus eſſet. Prætereà conſultò omittimus nonnulla remedia anilia, vel ab inſulsâ plebeculâ decantata, à rectâ medendi methodo planè aliena, quorum effectus nonnunquàm reverà proſperi, potiùs præconceptæ opinionis

nionis vi, quàm peculiari efficaciæ ſunt tribuendi. De modo adhibendi febrifuga & cautelis, ſatis ſuperque, dùm de febribus intermittentibus, egimus; cur recoctam crambem apponere vetat inſtituti ratio. FEBRIFUGA.

EMPORETICA.

RADICES taraxaci, feniculi, pentaphylli (1), aſari, gentianæ (2), biſtortæ, enulæ campanæ, & imperatoriæ. Viperina (3); acorus, galanga.

Folia cichorii, dentis leonis, cerefolii, cardui benedicti, eupatorii cannabini, argentinæ (4), fumariæ, abrotani, tanaceti, ſatureiæ, betonicæ, abſinthii majoris & minoris, centaurii minoris (5), chamædryos (6)... Flores perſicorum, calcitrapæ, chamæmeli.... Nuclei perſici (7); nux cupreſſi, galla, piper, cucubæ.... Cortex fraxini, kinakina (8); caſcarilla (9); cinnamomum, cortex Winteranus, caſſia lignea.... Opium, camphora, myrrha, benzoinum, aloë, gummi gutta.... Fuligo.... Putamina ovorum. Urina humana. Aſelli.... Aqua communis. Aquæ Valenſes, Merienſes, Vicienſes, Bellilucanæ, Vervonenſes, Borbonienſes, Anſelmienſes (10), Arcimbaldicæ....Sal catharticum amarum, ammoniacum (11), Ferrum. Antimonium.

OFFICINALIA.

AQUÆ menthæ, cardui benedicti.... Syrupus abſinthii, mercurialis, florum perſicorum, de kinâkinâ (12).... Extractum kinækinæ, abſinthii, gentianæ.... Trochiſci alhandal, de agarico.... Theriaca. Pulvis viperinus.... Pulvis de tribus.... Sal abſinthii, centaurii minoris, tartari. Cremor tartari; tartarus chalybeatus; arcanum duplicatum.... Kermes minerale. Antimonium diaphoreticum.

FEBRIFUGA.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ SUMMITATUM *centaurii minoris*, & *florum chamæmeli* ana manipulum ſemis. *Liquiritiæ* raſæ & contuſæ drachmas duas. Coque leviter in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

HAUSTUS.

℞ *Kinækinæ* drachmas duas. *Caſcarillæ* ſemi-drachmam. *Vini generoſi* uncias duas. *Aquæ vitæ* unciam unam. Miſce; fiat hauſtus, ineunte frigore cum cautelâ propinandus.

℞ *Florum chamæmeli* manipulum ſemis. *Cremoris tartari* drachmas duas. Bulliant per ſemi-horam in aquæ fontanæ unciis duodecim. Ineunte frigore exhibeatur hoc remedium ſæpiùs magis proficuum kinâkinâ.

℞ *Summitatum centaurii minoris* pugillum unum; infunde in aquæ unciis ſex. Colaturæ adde *tincturæ anodynæ* SYDENHAMI à duodecim guttis ad viginti quinque. Capiat horâ integrâ ante rigorem febrilem.

℞ *Succi abſinthii* à ſemi-unciâ ad unciam unam. Exhibeatur cum *vini generoſi* unciis quatuor inſtante paroxyſmo.

EMULSIO.

℞ *Corticis peruviani* unciam unam. Bulliat in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturam affunde ſuper *ſeminum frigidorum majorum* unciam unam. Fiat emulſio ex arte, cyathim ſumenda, tertiâ quâque horâ, juſculo intermedio.

INFUSUM.

℞ *Corticis peruviani* drachmas duas. *Rhei* drachmam unam. *Salis abſinthii* ſemi-drachmam. Infunde calidè per quatuor horas in *decocti fumariæ* unciis duodecim, pro duplici doſi.

℞ Summitatum *centaurii minoris*, & *chamædryos*, ana manipulum unum; *florum chamæmeli* manipulum ſemis; infunde in aquæ ferventis libris duabus. Colatura frigida propinetur ad uncias ſex tertiâ vel quartâ quâque horâ.

℞ *Radicum helenii* & *calami* aromatici ana unciam unam & ſemis; ſummitatum *centaurii minoris* manipulum unum; *limaturæ ferri* uncias duas. Infunde calidè in *vini albi* veteris libris duabus. Doſis ab unciis quatuor ad ſex, quartâ quâque horâ.

℞ Pulveris granorum *caffeti* toſtorum unciam unam. Infunde & coque in aquæ unciis duodecim, ad uncias tres. Adde ſucci limonum uncias tres; & capiat poſt paroxyſmum febris duplicis tertianæ; vel poſtridiè in febre

tertianâ. Bis & ultrà iteratur illud remedium empiricum, inſtar prophylactici; quod pluribus optimè ceſſit, haud poſthabitis generalibus. FEBRIFUGA.

APOZEMA.

℞ *Corticis peruviani* ſemi-unciam. *Foliorum cichorii* manipulos duos. *Salis abſinthii* ſemi-drachmam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas pro quatuor doſibus.

℞ *Foliorum borraginis* & *fumariæ* ana manip. ſemis. *Foliorum linguæ cervinæ; Summitatum centaurii minoris* ana pugillum unum. *Corticis peruviani* drachmas ſex. *Fol. abſinthii* drachmam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas.

℞ *Kinækinæ* tritæ unciam unam. *Florum chamæmeli* manip. ſemis. *Summitatum chamædryos* pugillum unum. *Salis cathartici amari* drachmas duas. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas.

℞ *Kinækinæ* contuſæ unciam ſemis. *Foliorum agrimoniæ & borraginis* ana manip. unum. *Florum verbaſci* manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *mellis Narbonenſis* ſemi-unciam. Deſpuma, & cola.

℞ *Corticis peruviani* ſemi-unciam. *Radicum althææ* unciam unam. *Florum tuſſilaginis* & *papaveris rhœados* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi capillorum veneris* uncias duas.

℞ *Radicum aſparagi* unciam unam. *Foliorum cichorii ſylveſtris* & *ſcolopendrii* ana manip. ſemis. *Kinækinæ* unciam unam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *tartari chalybeati* ſolubilis drachmas duas. Fiat apozema.

℞ *Corticis peruviani* drachmas quatuor. *Rhei* contuſi drachmam unam & ſemis. *Agarici* inciſi drachmas duas. *Radicum ireos Florentinæ*, *ſalis ammoniaci* ana drachmam unam & ſemis. *Summitatum chamædryos* manipulum ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

℞ *Kinækinæ* ſemi-unciam. *Sennæ*, *ſalis cathartici amari* ana drachmas duas. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *foliorum cichorii ſylveſtris* manip. unum. *Summitatum centaurii minoris* manip. ſemis. Colaturæ adde *ſyrupi de gentianâ* uncias duas.

JUSCULUM.

℞ *Carnis vitulinæ* libram unam. *Corticis peruviani* triti drachmas duas. *Foliorum fumariæ* manip. unum. *Summitatum abſinthii minoris* pugil. unum. Bulliant ex arte in aquæ q. ſ. ad juſculum.

℞ *Carnis vervecinæ* uncias quatuor; carnem, ſanguinem & hepar *teſtudinis; corticis peruviani* drachmas duas. Coque in aquæ q. ſ. vaſe ritè clauſo. Adde ſub finem *foliorum hederæ terreſtris* manipulum ſemis.

VINUM.

℞ *Kinækinæ* in pulverem redactæ ab unciâ unâ & ſemis ad uncias duas.

FEBRIFUGA.

Vini rubri libras duas. Infunde per biduum in lagenâ ritè obturatâ, interdùm agitandâ. Doſis ab unciis duabus ad tres, pluriès per diem.

℞ *Kinækinæ* tritæ ſemi-unciam. *Radicis ſerpentariæ virginianæ* drachmas tres. Infunde per noctem in vini abſinthii libram unam. Doſis ab unciâ unâ ad duas.

℞ *Corticis peruviani* drachmas ſex. *Caſſiæ ligneæ* drachmas duas. *Salis tartari* drachmam unam. Infunde calidè per noctem in vini albi libris duabus. Doſis ab unciis duabus ad quatuor.

℞ *Corticis peruviani* unciam unam. *Radicum enulæ campanæ* ſemi-unciam. *Summitatum abſinthii minoris* manip. ſemis. *Limaturæ ferri rubiginoſi*, in nodulo, unciam unam. *Salis tartari* drachmam unam. Infunde per triduum in *vini albi* libras duas. Doſis ab unciis duabus ad quatuor.

℞ *Kinækinæ*, *baccarum lauri* ana unciam unam. *Radicum gentianæ* ſemi-unciam. *Foliorum cardui benedicti* manip. ſemis. *Aloës ſoccotrinæ* ſcrupulum ſemis. Infunde per noctem *in vini albi* libris duabus. Doſis ab unciis duabus ad quatuor.

℞ Pulveris *kinækinæ* drachmas ſex; *ſyrupi florum perſicorum* uncias tres; vini albi generoſi libram unam. Miſce pro tribus doſibus, quartâ quâque horâ exhibendis; priùs probè agitato liquore.

PULVIS.

℞ *Corticis peruviani* drachmam unam. *Florum chamæmeli* ſcrupulum unum; vel rhei grana duodecim. Miſce; fiat pulvis.

℞ *Radicum imperatoriæ* & *gentianæ* ana ſcrupulum ſemis. *Kinækinæ* drachmam unam. Miſce.

℞ *Corticis peruviani* & *rhei* ana grana quindecim. *Croci Martis aperientis* grana octo. Miſce.

℞ *Florum chamæmeli* ſemi-drachmam. *Antimonii diaphoretici*, *ſalis abſinthii* ana ſcrupulum ſemis. Miſce.

℞ *Salis ammoniaci* ſemi-drachmam. *Lapillorum cancrorum fluviatilium* ſcrupulum unum. Miſce; fiat pulvis exhibendus ante paroxyſmum.

℞ *Kinækinæ* drachmam unam. *Agarici* ſemi-drachmam. *Ireos Florentinæ* ſcrupulum unum. Miſce.

℞ *Salis polychreſti* ſcrupulos duos; *ſalis ammoniaci* ſcrupulum unum. Miſce; fiat pulvis, ter in die exhibendus, ſuperbibendo infuſum florum *chamæmeli*, vel centaurii minoris.

℞ *Camphoræ* grana tria; *nitri purificati* grana octo. Miſce; fiat pulvis quartâ quâque horâ, inter apyrexiam ſumendus.

BOLUS.

℞ *Corticis peruviani* drachmam unam. *Theriacæ veteris*, vel *confectionis de hyacintho* drachmam ſemis. *Salis ammoniaci* grana duodecim. Miſce; fiat bolus cum *ſyrupo abſinthii*.

FEBRIFUGA.

℞ *Pulveris florum chamæmeli* ſemi-drachmam. *Salis ammoniaci* ſcrupulum unum. Miſce ; fiat bolus cum *ſyrupo de gentianâ.*

℞ *Kinækinæ*, *diapruni* ana drachmam unam. Miſce ; fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum.*

℞ *Caſcarillæ* ſcrupulos duos. *Salis cathartici amari* ſcrupulum unum. *Tartari martialis* grana decem. Miſce ; fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio compoſito.*

℞ *Radicum gentianæ* ſemi-drachmam. *Jalapæ*, vel *pulveris Cornachini* ſcrupulum unum. Miſce ; fiat bolus cum *extracto abſinthii.*

℞ *Kinækinæ*, *gallarum* ana ad ſemi-drachmam. *Salis ammoniaci* ſcrupulum unum. Miſce ; fiat bolus cum *ſyrupo mercuriali.*

℞ *Florum chamæmeli* ſemi-drachmam. *Antimonii diaphoretici* & *ſalis abſinthii* ana grana decem. Miſce ; fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum.*

OPIATA.

℞ *Kinækinæ* ſemi-unciam. *Rhei* & *caſcarillæ* ana drachmas duas. *Salis ammoniaci* drachmam unam & ſemis. Miſce ; fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Corticis peruviani* drachmas ſex. *Rhabarbari* drachmas duas. *Salis ammoniaci* drachmam unam. Miſce ; fiat bolus cum *ſyrupo roſato ſolutivo*, pro decem doſibus.

℞ *Kinækinæ* ſemi-unciam. *Caſcârillæ* & *ſennæ* ana drachmas duas. *Salis ammoniaci* drachmam unam & ſemis. *Ireos Florentinæ* & *florum chamæmeli* ana drachmam unam. Miſce ; fiat opiata cum *ſyrupo de rhamno.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Corticis peruviani* unciam unam. *Croci martis* & *rhei* ana drachmas duas. *Salis ammoniaci* & *cathartici amari* ana drachmam unam. *Diacrydii* drachmam unam & ſemis. Miſce ; fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio cum rheo.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Croci martis*, *kinækinæ* ana unciam ſemis. *Caſcarillæ* & *rhei* ana drachmas duas. *Salis ammoniaci* drachmam unam. *Agarici trochiſcati* drachmam unam & ſemis. Miſce ; fiat opiata cum *ſyrupo florum perſicorum.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Kinækinæ* unciam ſemis. *Caſcarillæ* ; *florum chamæmeli* & *cremoris tartari* ana drachmas duas. Miſce ; fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio cum rheo.* Pro decem doſibus.

℞ *Corticis peruviani* unciam unam. Pulveris *florum chamæmeli* drachmas tres. *Extracti centaurii minoris* & *juniperi* ana drachmam unam. *Nitri* drachmam unam & ſemis. Miſce ; fiat opiata cum *ſyrupo de limonibus.* Doſis à drachmâ unâ ad drachmam unam & ſemis.

℞ Pulveris *centaurii minoris* & *abſinthii* ana unciam unam. *Myrrhæ* & *extracti juniperi* ana drachmas ſex. E probè mixtis fiat opiata cum *ſyrupo de gentianâ.* Doſis à drachmâ unâ ad drachmam unam & ſemis, ſingulis trihoriis.

Febrifuga. ℞ *Corticis peruviani* unciam ſemis. *Rhei* & *caſcarillæ* ana drachmas duas. *Salis ammoniaci* drachmam unam. Fiat ex arte opiata cum *ſyrupo abſinthii*, cujus doſis ad drachmam unam & ſemis; bis quolibet die à febre immuni: ad quartanam.

PILULÆ.

℞ *Extracti centaurii minoris* drachmas tres. *Corticis peruviani* drachmas duas. *Florum ſalis ammoniaci* drachmam ſemis. Miſce; & fiant pilulæ cum *ſyrupi de gentianâ* q. ſ. Doſis ab ſcrupulis duobus ad drachmam unam, pluriès de die pro more iteranda.

COMMENTARIA.

(1.) Pentaphyllum vulgatiſſimum, Parkins. Quinquefoliummajus repens, C. B. pin. (*Quintefeuille*).

Notiſſima eſt hujuſce plantæ integræ vis febrifuga: præterquàm, inter vulneraria & adſtringentia haud infimum locum obtinet: ideò ſummè proficua cenſetur in mictu cruento; necnon catameniorum & hæmorrhoïdum fluxu immodico. Radix utplurimum in uſum trahitur à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam in ſubſtantiâ, vel ad unciam unam pro librâ unâ apozematis, aut ptiſanæ libris duabus. Quoad uſum externum, hujuſce plantæ decoctum ſaturatum, gargariſmatis inſtar, ad oris exulcerationem adhibetur.

(2.) *Gentiana* major lutea, C. B. pin. (*Gentiane*).

Radix, etſi ſaporis haud ingrati, intensè amaricat. Præter vim febrifugam, olim ſummè celebratam, inter ſtomachica, roborantia & anthelmintica numeratur; nec virtute aperiente, diureticâ & emmenagogâ deſtituitur. Alexiterii inſtar à quibuſdam deprædicatur contrà morſum rabidorum & venenatorum; ſed huicce fidere præſidio incautum foret. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad duos, & à drachmâ unâ ad duas, in infuſo pro quâque librâ aquæ. In officinis proſtat extractum, à granis quindecim ad ſemi-drachmam exhibendum. Gentiana extrinſecùs etiam adhibetur, tanquàm detergens & antiputridum præſtantiſſimum. Cæterùm, ſpongiæ præparatæ inſtar, inſervit hæc radix fungoſa ad dilatanda ulcera ſinuoſa.

(3.) *Viperina*, vel *Serpentaria virginiana*, eſt radix fibroſa, fragrantiſſima, ſapore ſubacri & amaro, ad quamdam ariſtolochiæ americanæ ſpeciem referenda. Haud infimum locum obtinet inter febrifuga etiam præſtantiora; hoc præſidio febres quartanæ pertinaciores, kinækinæ obſurdeſcentes, ſæpiùs feliciter ablegantur. Radices angelicæ, imperatoriæ, aliaſque aromaticas ſuperare videtur ad refocillanda viſcera, præſertim ſtomachum & cerebrum: cujus ratione ſubingreditur celebratiſſimum pul-

verem de chelis cancrorum. Nec hiſce proprietatibus continetur : quin potiùs ſummum auxilium, tonici inſtar, præſtat in hydrope ; nec exiguam laudem meretur ad arcendam verminoſam putredinem. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam in ſubſtantiâ ; ſic præſcribitur contrà febrem intermittentem, & duabus horis ante paroxyſmum exhibetur : ad duplum recipitur pro hauſtu infuſionis. FEBRIFUGA.

(4.) *Argentina* Dodonæi. Pentaphylloïdes argenteum alatum, ſeu potentilla, Inſt. rei herb.

Integram plantam vi febrifugâ inſtrui, apud omnes in confeſſo manet : rarò tamen in hunc ſcopum uſurpatur. Sed nonnunquàm pro adſtringente exhibetur contrà hæmorrhagiam, alioſque fluxus cruentos ; ad diarrhœam, fluorem album, &c. Succus ab unciis tribus ad quatuor febricitantibus propinatur. Folia verò ad manipulum unum pro quâque librâ decocti vel infuſi adſtringentis, & ad duplum pro gargariſmate præſcribuntur.

(5.) *Centaurium* minus, C. B. pin. (*Petite centaurée*).

Hanc ſtirpem vulgatiſſimam & ſummè amaricantem ad fugandas febres intermittentes, vix cortici peruviano cedere, nemo niſi præjudiciis obcæcatus inficias ibit. Prætere à inter ſtomachica roborantia & vermifuga primatum quaſi ducit : plurimùm proficua cenſetur ad reſerandas obſtructiones ; & menſium, hæmorrhoïdumve fluxum revocandum ; nec inter depurantia ultimum gradum obtinet. Idcircò conducit ſub cachexiâ, chloroſi, ictero, hydrope, arthritide, innumeriſque aliis affectibus chronicis ; nec deſunt qui prædictam plantam intùs exhibitam, vel extùs admotam pro ſpecifico adversùs morſum rabidorum ſummè celebrant ; penès quos ſit fides. Summitates floridæ tantùm uſurpantur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam in ſubſtantiâ ; vel ad duplum in infuſo aut decocto ex aquâ vel vino : recentes verò ad manipulum ſemiſſem pro quâque librâ aquæ. Quoad uſum externum ; vulnerariorum & detergentium ſelectiorum & uſitatiorum ſeriem ſubit. Cæterùm è totâ plantâ pyrotechniæ ope extrahitur ſal, non ſecùs ac ex abſinthio ; quod eâdem ratione præſcribitur. *Vid.* Abſinthium, ſal lixiviale & ſal eſſentiale.

(6.) *Chamædrys* minor repens, C. B. pin. (*Germandrée* ou *petit chêne*).

A poſtremâ, ratione amaritiei & virium medicarum, vix diſcrepat hæc planta ; nec minores laudes meretur contrà febrem intermittentem, vel ipſammet quartanam ; adversùs ſtomachi, aliarumve partium atoniam ; ad lumbricos enecandos, infarctum viſcerum reſolvendum, & dyſcraſiam ſanguinis emendandam. Ideò plurimùm valet in cachexiâ, ſcorbuto & chloroſi, in fluore albo, arthritide, morbis cutaneis, &c. nonnullis demùm aſthmaticis auxilio fuit. Adde quòd reſolvente interno, poſt caſum ab alto, fauſtè uſurpatur. De doſi & uſu externo nil addimus, ne recoctam crambem apponamus.

(7.) *Nuclei perſici*, (*noyaux de pêche*), inſigni amaritie præditi, à pluribus fauſtè uſurpantur, tàm ad profligandam febrem, quàm ad vermes enecandos. A drachmis duabus ad tres emulſionis formâ exhiberi ſo-

lent. Oleum ex illis extractum ad tinnitum aurium commendatur.

FEBRIFUGA. (8.) *Kinamkinam* vel *corticem peruvianum*, (*Quinquina*), præbet arbor quædam ſpontè naſcens in Americâ Meridionali, cujus deſcriptionem & iconem videre licet in Actis Academiæ Regiæ Scientiarum. Uberiorem proſtare hujuſce corticis ſpurii & adulterati proventum jam ſuprà notavimus: ideò ſelectu opus eſt, & in hoc verſatur præcipuum curationis momentum. Ne igitur decipiat affinitas, ſcire expedit legitimum hunc corticem, cujus fruſtula, nunc craſſa, nunc tenuia occurrunt, intensè amaricare, & quidpiam aromatici præ ſe ferre, cum odore quaſi mucido; colore rufo ad cinnamomum accedere, facilè demùm dentibus atteri, etiamſi ejus ſit denſa compages. Corticem hujuſce notæ recentem præſtantiorem febrifugum ultrà omnem dubii aleam poſitum eſſe videtur. Aliàs non ſolùm pro inerte, vel etiam pro nocivo haberi debet. Hoc præſidio non ſolùm fugantur febres intermittentes, vel continuæ ab ipſis degeneres; ſed etiam nonnullæ alterius ſortis, præmiſſis univerſalibus, profligantur. Præter vim febrifugam, aliis præclaris dotibus inſtruitur hic cortex exoticus; etenim pro tonico, ſtomachico & laxante, antiſpaſmodico & antiſeptico proſpero ſucceſſu ſæpiſſimè uſurpatur: ideò debiliorem ſtomachum refocillat: digeſtiones redintegrat; alvum plus æquo conſtrictum haud raro reſerat, præſertim ſi exhibeatur in ſubſtantiâ; ſudoribus nocturnis nonnunquàm medetur; inſultus hyſtericos, imò & epilepticos, ſi cephalicis ſocietur, aliaſque convulſiones periodicas ſiſtit; putredinem arcet, ſcorbuticis prodeſt, & gangrænæ à dyſcraſiâ ſanguinis ortæ curam ſæpiùs abſolvit. Doſis in ſubſtantiâ à granis decem ad drachmam unam, & ad duplum in decocto, quo abſumi debet dimidium circiter aquæ. Præterea infunditur per biduum ad unciam unam in vini libris duabus, cujus hauſtus uncias tres vel quatuor minime excedere debet. Silentio minime prætermittendum quòd majorem hujuſce corticis doſim, à ſemi-unciâ ſcilicèt ad unciam unam, in ipsâmet febre malignâ præſcribere ſoleant nonnulli, inter exteros, famigeratiſſimi Medici: ſed paucos eſſe reor apud Noſtrates qui illud audeant experiri. Proſtat in officinis extractum, notiſſimâ arte paratum, cujus doſis à granis duodecim ad ſemidrachmam. Aliud tritu juxtà novam methodum conficitur, ſub titulo ſalis *de la Garraye*, cujus præſtantia in hoc ſolo poſita eſt, quòd minori doſi, à granis ſcilicèt octo ad viginti exhibeatur. Paratur demùm ſyrupus de quo infrà: ſed per tranſennam notare lubet hujuſce corticis pollinem ſincerum efficaciorem & tutiorem jure cenſeri, decoctis, extractis, aliiſque præparationibus officinalibus, quæ id omne quod remedio proprium eſt minime cuſtodiunt.

Kinakina quâcumque formâ præcipiatur, per ſe vel catharticis ſociata, inter curandas febres intermittentes, primò ter, quater & ultrà per diem, ad drachmam circiter unam ſumitur, donec fugetur paroxyſmus: poſteà bis vel ſemel in die; & demùm alternis diebus. Ejus uſus à cohibitâ febre ad quindecim vel viginti dies eſt protelandus, ut præcaveatur regreſſus:

etenim

etenim ab errore in diætâ, ab admiſſo frigore matutino, aut veſpertino; ab exhibito cathartico, aut ab aliâ quâcumque causâ febris revocatur, & curanti ſæpiùs grave faceſſit negotium. Quod ad uſum externum attinet; è cortice peruviano ad unciam unam decocto, paratur enema febrifugum, quod pluriès per diem iteratum, febrem profligare valet. Inſuper cuti admotus hic cortex, cataplaſmatis inſtar, pro ſummo præſidio adversùs gangrænam à prioris ſubſellii practicis jure habetur. Coronidis loco addere juvat haud omnibus congruere kinækinæ uſum internum; quin potiùs ſummam noxam nonnullis affert, ſi præpoſterè, majori copiâ, vel pravæ indolis exhibeatur. Vetatur ſi intensè rubræ mingantur & maneant urinæ. Ab illo abſtinendum ſi paroxyſmi ſint ſolito longiores, vel tardiùs recurrant; ſi frigoris & ſudoris ſint expertes. Exhinc colligitur haud ſine cautelâ præcipiendum eſſe corticem peruvianum; pace clar. TRILLERI, qui de egregiis hujuſce febrifugi viribus hyperbolicè, ni fallor, ſcripſit: omnis, inquit laudatus Author, in hoc ſolo cortice eſt ſalus, omneque præſidium & ſacra quaſi anchora: ſed ad immenſas hujuſce febrifugi laudes meritò decantandas, profectò nec dies ſufficit, nec menſis nec annus; imò vix integrum ſæculum; ſicuti ad deſcribendas innumeras virtutes ipſius, non paginæ, non libelli aut libri; ſed ſpatioſa potiùs volumina omninò requiruntur.

FEBRIFUGA.

(9.) *Caſcarilla*, vel kinakina aromatica (*Chacril*), eſt cortex cujuſdam Ricinoïdes Americanæ, de quâ CATESBI. Sapore gaudet amaricante & aromatico; atque fumum excitat, ſi comburatur, ſuaviſſimum, ad odorem moſchi, vel ambræ cineritiæ accedentem. Specifici nomen ſibi vindicat, non ſecùs ac kinakina adversùs febres intermittentes; imò & ſæpiùs incaſsùm adhibitâ hâc poſtremâ, inter febris quartanæ curationem ad caſcarillam quaſi ad ſacram anchoram confugere cogimur, quæ plures in hoc caſu fauſto beavit eventu Nec minùs deprædicatur ad perdomandas intermittentes malignas & epidemicas: hanc etiam nonnulli ſuadent adversùs tuſſim catarrhalem epidemicam, ſed refractâ doſi. Inſuper inter roborantia, antiſpaſmodica, aperientia & diaphoretica haud infimum locum obtinet: ideò juvamen præſtat in cachexiâ, ſcorbuto, affectibus hyſtericis, fluore albo, &c. Sed ſub hoc conſpectu rarò à noſtratibus uſurpatur. In infuso vinoſo præſcribitur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam: in ſubſtantiâ verò à granis quindecim ad ſemi-drachmam & ultrà. Utplurimùm ſociatur kinækinæ, ad utriuſque ſemi drachmam; ſub boli formâ, cui mane plerique addere ſolent pulverem cornachinum à granis viginti ad triginta.

(10.) *Aquæ Borbonienſes Anſelmienſes* (*de Bourbon-Lancy*), oppidi Ducatûs Burgundiæ ad Ligerim fluvium, ſeptem leucis à Molino (*Moulins*) remoti, versùs ortum, & ſeptuaginta novem leucis à Lutetiâ, intentiſſimè calent; atque odoris & ſaporis ſunt expertes, licèt bituminoſæ & ſulphureæ cenſeantur. Ad febres pertinaciores proſperè uſurpantur, atque hâc virtute cæteras thermales, quæ eâdem mente adhibentur, antecel-

FEBRIFUGA.

lunt. Prætereà alvum laxant; diureſim, menſes & perſpirationem movent. Temperantium demùm, aperientium & tonicorum claſſem ſubeunt: imò conducunt in cachexiâ œdematosâ, debiliorem ſtomachum reſtituunt, diarrhœæ contumaciſſimæ medentur, in fluore albo & ſterilitate laudantur, & aſthmaticis proſunt. Per novem vel duodecim dies propinantur à libris duabus ad quatuor. Poſt ſolitos effectus, juſculum pulli exhibere acceptus mos eſt, nec inopportunè. Extùs denique admoventur, irrigatione ab alto vel balneo, ad paralyſim, tremorem, rheumatiſmum, contracturam, morbos cutaneos, &c.

(11.) *Sal ammoniacum*, quod in noſtris officinis proſtat, & ab illo veterum planè diverſum ſapore acri & admodùm ingrato, conſtare videtur è connubio ſalis urinoſi & marini. In Ægypto & locis vicinioribus ſublimationis beneficio paratur, è fuligine vulgatiſſimâ, quæ prodit è combuſtis excrementis variorum animalium, & imprimis camelorum, quæ ob ligni raritatem ad focos domeſticos uſurpantur. Sal ammoniacum rursùs purgatur ad uſum internum, diſſolutione ſcilicèt in aquâ tepidâ, è quâ notiſſimâ arte emergunt cryſtalli. Præſtantiſſimum eſſe febrifugum experientiâ quotidianâ comprobatur, inter curandam etiam febrem quartanam. Prætereà in aperientium, incidentium & diaphoreticorum claſſi, nemine refragante, præcipuum locum meretur. Ejus doſis à granis duodecim ad ſemi-drachmam exſurgit. Inſuper egregium reſolvens & antiputridum externum uſitatiſſimum præbet, ſi diſſolvatur in urinâ, aquâ vulnerariâ, vel quovis alio liquido. Nec ſilentio prætermittere debemus ſingularem ſalis ammoniaci efficaciam ad refrigerandam aquam. *Vide* flores martiales & ſpiritus ſalis ammoniaci.

(12.) *Syrupus de kinâkinâ* paratur hujuſce corticis infuſione per triduum in vino albo vel aquâ: poſt levem ebullitionem trajicitur, & demùm juxtà ſolitum proceſſum cum ſaccharo coquitur. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemiſſem pro adulto: reſpectu infantum quos præſertim ſpectat hoc febrifugum, ratione ætatis eſt dirigenda. De utendi modo nil addimus, cùm ex ſuperiùs allatis abundè pateat.

Depuran-tia.

DEPURANTIA.

Hoc titulo haud planè inaudito, etſi apud Authores Latinos inſolito, inſigniuntur hæc medicamina, quæ ſanguinis & humorum maſſam emendare & mundificare, vel purgare valent à materiebus extraneis, heterogeneis aut pravæ indolis, quæ œconomiæ animali diverſas noxas afferunt. Sub quo conſpectu, id genus remedia (*les dépurans*), quæ profert hæc claſſis, in uſum quotidianum trahuntur contrà affectus cutaneos, venereos, ſcorbuticos, arthriticos, rheumaticos, &c. adeò ut hanc claſſem maximi ſanè quidem eſſe momenti conſectarium ſit. Silentio premere minime debemus quod in cimmeriis tenebris lateat horum agendi modus: nùm enim deleterias moleculas foràs per ſolita incernicula ſenſim ablegando, vel illorum indolem quocumque modo immutando ſuos affectus exerant, & ſanguinem quaſi defæcent? dubitare licet. Sed hanc ſcientiam theoreticam parvi ducunt ſaniores practici, dummodò ipſis innoteſcant morbi, qui horum præſidio, cæteris conſentientibus, averruncari patiuntur. Temperantia duntaxàt uſitatiora & ſelectiora exhibere animus eſt; cùm in immenſum creſceret pagina, ſi omnia quæ hiſce muniis adimplendis apta nata cenſentur, hùc attexeremus.

EMPORETICA.

Radices lapathi (1), bardanæ (2), urticæ, helenii, gentianæ, carlinæ (3); china radix, ſalſa parilla, rheum, contrayerva.

Folia fumariæ (4), lapathi, cichorii, taraxaci, eupatorii, agrimoniæ, cerefolii, veronicæ (5), lupuli, hederæ terreſtris, abſinthii majoris & minoris, chamædryos, centaurii minoris, becabungæ, berulæ, cochleariæ, naſturtii. Herbæ capillares, epithymum (6), hepatica.... Cortex tamariſci, fraxini.... Lignum guaiaci, ſaſſafras, juniperi.... Cancri fluviatiles (7), aſelli, vipera (8), ſerpens (9).... Cornu cervi, lac, ſerum lactis.... Aquæ Selteranæ (10), Spadanæ (11), Yſallenſes (12), Amandinæ (13), Vervonenſes (14), &c. Hydrargyrus, cinnabaris, antimonium, ſulphur.

DEPURANTIA.

OFFICINALIA.

AQUA bardanæ, fumariæ.... Aqua picea. Priſana Callac ([15]). Priſana Vinache ([16]). Syrupus de cichorio, mercurialis, de cochleariâ, antiſcorbuticus.... Extractum fumariæ.... Pilulæ mercuriales ([17]).... Reſina guaiaci. Magiſterium ſulphuris.... Terra foliata tartari. Arcanum duplicatum.... Antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii.... Æthiops mineralis, aquila alba, panacea, turpethum minerale, arcanum corallinum.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ RADICUM *lapathi* uncias duas. Leviter bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Infunde *liquiritiæ* ſemi-unciam. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Antimonii crudi*, in nodulo, uncias ſex. *Salſæ parillæ* minutim ſectæ uncias duas. Infunde calidè per viginti quatuor horas in aquæ libris octo; coque demùm ad libras quatuor; & cola pro uſu. Doſis, non ſecùs ac ſequentis, à tribus ad ſex cyathos, ſingulis diebus, ad morbos venereos.

℞ *Radicum chinæ* & *bardanæ* ana unciam unam. *Raſuræ ligni guaiaci* ſemi-unciam. *Antimonii crudi*, in nodulo, uncias quatuor. Infunde calidè per noctem in aquæ libris octo. Coque demùm ad libras ſex.

℞ *Radicum bardanæ* uncias quatuor; *nitri* drachmas duas. Coque in ſ. q. aquæ ad libras quatuor.

SERUM LACTIS.

℞ *Seri lactis* optimè clarificati uncias duodecim. *Folior. fumariæ* manip. unum. Leviter bulliant, & adde, ſi velis, *ſacchari* ſemi-unciam, pro duplici doſi.

℞ *Aſellos lotos*, numero octo. Coque leviter in *ſeri lactis* q. ſ. ad uncias octo. Colaturæ adde *ſucci naſturtii depurati* uncias duas. *Sacchari cryſtallini* drachmas duas, pro hauſtu.

℞ *Foliorum eupatorii cannabini* manip. duos. *Foliorum fumariæ* manipul. unum. Coque leviter in *ſeri lactis* q. ſ. ad libras duas. Colatura ſervetur ad uſum; ad morbos cutis.

DEPURANTIA.

INFUSUM.

℞ *Summitatum chamædryos, centaurii minoris* & *chamæpityos* ana manipulum ſemis. Infunde calidè per noctem in aquæ libris quatuor. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis duabus ad tres.

APOZEMA.

℞ *Radicum lapathi acuti* uncias duas. *Folior. ejuſdem*, & *ſummitatum lupuli* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *ſyrupi de cichorio* uncias duas.

℞ *Radicum lapathi* & *bardanæ* ana unciam unam. *Radicum ſiccarum enulæ campanæ* drachmas duas. *Foliorum fumariæ* & *ſcabioſæ* ana manipulum unum. *Antimonii* triti, in nodulo, uncias duas. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *ſyrupi mercurialis* uncias duas.

℞ *Radicum helenii* & *polypodii* ana ſemi-unciam. *Fol. agrimoniæ* & *fumariæ* ana manip. unum. *Florum centaurii minoris* & *geniſtæ* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde cuique doſi, *ſucci fumariæ* & *ſacchari* ana drachmas duas.

℞ *Polypodii* quercini unciam unam. *Raſuræ guaiaci* & *ſalſæ parillæ* minutim ſectæ ana drachmas ſex. *Foliorum orientalium* ſemi-unciam. *Salis tartari* drachmas duas. *Antimonii* triti, in nodulo, uncias quatuor. Infunde per noctem in aquæ q. ſ. & bulliant mane ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Raſuræ guiaci*, *radicum ſcorſoneræ* ana unciam unam *Paſſularum* exacinatarum ſemi-unciam. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *ſummitatum chamædryos* manip. unum. *Florum roris marini* manip. ſemis. Colatura ſervetur pro uſu arthriticorum.

JUSCULUM.

℞ *Pullum juniorem* : *cancros fluviatiles* numero tres : *radicum enulæ campanæ* drachmas ſex : *foliorum fumariæ* manip. unum. Fiat ex arte juſculum.

℞ *Radicum lapathi* recentium unciam ſemis. *Radicum helenii* ſiccarum drachmam unam. *Aſellorum* lotorum & contuſorum, num. decem. *Naſturtii aquatici* manip. unum. Fiat juſculum cum pullo.

℞ *Coxas quatuor ranarum* ; *cancros fluviatiles*, numero duos ; *radicum chinæ* drachmam unam ; *foliorum cichorii ſylveſtris* manip. unum. Fiat ex arte juſculum ad herpetes.

℞ *Carnis vitulinæ* libram unam ; *cancros fluviatiles*, num. quatuor. *Foliorum cichorii ſylveſtris*, & *naſturtii aquatici*, ana manip. unum. Coque ex arte in aquæ q. ſ. Sub finem adde *foliorum cerefolii* pugillum unum. Ad arthritidem.

℞ *Carnis vitulinæ* ab adipe & membranis purgatæ libram unam. Bulliat

DEPURANTIA.

in aquæ q. ſ. ad dimidiæ partis conſumptionem. Dein adde *radic. recentium lapathi* ſemi-unciam. *Folior. borraginis* & *fumariæ* ana manipulum ſemis. Fiat ex arte juſculum.

♃ *Cancros fluviatiles* lotos & contuſos numero duodecim. Coque in aquæ q. ſ. Adde ſub finem *foliorum fumariæ* & *cichorii* ana manipulum ſemis.

♃ *Carnis vitulinæ* libram ſemis. *Viperam* pelle denudatam, reſectis capite & caudâ, vel *carnis ſerpentis* uncias quatuor. *Folior. borraginis* & *cerefolii* ana manip. unum. Aquæ uncias quatuor. Coque in balneolo per horas quatuor. Cola, & exprime.

♃ *Pullum* pelle denudatum; *radicum chinæ* contuſæ drachmam unam. *Folior. naſturtii aquatici* & *cichorii* ana manip. ſemis. Coque ex arte in aquæ q. ſ. Sub finem adde *aſellos lotos* & contuſos numero triginta. Cola & exprime.

♃ *Radicum chinæ* drachmas duas. *Cancros fluviatiles* numero quatuor. *Millepedum* lotorum & contuſorum paria ſex. *Fol. fumariæ, cerefolii* & *cichorii* ana manip. ſemis. Bulliant ex arte in aquæ q. ſ. pro juſculo.

♃ *Salſæ parillæ* & *chinæ* ana drachmam unam. *Fol. fumariæ* & *linguæ cervinæ* ana manipul. ſemis. Bulliant, ut artis eſt, in aq. q. ſ. cum fruſtulo *carnis vitulinæ*. Colaturæ adde *arcani duplicati* drachmam ſemis.

PULVIS.

♃ *Radic. carlinæ* drachmas duas. *Corticis ligni ſaſſafras* drachmam unam. Miſce; fiat pulvis pro quatuor doſibus.

♃ *Pulveris viperini* ſcrupulum unum. *Aſellorum præparatorum* grana duodecim. Miſce; fiat pulvis.

♃ *Nitri purificati* drachmas duas. *Pulveris viperini* & *lumbricorum terreſtrium* ana drachmam unam. *Cinnabaris antimonii* ſemi-drachmam. Miſce; pro pulvere, cujus doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam.

♃ *Rad. gentianæ* & *ariſtolochiæ rotundæ* ana unciam unam. *Summitatum centaurii minoris* & *chamæpityos* ana man. unum. Miſce; fiat pulvis. Doſis ad drachmam unam.

♃ *Florum ſulphuris* uncias duas. *Antimonii diaphoretici* unciam unam & ſemis. *Ariſtolochiæ rotundæ* unciam unam. *Myrrhæ rubræ* unciam ſemis. Miſce; fiat pulvis ſubtiliſſimus, cujus doſis ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulum unum; ſuperbibendo hauſtum congruum. Adversùs ſcabiem.

BOLUS.

♃. *Florum ſulphuris* grana decem. *Panaceæ* grana ſex, vel *aquilæ albæ* grana decem. Cùm *extracto fumariæ* fiat bolus azymo involvendus.

♃ *Æthiopis mineralis* fuſi & uſti grana duodecim. *Antimonii diaphoretici* grana decem. *Pulveris viperini* grana octo. Cum *ſyrupo de gentianâ.* Fiat bolus exhibendus cum nebulâ.

OPIATA.

Depurantia.

℞ *Croci martis aperientis, millepedum præparatorum, æthiopis mineralis*, ſine igne parati, ana ſemi-unciam. *Catechu* & *reſinæ guaiaci* ana drachmas duas. Miſce; fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio*. Doſis ad drachmam unam ante juſculum pulli.

℞ *Salſæ parillæ* unciam unam. *Chinæ radicis* ſemi-unciam. *Cinnabaris factitiæ, antimonii diaphoretici* ana drachmas duas. *Rhei* & *jalapæ* ana drachmam unam. Miſce; fiat opiata cum *ſyrupo mercuriali*. Doſis ad drachmam unam.

PILULÆ.

℞ *Antimonii crudi* drachmas duas. *Æthiopis mineralis* fuſi & uſti, *gummi ammoniaci* ana drachmam unam. *Terebinthinæ chiæ* ſcrupulos duos. Miſce; fiant ex arte pilulæ cum ovi vitello. Doſis ab ſcrupulo uno, ad duos.

℞ *Rhei* & *myrobolan.* citrinor. ana unciam unam. *Aloës ſoccotrinæ* & *gummi ammoniaci* ana drachm. ſex. *Tartari ſolubil.* ſemi-unciam. Miſce; fiant pilulæ cum *ſyrupo fumariæ*. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos. Ad morbos cutis pruriginoſos.

COMMENTARIA.

(1.) LAPATHUM folio acuto plano, C.B. pin. (*Patience*).

Cæteris præfertur hæc ſpecies; licèt plures aliæ occurrant ubique, quæ iiſdem viribus pollere videntur. Radix recens uſurpatur tanquàm depurans & temperans eximium, quod mira præſtat in affectibus cutaneis. Alvum inſuper laxat; obſtructiones reſerat; ſcorbuticis prodeſt, ictericis ſuccurrit, cachecticis opem confert, &c. Doſis in infuſo vel decocto à ſemi-unciâ ad unciam unam pro juſculo, librâ unâ apozematis, vel ptiſanæ libris duabus. Extùs admota pro optimo reſolvente & detergente habetur, & ſub hoc conſpectu contrà pruritum, herpetem, varioſque cutis affectus fauſtè adhibetur.

(2.) *Bardana*, ſive lappa major, Dod. Lappa major, arctium Dioſcorid. C. B. pin. (*Bardane* ou *Glouteron*).

Radix quâdam amaritie prædita, cum levi ſtypticitate, præter vim depurantem; inter tonica, alexiteria, diaphoretica, diuretica & antiſpaſmodica celebratur. Ideò prodeſſe fertur in lue venereâ, ſcorbuto, arthritide, rheumatiſmo; variiſque aliis affectibus, qui à concitatâ diaphoreſi miteſcere ſolent. Haud diſſimili ratione laudatur, non ſecùs ac ſcorſonera, in nonnullis variolarum, & febrium malignarum ſpeciebus. Poſtremò hyſ-

DEPURANTIA.

tericis opitulatur, menſes & lochia movet; atque in hunc finem puerperis etiam propinatur, nec infelici ſucceſſu. Radix recens præſcribitur ad unciam unam pro decocti librâ unâ; & ad dimidium, ſi ſicca uſurpetur. In ſubſtantiâ verò à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Sed rariſſimè hoc modo ſumitur. Semen bardanæ renum incernicula reſerat, & ſub hoc ſcopo à drachmâ unâ ad tres emulſionis formâ exhibetur, vel pulvis ad drachmam unam in decocto parietariæ diluitur. Inſuper radix & folia crebrò in uſum externum veniunt, tanquàm reſolventia: radix cataplaſmatis ſpecie, partibus contuſis fauſtè admovetur: folia verò infarctus œdematoſos fugare; atque in arthriticis doloribus inducias inducere valent.

(3.) *Carlina* acaulos magno flore, C. B. pin. (*Carline*).

Radix ſicca, odore graveolente, & ferè ſaporis expers; Veterum encomio celebrata, vix à Noſtratibus in uſum trahitur. Verumtamen inter ſanguinem emendantia, diaphoretica & alexiteria jure recenſetur. Sed à nonnullis tantummodò uſurpatur adversùs herpetem, alioſque affectus pruriginoſos. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo aut decocto.

(4.) *Fumaria* officinarum, C. B. pin. (*Fumeterre*).

Hæc herba vulgatiſſima, cui ineſt haud levis amarities, inter depurantia & hepatica præſtantiora, nemine refragante, celebratur. Nonnunquàm alvum laxat, obſtructiones blandè reſerat, menſes & urinas movet Creberrimi eſt usûs, & ſpecificum quaſi audit remedium, in herpete, ſcabie, aliiſque congeneribus morbis, necnon in variis chronicis, ab infarcto hepate oriundis. Ideò præſentaneam opem fert cachecticis, melancholicis, ſcorbuticis, &c. Ad manipulum unum præſcribitur in infuſo, vel levi decocto pro quâque librâ aquæ vel ſeri lactis. Succus propinatur ab unciis duabus ad tres. Extractum exhibetur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Servatur demùm in officinis aqua diſtillata.

(5.) *Veronica* major ſupina & vulgatiſſima, C. B. pin. (*Véronique*).

Latiſſimus fuit hujuſce plantæ uſus, adeò ut vix occurrat morbus in cujus medelam haud fuerit adhibita. Mirari profectò ſubit quòd inter tot, tantaſque proprietates, quas ipſi tribuerunt Veteres, nulla fermè ſit, de quâ haud dubitare liceat. Inter depurantia & blandè aperientia ab omnibus recenſetur: morbis pectoris dicatur: nec virtute vulnerariâ & reſolvente, intùs ſumpta, vel extùs admota, deſtitui creditur; ut de aliis dotibus taceamus: addere licet ſæpiùs in duplicem uſum trahi, adversùs morbos cutaneos. Folia nonnihil amaricantia præſcribuntur in infuſo, inſtar the. Eorum verò decoctum, pro lotione reſolvente & detergente, proſpero ſucceſſu ſæpiùs uſurpatur.

(6.) *Epithymum*, Matthioli. Cuſcuta, Inſt. rei herb (*Epithym*).

Licèt hæc planta, omnium tenuior, ſpontè ubique creſcat; ſola tamen exotica, cretica ſcilicèt & veneta, in uſum medicum trahitur. Pro depurante & mitiori aperiente habetur: ideò valet in arthritide, rheumatiſmo, cachexiâ ſcorbuticâ, &c. blandiori prætereà vi catharticâ gaudet; & hâc

notâ

notâ prodeſt melancholicis, qui de alvo adſtrictâ conqueruntur. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo aut decocto.

DEPURANTIA.

(7.) *Cancri fluviatiles* inter depurantia, diuretica, & pectoralia celebrantur; & familiariſſimè uſurpantur ſub morbis cutaneis, infarctu renum, aſthmate, phthiſi, &c. In aquâ fervente loti & contuſi per horam coquuntur à duobus ad ſex in juſculo. Licèt per totum anni curriculum, annonæ inſtar, venales proſtent; haud tamen in uſum medicum vocantur, niſi ſecundâ tempeſtate. Paratur è cancris in clibano exſiccatis pulvis qui tanquàm abſorbens præſcribitur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam: ſed major eſt efficacia lapillorum cancrorum, de quibus ſuo loco. Chelæ cancrorum, quæ in officinis ſervantur, ſunt forcipes cruſtacei marini, quarum pulvis iiſdem pollet viribus & ſimili modo uſurpatur.

(8.) *Viperâ* è trunco integro, cute detractâ, vel ejus dimidiâ parte, paratur juſculum quod præſtantiſſimum cenſetur ad depurandum ſanguinem, & diaphoreſim promovendam. Viperis ineſſe vim analepticam haud falsò conjicitur. Ideò mira præſtant in affectibus rheumaticis & cutaneis: proſunt ſcorbuticis; conducunt in ſcrophulis; nec inutilem opem conferunt paralyticis, vel ſenio confectis. Imò & proficua eſſe, uti nonnulli exiſtimant, adversùs cæcitatem, à nervi optici reſolutione ortam, rationi conſentaneum videtur. E trunco, hepate & corde exſiccatis conficitur pulvis viperinus; de quò alibi; non ſecùs ac de ſale volatili, &c.

(9.) *Serpens* ſive anguis. (*Couleuvre*).

Ad viperam proximè accedit, ratione virium medicarum, idcircò ejus caro ab unciis tribus ad quatuor, ingreditur juſcula depurantia & diaphoretica; quæ, experientiâ duce, vix cedunt viperinis. Cæterùm axungiam præbet anguis, quæ inter topica anodyna & reſolventia primatum quaſi ducit; & crebrò adhibetur ad demulcendos dolores rheumaticos, arthriticos, &c.

(10.) *Aquæ Selteranæ*, (*de Seltz*), urbeculæ inferioris Alſatiæ, ad Rhenum, novem leucis versùs Aquilonem ab Argentorato, (*Strasbourg*), recedentis. Frigidæ ac ſapore lixivioſo præditæ, inter depurantia locum obtinent. Inſuper diureſim promovent & alvum comprimunt. Lacti ſociatæ conducunt in morbis pectoris; egregiè ſe gerunt in rheumatiſmo & arthritide; proſunt hypochondriacis & hyſtericis; ac demùm fauſtè uſurpantur contrà morbos cutis pruriginoſos & congeneres. Illud notare expedit, quòd ex earum miſcellâ cum acidis emergat fermentatio, quæ ſanè prodit earum naturam alkalinam; cur fit ut plurimùm valeant ad præcavendas cruditates acidas, quæ ab uſu lactis ſoboleſcere ſolent. Circumferuntur in lagenis quæ accuratè obturari debent: aliàs enim brevi putreſcunt.

(11.) *Aquæ Spadanæ* (*de Spa*), pagi cujuſdam Germaniæ, novem leucis in Euro-notum è Leodio, (*Liége*), diſtantis; & tribus leucis versùs Ortum à Limburgo, (*Limbourg*); frigidæ, acidulæ & chalybeatæ, ali-

DEPURANTIA.

quantò poſt deponunt in fundo vaſis materiam quamdam ochræ perſimilem. Præter vim depurantem, quæ à potiori Medicorum parte ipſis adſcribitur, tanquàm tonicæ, ſtomachicæ, aperientes & diureticæ celebrantur. Conducunt in ſuppreſſis, vel immodicè fluentibus menſtruis; hypochondriacos & ſcorbuticos juvant; cachecticis imò & hydropicis ſuccurrunt; digeſtiones redintegrant; renes ab infarctu liberant; nec inutilem opem conferunt in gonorrhœâ & fluore albo. Transferri patiuntur; & propinantur per novem circiter dies à librâ unâ ad quatuor.

(12.) *Aquæ Yſallenſes*, (*d'Youſet*), humilis cujuſdam vici Occitaniæ inferioris, inter Ucetiam (*Uzès*); & Aleſiam (*Alais*); tribus leucis ad Eurum ab hâcce poſtremâ remoti: ſunt frigidæ, bituminoſæ & ſaporis ingrati; à bitumine ſcilicèt quo ſcatet hic tractus, quod ſincerum fluit haud procul à prædicto vico. Præter vim depurantem & vulnerariam, alvum ſolvunt, diureſim movent & obſtructiones reſerant. Ideò occurrunt pruriginoſis; pectori dicantur; in ſkirrhoſo viſcerum infarctu deprædicantur, &c. A librâ unâ ad quatuor; octo vel decem dierum ſpatio propinantur.

(13.) *Aquæ Elnonenſes* vel *Amandinæ*, (*de S. Amand*), oppidi Annoniæ, tribus leucis à Valentianis (*Valenciennes*) diſtantis, & quinquaginta à Lutetiâ, tepidæ & inſipidæ odorem ſulphureum, & quaſi nidoroſum præ ſe-ferunt. Depurantium & temperantium claſſem ſubeunt, alvum laxant, urinas cient & viſcerum infarctus reſolvunt. Ideò affectibus cutaneis congruunt, cachecticis, hypochondriacis & ſcorbuticis opitulantur, vomitum & alvi fluxum ſiſtunt, infarctus renum reſerant, inordinato menſium & hæmorrhoïdum fluxui medentur; laudantur demùm ad gonorrhœam & fluorem album. Per quindecim vel viginti dies à libris duabus ad ſex exhibentur. Earum lutum, etſi frigidum, pro eximio topico celebratur adversùs paralyſim, dolores rheumaticos, artuum intumeſcentiam, ankyloſim, contracturam, morbos cutaneos, ulcera contumaciora, &c.

(14.) *Aquæ Vervonenſes*, (*de Bourbonne*), civitatulæ in Campaniâ, ſeptem leucis ad Ortum à Lingonibus (*Langres*), diſſitæ, & ſexaginta novem à Pariſiis, tanto calore præditæ, ut plumæ ex immerſo volatili decidant. Sapore ſalſo inſtructæ odorem ſulphureum ac ingratum exhalant. Inter depurantia, aperientia & incidentia eximia numerantur; ſtomachum debilem reſtituunt, alvum reſerant, urinas & ſudores movent; ac demùm febres pertinaciores fugant. Propinantur à librâ unâ ad quatuor, per novem vel quindecim dies. Cum cautelâ exhiberi debent macilentis & bilioſis. Irrigatio ab alto, balneum & lutum prædictarum aquarum laudantur ad roborandum, reſolvendum & detergendum; ideò opportunè exhibentur paralyticis, profunt in tremore, egregiè ſe gerunt in contracturis, conducunt in rheumatiſmo, artuum intumeſcentiam reſolvunt; valent in morbis pruriginoſis, nec exiguam laudem merentur in ulceribus contumacioribus detergendis & agglutinandis.

(15.) *Ptiſana Callac*, tandiù miris laudibus excepta, quandiù arcani titulo ſuperbivit, & plus æquo poſthabita, ubi in lucem prodiit, infido, ni fallor, proceſſu, cùm genuinus ſic ſe habeat. DEPURANTIA.

℞ *Salſæ parillæ* minutim ſectæ uncias duodecim. *Mercurii dulcis*, in nodulo, ad drachmam unam vel alteram. Bulliant in aquæ fontanæ libris quindecim, ad conſumptionem tertiæ partis. Adde ſub finem *foliorum orientalium* unciam unam. *Seminis coriandri* drachmas duas. *Aluminis* ſemi-drachmam; omnibus ſeorſim nodulo incluſis.

Notiſſimâ arte percolata *ptiſana* ſervatur ad uſum in lagenis vitreis. Pro remedio depurante & diaphoretico habetur adversùs luem veneream, aliis præſidiis domari neſciam. Propinatur cum artis regimine per triginta vel quadraginta dies ad uncias circiter ſex, bis, terve in die, horis congruis. Inter tot ptiſanas mercuriales à circulatoribus & empiricis excogitatas, nulla fermè occurrit quæ curantes feliciori beavit eventu. Mirari profectò ſubit quod hâc, aliàs ſimpliciori, morbus pertinaciſſimus, omnibus inunctionibus & ſubfumigiis mercurialibus obſurdeſcens, averruncari patiatur; dummodò tamen cautè & opportunè exhibeatur. Alia id genus Maſſiliis venalis proſtat ptiſana, à quodam empirico, nomine GUICHARD inventa, quæ ad prædictam, ratione virium, accedit, & fortè ab eâ minime diſcrepat, quod tamen adhuc in occulto latet.

(16.) *Ptiſana Vinache*, à quodam circulatore, cui VINACHE nomen fuit, Pariſiis olim celebratiſſima, vix alibi nota, cujus compoſitionem hactenùs nonnulli meris duntaxàt conjecturis aſſecuti ſunt, inter depurantia haud-infimum locum ſibi vindicat; & proſpero ſucceſſu à ſanioribus Medicis haud rarò uſurpatur; licèt ipſos lateat genuinus parandi modus. A veri tramite recedunt qui ejus vim catharticam ad folia orientalia referunt: aliud purgans, reverà è genere vegetabilium, ejus compoſitionem ſubit; ſed minori doſi: adeò ut præcipuas proprietates potiùs mutuetur à quâdam præparatione antimoniali & nonnullis aromatibus. Alvum ſolvit hæc ptiſana; diaphoreſim movet; ſanguinem & humores ab heterogeneis materiebus liberat. Ideò conducit in doloribus venereis; rheumaticos compeſcit; atque affectibus cutaneis pertinacioribus ſæpiùs medetur. Cyathus mane propinatur per triduum & ultrà; ac pro re natâ iterari poteſt hic hauſtus, horis veſpertinis; vel ejus uſus congruâ doſi diutiùs protelari, cum artis regimine.

(17.) *Pilulæ mercuriales* in noſtris officinis proſtantes, ex hydrargyro, diacrydio, rheo, & reſinâ jalapæ conflatæ, depurantium vires obtinent; alvum movent; in affectibus venereis deprædicantur; & adversùs morbos cutaneos chronicos haud levem opem præſtant. Si vorentur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, catharticorum effectus æmulantur; minori doſi exhibendæ, ſi in alium ſcopum præſcribantur. Prædictas pilulas nil diſcrepare ab aliis mercurialibus quas venditabat Chirurgus quidam caſtrenſis famigeratiſſimus, nomine BELLOSTE, falsò fertur. Etenim unicum duntaxàt ingrediens catharticum utraſque ſubit; cæteris diſſimilibus. Inſuper mercu-

Depuran-tia.

rius ad officinalium confectionem cum ſaccharo extinguitur, in aliis verò aliter ſe res habet : harum poſtremarum denique compoſitionem ingreditur purgans draſticum, quo carent officinales ; cujus ratione haud levem noxam inferre ſolent debilibus & tuſſientibus pilulæ Belloste ; quod pluriès obſervaſſe memini.

ANTISCORBUTICA.

Aliud depurantium genus exhibet antiſcorbuticorum claſſis, quam præmiſſis ſubnectere lubet. Varia continet, uti fertur, diverſæ ſortis ; quæ ſcilicèt ratione ſaporis in contrarium pugnare videntur ; cùm nonnulla acria, linguâ judice, alia verò acida deprehendantur. Exemplo ſint inter prima ſinapi, raphanus, cochlearia, naſturtium, &c. quæ, nemine fere diſcrepante, æſtum excitare valent ; & inter ſecunda, acetoſa, oxytriphyllum, ſuccus citreorum & limonum, fructus berberis, &c. quæ contrarium effectum exerere videntur ; cùm ægrè concipiatur quomodò ſubſtantiæ, quæ pro diverſiſſimis habentur, unius & ejuſdem morbi cauſam aggredi valeant : quod tamen problema ab accuratiori rerum antiſcorbuticarum examine ſolvendum fore cenſemus ; ſed illud enucleandum relinquimus iis quibus arridet præcipuam in condendis hypotheſibus operam impendere : quàpropter ab hocce luxurianti animo planè alieni, ad certiora devenimus. Ideò experientiâ edocti, aſſerere minimè dubitamus, alterutra ſeorſim ſumpta, vel utraque ſociata, ad ſcorbuti curationem plurimùm valere. Delectu tamen opus eſt ; nec indiſcriminatim ſunt exhibenda : quin potiùs neceſſum judicamus ut habeatur ratio morbi gradûs, ſymptomatum, temperamenti, ætatis, &c. Nec minùs confert, inter has anguſtias, doctrina juvantium & lædentium, quam in rebus medicis poſthabere piaculum ſanè foret.

ANTISCORBUTICA.

EMPORETICA.

RADICES raphani hortenſis & ruſticani [1], lapathi, acetoſæ, petroſelini, apii, bardanæ, helenii, angelicæ, imperatoriæ [2]... Allium & cepa; rheum, curcuma, zingiber, pyrethrum... Folia cochleariæ [3], naſturtii aquatici [4], berulæ [5], becabungæ [6], fumariæ, lupuli, alliariæ, ſcordii, cardamindi, dracunculi, erucæ [7], eryſimi, apii, cerefolii, hyſſopi, acetoſæ, oxytriphylli, urticæ, lapathi, portulacæ. Epithymum.

Turiones abietis [8] & pini ſylveſtris... Semina ſinapi, erucæ.... Fructus berberis, fragariæ, tamarindi, baccæ juniperi.... Succus limonum, citreorum, aurantiorum [9], malorum perſicorum... Cortex Winteranus, guaiacum... Gummi lacca... Mars. Antimonium.

OFFICINALIA.

AQUA cochleariæ, naſturtii, fumariæ, juniperi.... Aqua picea, vinum *Mouret* [10]... Syrupus antiſcorbuticus [11], de cochleariâ [12], limonum... Extractum cochleariæ, fumariæ, juniperi.... Spiritus cochleariæ.... Reſina guaiaci.... Antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ *RADICUM recentium raphani ruſticani* per taleolas ſectarum unciam unam & ſemis. Infunde calidè per noctem in *aquæ hordei* libris quatuor. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Radic. lapathi* unciam unam. *Foliorum acetoſæ* manipulum unum. *Epithymi* pugillum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

℞ *Radicum raphani ruſticani* uncias duas; *foliorum naſturtii aquatici* manip. unum. His probè inciſis, ſuperaffunde aquæ ferventis libras quatuor; & fiat infuſio ad refrigerationem. Colatura ſervetur ad uſum.

SUCCUS.

℞ *Folior. naſturtii, cochleariæ, becabungæ*, ana quantumvis. E quibus

ANTISCORBUTICA.

inciſis & contuſis extrahatur ſuccus ab unciis duabus ad ſex mane & ſero exhibendus. Singulis doſibus addere licet *ſyrupi antiſcorbutici* ſemi-unciam.

♃ *Foliorum cichorii*, *cerefolii* & *naſturtii* ana q. ſ. ut à contuſis exprimatur ſuccus ad uncias duodecim. In quo clarificato diſſolve *terræ foliatæ tartari* drachmam unam, vel *ſalis Glauberi* drachmam unam & ſemis. Pro tribus doſibus quartâ quâque horâ ſumendis, juſculo intermedio.

♃ *Foliorum berulæ*, *cichorii* & *naſturtii aquatici* ana manipulos duos. Inciſis adde *aſellos* lotos & contuſos numero viginti. Digerantur per noctem ſuprà cineres calidos, in ollâ fictili ritè obturatâ. Dein ſuccum extrahe. Doſis ad uncias quatuor, bis in die.

♃ *Radic. raphani ruſticani* uncias quatuor. *Folior. cochleariæ* & *urticæ* ana manipulos duos. Extrahatur ſuccus ex arte, cui adde *ſacchari* q. ſ. Doſis ad uncias duas, ter, quaterve in die.

SERUM LACTIS.

♃ *Seri lactis* uncias decem. *Naſturtii aquatici* manip. ſemis. Coque per horæ quadrantem. Cola & exprime. Vel adde *ſero lactis* unam vel alteram unciam *ſucci naſturtii*.

INFUSUM.

♃ *Radic. recentium raphani ruſticani* unciam unam. *Fol. cochleariæ* & *naſturtii* ana manipulum unum. Infunde calidè per duodecim horas, in aquæ q. ſ ad libras quatuor. Colaturæ adde *ſyrupi de cochleariâ* uncias duas, pro uſu.

♃ *Turionum pini* exſiccatorum uncias duas: infunde calidè in aquæ font. libris ſex per viginti quatuor horas. Colatura ſervetur ad uſum. Cyathim exhibetur ter quaterve per diem.

APOZEMA.

♃ *Radicum lapathi* & *acetoſæ* ana unciam unam. *Foliorum naſturtii* & *fumariæ* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde cuique doſi *ſyrupi de cichorio* ſemi-unciam, & *ſpiritûs cochleariæ* guttas decem.

♃ *Rad. raphani ruſticani* unciam unam. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *malum limonium* in taleolas ſectum. *Folior. cochleariæ* & *naſturtii* ana manip. unum. Adde cuique libræ *ſacchari* ſemi-unciam.

♃ *Radic. bardanæ* unciam unam. *Rad. pyrethri* ſemi drachmam. *Folior. fumariæ* manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *foliorum naſturtii* manip. unum. Adde cuique doſi *ſyrupi antiſcorbutici* ſemi-unciam.

♃ *Rad. petroſelini* unciam unam. *Radic. enulæ campanæ* ſemi unciam. Coque per horæ dimidium in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem

adde *folior. naſturtii* & *becabungæ* ana manip. unum. *Summitatum hyſſopi* manipulum ſemis. Adde cuique doſi *ſyrupi limonum* cochlear unum.

ANTISCORBUTICA.

JUSCULUM.

♃ *Pullum hordeo infarctum.* Coque in aq. q. ſ. per horam. Dein adde *cancros fluviatiles*, in aquâ fervidâ ad rubedinem extinctos & contuſos, numero decem. *Foliorum naſturtii aquatici* manip. unum. *Cerefolii* manip. ſemis. Bulliant per ſemi-horam, vaſe accuratè clauſo. Fiat juſculum.

♃ *Colli vervecini* vel *agnini* ſemi-libram. *Radicum lapathi acuti* drachmas ſex. *Crura* quatuor *ranarum* excorticata & contuſa. *Cancros fluviatiles* numero duos. *Folior. naſturtii* & *cichorii* ana manip. ſemis. Fiat ex arte juſculum.

♃ *Radicum lapathi* & *raphani ruſticani* ana ſemi-unciam. *Radicum ſiccarum helenii* drachmam unam. Bulliant cum fruſtulo *carnis vitulinæ* in aquæ q. ſ. Sub finem adde *foliorum oxytriphylli* & *naſturtii* ana manip. ſemis. In colaturâ diſſolve *ſalis martis Riverii* grana tria.

♃ *Radic. chinæ* in taleolas ſectarum drachmas duas. *Cancros fluviatiles* numero duos. *Folior. naſturtii* & *cochleariæ* ana munip. ſemis. Fiat ex arte juſculum cum fruſtulo *carnis vitulinæ*. Sub finem adde *aſellorum* in vino albo extinctorum paria decem. Cola & exprime.

VINUM.

♃ *Radic. recentium raphani ruſticani* unciam unam. *Radicum ireos Florentinæ* drachmas duas. *Folior. becabungæ*, *naſturtii* & *cochleariæ* ana manip. unum. Infunde frigidè in *vini albi* libris quindecim per viginti quatuor horas. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis duabus ad ſex ſingulis diebus ſero & mane. Longè præſtantius cenſeri debet vinum *Mouret*, de quo in Commentariis.

OPIATA.

♃ *Croci martis* ſemi-unciam. *Sennæ* & *rhei* ana drachmas tres. *Extracti cochleariæ* & *ſalis tamariſci* ana drachmas duas. *Curcumæ* & *corticis Winterani* ana drachmam unam. *Gummi laccæ* drachmam unam & ſemis. Miſce; fiat opiata cum *ſyrupo antiſcorbutico*. Doſis ad drachmam unam.

ANTISCOR-BUTICA.

COMMENTARIA.

(1.) RAPHANUS RUSTICANUS, C. B. pin. Cochlearia folio cubitali, Inſt. rei herb. (*Grand Raifort* ou *Cram*).

Hujuſce procerioris plantæ radix recens, quæ ſola uſurpatur, ratione ſaporis fervidiſſimi, proximè ad ſinapi accedit. Inter antiſcorbutica præſtantiora celebratur; tonicorum inſuper, aperientium & diureticorum claſſes ſubit. Ideò nonnunquàm prodeſt paralyticis, conducit in cachexiâ, ictero & obſtructione renum; nec vis lithontriptica ipſi denegatur, ſed cautè eſt adhibenda ergà debiles & macilentos. In taleolas ſectâ, vel in ſcobem redacta, infuſioni traditur per decem aut duodecim horas, à ſemi-unciâ ad unciam unam in aquæ libris duabus, & hoc infuſum cyathim pluriès in die exhibetur. Succus etiam quandóque propinatur à ſemi-unciâ ad unciam unam. Extrinſecùs admota reſolvit., cutem rubore afficit, atque ſenſum & calorem exſuſcitat.

(2.) *Imperatoria* major, C. B. pin. (*Impératoire*).

Hujuſce ſtirpis radix ſicca, odore aromatico, ſapore amaro, acuto & ingrato prædicta inter antiſcorbutica recenſetur: ſed crebriùs ſub alio conſpectu uſurpatur, tanquàm nempè analepticum & ſtomachicum præſtantiſſimum, quod caput refocillat, languentem appetitum inſtaurat, flatus fugat, pectori prodeſt, & obſtructa vaſa reſerat. Ideò juvamen præſtat in vertigine & paralyſi, dolorem colicum compeſcit, aſthmaticis & anheloſis ſuccurrit; cachecticis & chloroticis opitulatur; nec exiguam laudem meretur in febre quartanâ. De virtute alexipharmacâ nil addimus, cùm multis exoticis ſub hoc conſpectu cedat. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam, & duplum in infuſo aqueo vel vinoſo. Ab ejus decocto paratur gargariſma antiſcorbuticum, non contemnendum. Nonnulli denique fruſtulum imperatoriæ in ore detinent, ad eliciendam ſalivam, vel ad arcendum contagium. Alia eſt planta affinis, angelica nempè, quæ apud Botanicos etiam imperatoria audit; de quo tyrones monitos velim, ne in errorem familiarem incidant, è quo tamen nil mali pertimeſcendum.

(3.) *Cochlearia* folio ſubrotundo, C. B. pin. (*Herbe aux cuilliers*).

Inter decantatiſſimas plantas antiſcorbuticas primatum ducit hæc planta. Depurantium quoque album ingreditur; cur fit ut proſpero ſucceſſu uſurpetur contrà diverſæ ſortis dolores, artus obſidentes, & morbos cutaneos; atque haud levem opem præſtat in affectu hypochondriaco, cachexiâ, aliiſque morbis chronicis ab infarctu viſcerum oriundis. Infunditur vel blandè coquitur ad manipulum unum in aquæ librâ unâ; aut præſcribitur ſuccus ab unciâ unâ ad tres. Circà ſuccum notare expedit plantam nuſquàm eſſe contundendam in mortario aheneo, ne liquor vim emeticam contrahat. Inſuper proſtat in officinis extractum cochleariæ, minoris ſanè efficaciæ,

efficaciæ, ob avolationem particularum ſpirituoſarum; cujus doſis à ſemi-ſcrupulo, ad ſemi-drachmam; non ſecùs ac conſerva quæ à drachmis duabus ad ſemi-unciam ſumitur. Vix in uſum venit aqua diſtillata. Cæterum præter latiſſimum uſum externum reſpectu oris, egregium reſolvens ad contuſiones præbet cochlearia; ſi contuſa & aquâ vitæ irrorata parti affectæ imponatur. *Vide* Spiritus.

ANTISCORBUTICA.

(4.) *Naſturtium* aquaticum vulgare, Parkins. Siſymbrium aquaticum, Matthioli. (*Creſſon d'eau*).

Vix cochleariæ cedit hæc naſturtii ſpecies; imò & crebriùs uſurpatur ad ſcorbuti curationem. Nec aliis defraudatur viribus; quin potiùs haud infimum locum habet in ſerie depurantium, hepaticorum, aperientium & incidentium; cur præcipuam opem confert in morbis pruriginoſis & congeneribus, obſtructionibus medetur, hypochondriacis prodeſt; aſthmaticos juvat, menſes & urinas ciet, &c. In decocto vel rectiùs in infuſo ad manipulum unum præſcribitur pro juſculo vel librâ unâ apozematis. In acetariis etiam comeditur, nec malè cedit. Succus verò ab unciâ unâ ad tres propinatur in juſculo, lacte, ſero lactis vel quovis alio hauſtu. Quoad uſum externum, è ſucco, infuſo vel decocto parantur lotiones aut gargariſmata antiſcorbutica, vel manduntur folia, non ſecùs ac illa cochleariæ, ad præcavendam gingivarum putredinem.

(5.) *Berula* officinarum. Sium ſeu Apium paluſtre foliis oblongis, C. B. pin. (*Berle*).

Inter antiſcorbutica mitiora, depurantia & aperientia numeratur hæc planta vulgatiſſima: ſed à prioribus longè diſtat, & rarò in uſum trahitur. Doſis à manipulo uno ad duos, pro quâque librâ decocti: vel ſuccus exhibetur ab unciis duabus ad quatuor, in lacte, ſero lactis, &c.

(6.) *Becabunga* Germanorum. Veronica aquatica folio ſubrotundo, Moris. hiſt.

Iiſdem viribus ſed debilioribus, pollet hæc planta, ac cochlearia & naſturtium, quibus ſupplere valet. Nonnunquàm adhibetur contrà morbos cutis, nec infelici ſucceſſu. Eâdem methodo nec aliâ doſi præſcribitur.

(7.) *Eruca* latifolia alba ſativa, Dioſcorid. C. B. pin. (*Roquette des jardins*).

Eruca tenuifolia perennis flore luteo, J. B. (*Roquette ſauvage*).

Hæ binæ ſpecies, quarum notiſſimus eſt ſapor ſtimulans, antiſcorbuticorum albo recenſentur, nec ipſis denegatur locus in ſerie roborantium & ſtomachicorum, imò & aphrodiſiacorum. Prioris tamen ſapor remiſſior deprehenditur, & hinc vires medicæ debiliores. Utriuſque folia in infuſo præſcribuntur ad manipulum unum pro quâque librâ aquæ: ſed ſemina ſunt uſitatiora, & à granis decem ad ſcrupulum unum in ſubſtantiâ exhibentur. In uſum externum etiam trahuntur hæc poſtrema tanquàm ſcilicèt ſialagoga & ſternutatoria.

(8.) *Abies* taxi folio, fructu ſursùm ſpectante, Inſt. rei herb. (*Sapin*).

Abies tenuiore folio, fructu deorsùm inflexo, Inſt. rei herb. (*Peſſe*)

ANTISCORBUTICA.

Abies minor pectinatis foliis, virginiana, conis parvis & ſubrotundis, Plucknet. (*Sopinate*).

Singulæ abietis ſpecies, & præſertim Canadenſes reſiniferæ, & perpetuâ fronde virentes, non ſecùs ac larix & pinus, pro inſigni quâ pollent virtute, arbores à quibuſdam dicuntur antiſcorbuticæ, nec immeritò, cùm ipſiſmet naſturtio, cochleariæ & raphano ruſticano, inter ſcorbuti curationem, palmam haud rarò præripiant. Adhibentur cortex, ſtrobili ſeu coni, folia, ſummitates & turiones vel gemmæ, tùm ad uſum internum, tùm ad balnea. Turiones uſitatiores præſcribi ſolent ad manip. ſemis pro binis aquæ libris, & ſic de cæteris, quæ per bihorium & ultrà coqui debent, ut aqua debitè imprægnetur & ingratum ſaporem contrahat, non ſecùs ac aqua picea quæ iiſdem qualitatibus pollet; & ſingulis diebus propinatur hoc decoctum ab unciis tribus ad quatuor. Notare expedit tertiam ſpeciem præbere balſamum Canadenſe, de quo ſuo loco. *Vide* Pix.

(9.) *Aurantium* acri & dulci medullâ vulgare, Ferrar. Heſperid. (*Oranges aigres* & *Oranges douces*).

Uterque fructus pro alimento & pro remedio uſurpatur; ſed uſitatior eſt prior apud Medicos. Utriuſque ſuccus inter antiſcorbutica & refrigerantia jure recenſetur. Cortex tàm recens quàm ſiccus, vel conditus inter delicatiſſima bellaria apprimè notus, alias vires obtinet; pro ſtomachico nimirùm præſtantiſſimo habetur; & cardiacorum, anthelminticorum, & emmenagogorum claſſes ſubingreditur. Siccus exhibetur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo: recens verò à ſemi-unciâ ad unciam unam. Paratur aqua corticum aurantiorum, horum ſcilicèt ad libram unam maceratione per biduum in aquæ libris ſex, & diſtillatione balneolo ad dimidias; quæ locum habet inter ſtomachica & carminantia; ac opportunè exhibetur ab unciis duabus ad tres pro colicis doloribus. Iiſdem viribus inſtruuntur flores, qui ſaccharo conditi ſtomachum refocillant, flatus fugant & hyſtericis ſuccurrunt: proſtat etiam horum conſerva, quæ, ad drachmam unam vel alteram, eâdem virtute pollet. Paratur demùm *aqua florum aurantiorum*, vel *aqua naphæ*, odoris præſtantiâ omnes alias diſtillatas antecellens, quæ ſummas laudes meretur in affectibus hyſtericis; nec defraudatur vi ſtomachicâ, cardiacâ, cephalicâ, emmenagogâ, &c. quæ additur julepis & emulſionibus, à drachmis duabus ad ſemi-unciam; vel per ſe propinatur ab unciâ unâ ad quatuor. E prædictâ aquâ cum duplo ſacchari paratur balneolo *ſyrupus florum aurantiorum*, qui palato gratiſſimus, ſimilibus viribus pollet; & variis poculentis immiſcetur ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam; ut præſertim præcaveatur vomitus. Inſuper folia aurantiorum inter antiſpaſmodica numerat clariſſ. DE HAEN, multiplici experientiâ edoctus; de quâ tamen vi, licet rationi haud abſonâ, ulteriùs inquirendum eſſe cenſemus.

(10.) *Vinum Mouret*, ſic dictum à quodam empirico, qui hoc pro arcano venditabat; plus æquo fortè celebratum, ſuas tamen laudes meretur, dummodò opportunè exhibeatur: aliàs haud levem noxam inferre docet

quotidiana praxis. Jam diù nobis innotuit hoc arcanum, quod ſic ſe habet. ℞ *Radicum recentium raphani ruſticani* uncias duodecim. *Radicum bardanæ* uncias ſex. *Foliorum cochleariæ, naſturtii aquatici, becabungæ & fumariæ* ana manipulos duos. *Seminum ſinapi* contuſorum uncias quatuor. Infunde per duodecim horas balneolo, vaſe ritè obturato, in vini generoſi libris triginta. In colaturâ frigidâ diſſolve *ſalis ammoniaci* drachmas decem. Servetur in lagenis vitreis & loco frigido, haud tamen ultrà tres menſes. Præmiſſo cathartico ſingulis ſeptimanis iterando, ſero & mane ad uncias ſex ſumitur, per menſem, & ultrà, ſi res expoſtulet; nonnullis pro re natâ adhibitis intervallis. Sed haud omnibus congruere hoc remedium patet quibus ſat perſpecta fuit ejus compoſitio; ideò periculoſum cenſeri debet, ni ſolerti manu tractetur. Equidem ſummâ cum cautelâ exhiberi debet macilentis & bilioſis, qui nuſquàm illud ferre valent: ni identidem propinentur diluentia & humectantia, quæ æſtum humorum compeſcere valeant. Infantibus prodeſt, dummodò ipſis tempeſtivè, & doſi congruâ præbeatur; aliàs pro votis minime ſuccedit. Nonnulla alia arcana circumferebat prædictus empiricus, nempè opiatam purgantem è variorum farragine conflatam; linimentum reſolvens ad efflorescentias & tumores, & ſpiritum ad colluendum affectum os: ſed parvi habentur hæc omnia antiſcorbutica quæ magis Authoris ignorantiam, quàm ſolertiam produnt; ideò illa parandi modum conſultò prætermittimus.

ANTISCORBUTICA.

(11.) *Syrupus antiſcorbuticus.* Haud facilis eſt ejus encheireſis, quâ ſpiritûs difflatio præpediri debet; hoc enim avolato nullius eſt efficaciæ hoc remedium; & inter ejus uſum inutilem operam ludunt clinici. Per biduum macerantur, in cucurbitâ ritè obturatâ, cochleariæ, naſturtii & becabungæ folia, raphani ruſticani radices, aurantia amara & cinnamomum, cum vino albo. Dein elicitur balneolo aqua diſtillata, è quâ cum ſaccharo leni calore & vaſe clauſo paratur ſyrupus; inter præſtantiora antiſcorbutica & depurantia numerandus. Doſis à ſemi-unciâ, ad unciam unam.

(12.) *Syrupus de cochleariâ* ratione virium ad poſtremum accedens, nil aliud eſt quàm ſuccus cochleariæ ritè defæcatus; cum ſaccharo in matratio, blando balneoli calore coctus. Nonnulli addunt, ut efficacior evadat, ſal, vel ſpiritum cochleariæ. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis. De viribus jam ſatis ſuperque in articulo cochleariæ.

DIAPHORETICA.

DIAPHORETICA ET SUDORIFICA.

NEMINEM latet id genus medicamina, quæ colligit hæc claſſis, egregiè ſe gerere in morbis à cohibitâ perſpiratione, vel ſufflaminato ſudore ortis. Scitur hoc per cutis ſpiracula effluvium ſpontaneum, vel arte concitatum, plurimùm conferre ad aliorum innumerorum, vel herculeorum, affectuum curationem: etenim cauſa febris cujuſvis ſit indolis, hâcce viâ utplurimùm eradicatur: deleterium morborum contagioſorum facili marte versùs corporis ambitum corripitur: venenum à morſu vel ictu animalium ad hanc excretionem magis proclive eſt: virus venereum, etſi deliteſcens, haud raro hâc latiſſimâ ſentinâ forâs ejicitur: heterogeneum rheumaticum cutem facillimè trajicit: perſpiratione averruncantur morbi cutanei; compeſcuntur inſultus catarrhales; ſiſtuntur alvi profluvia, &c. Sed infida ſunt remedia quæ ad promovendam diaphoreſim, vel excitandos ſudores, exhibentur; ni natura illùc vergat, præcipuè in morbis acutis: quod altâ mente tenendum; ne intempeſtivâ curatione ægrotantium res in deteriùs ruant: ſanguinem enim plus ſolito efferveſcentem, vel rapidiori motu actum perſpirationi officere nullus fermè dubitat: quantam noxam, ſub hâc rerum conditione, inferant ſudorifica, cuivis obvium. Parùm diſcrepant à cardiacis & alexiteriis diaphoretica; ſed majorem cum depurantibus habent affinitatem; ac ſub hoc conſpectu congruunt lui venereæ, ſcorbuto, rheumatiſmo, cutis vitiis, aliiſque affectibus, quorum materia, ut inquiunt, morbifica per corporis peripheriam eliminari patitur. Hæc raro conducere in leucophlegmatiâ jam ſuprà notavimus. Notare expedit nuſquàm copioſum, à propinatis hiſce hydroticis, ſudorem erumpere, ni ægrotantes, pluribus ſtragulis cooperti, calidè in lecto ſe componant, aliàs ab acceſſu ambientis aëris frigidioris, conſtringuntur cutis meatus; & pro voto minime ſuccedit effectus. Inſuper ſunt qui in ſudorem diffluunt ab admotis panibus è furno ſtatim extractis: alii illum accerſunt beneficio pyxidum ſtanearum aquâ fervidâ repletarum: nonnulli hanc exhalationem moliuntur, ope laterum, vel ſilicum, ſummè calentium, &c. Calor prætereà ab igne & ſole, balnea calida & præfertim hypocauſta, eumdem effectum præſtare valent. A labore demùm vel exercitatione immodicâ ſudorem tutiùs excitari nemo neſcit.

DIAPHORETICA.

EMPORETICA.

Radices chinæ ([1]), ſalſæ parillæ ([2]), bardanæ, carlinæ, ſcorſoneræ, feniculi, valerianæ ſylveſtris & hortenſis, ſuccifæ ([3]), ulmariæ, vincetoxici. Allium, contrayerva, zedoaria, zingiber.

Folia borraginis, bugloſſi ([4]), cardui benedicti ([5]), bardanæ, ulmariæ ([6]), ſcabioſæ, veronicæ, abrotani, chamæpityos, dictamni cretici.... Flores papaveris rhœados, ſambuci, calendulæ. Caryophylli ([7]), crocus.... Semen cardui benedicti.... Baccæ lauri, juniperi.... Caſcarilla, caſſia lignea.... Guaiacum ([8]), ſaſſafras ([9]), lignum juniperi, buxi ([10]).... Balſamum Peruvianum, camphora, opium.... Vipera, ſerpens.... Sanguis hirci præparatus, lapilli cancrorum fluviatilium.... Cornu cervi, cranium humanum, ebur ([11]), chelæ cancrorum.... Aqua tepida, aquæ thermales.... Sal ammoniacum.... Antimonium ([12]), ſulphur, cinnabaris.... Terra ſigillata.

OFFICINALIA.

Aqua papaveris rhœados, ſcabioſæ, ſcorſoneræ, cardui benedicti, nucis juglandis..

Syrupus de ſtœchade, papaveris rhœados ([13]), papaveris albi, caryophyllorum.... Laudanum, extractum juniperi.... Theriaca, confectio alkermes, orvietanum.... Pulvis viperinus ([14]), cornu cervi præparatum; pulvis è chelis cancrorum.... Spiritus juniperi, volatilis viperarum, ſalis ammoniaci, aqua dicta *de luce*.... Anodynum minerale... Reſina guaiaci ([15]).... Sal Anglicanum, volatile viperarum, volatile cornu cervi.... Kermes minerale, antimonium diaphoreticum ([16]), antihecticum Poterii, cinnabaris antimonii.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ *Raſuræ cornu cervi*, in nodulo, unciam unam. *Fol. borraginis* manip. duos. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *liquiritiæ* ſemi unciam. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Florum papaveris rhœados* manip. unum. *Liquiritiæ* contuſæ drachmas

DIAPHORETICA.

duas. Superaffunde aquæ ferventis libras quatuor. Infunde per quatuor horas, & cola.

℞ *Ligni ſancti* in ſcobem redacti unciam unam. Infunde per noctem in aquæ libris ſex, & bulliant mane ad tertiæ partis conſumptionem. Sub finem adde *liquiritiæ* ſemi-unciam.

℞ *Chinæ* minutim inciſæ drachmas ſex. Coque in aquæ libris ſex ad quatuor. Adde *liquiritiæ* drachmas duas.

℞ *Rad. ſcorſoneræ* & *feniculi* ana uncias duas. *Antimonii crudi* in nodulo ſuſpenſi uncias duas. Bulliant in aquæ libris ſex, ad tertiæ partis conſumptionem. Adde ſub finem *glycyrrhizæ* ſemi-unciam.

℞ *Radic. bardanæ* uncias duas. *Salſæ parillæ* unciam unam. Coque in aquæ libris octo, ad quartæ partis conſumptionem. Sub finem adde *fol. ſcabioſæ* & *agrimoniæ* ana manip. unum. *Liquiritiæ* ſemi-unciam.

HAUSTUS.

℞ *Florum papaveris rubri* pugillos duos. Bulliant leviter in aquæ unciis octo. Colaturæ adde *ſyrupi ejuſdem* unciam unam. Fiat hauſtus, cui addere licet *diaphoretici mineralis* grana quindecim.

℞ *Aquæ meliſſophylli* & *cardui benedicti* ana uncias duas. *Sanguinis hirci præparati* ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam. *Syrupi papaveris rhœados* unciam unam.

EMULSIO.

℞ *Seminis cardui benedicti* ſemi-unciam. Contunde, ut artis eſt, in *aquæ papaveris rubri* unciis ſex. Colaturæ adde *ſyrupi papaveris rubri* unciam unam.

℞ *Seminis papaveris albi* & *cardui benedicti* ana drachmas duas. Contunde in mortario, ſenſim affundendo *aquæ ſcorſoneræ* uncias ſex. In colaturâ diſſolve *diacodii* ſemi-unciam. Miſce; fiat emulſio.

℞ *Seminum cardui benedicti* unciam ſemis; *ſeminum papaveris albi* drachmas tres; fiat ex arte emulſio, cum *aquæ florum papaveris erratici* unciis ſex, & ſacchari q. ſ.

DECOCTUM.

℞ *Ligni guaiaci* in ſcobem redacti uncias tres. Infunde per viginti quatuor horas in aquæ libris duodecim. Coque demùm ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum, in lagenis vitreis. Doſis ad uncias octo, ter, quaterve in die.

℞ *Radic. chinæ* in taleolas ſectæ unciam unam & ſemis. Infunde calidè per noctem in aquæ libris octo. Coque demùm ad libras quatuor. Sub finem adde *folior. chamæpityos* manip. unum. Doſis uti ſuprà.

℞ *Salſæ parillæ* minutim ſectæ uncias duas. *Baccarum juniperi* unciam unam. Macerentur calidè per noctem in aquæ libris octo; coque demùm ad libras quatuor.

℞ *Raſuræ ligni ſancti* unciam unam. *Salſæ parillæ* & *chinæ* ana drachmas tres. *Ireos Florentinæ* ſemi-unciam, infunde per viginti quatuor horas in aquæ tepentis libris octo. Coque demùm ad quartæ partis conſumptionem. Tùm adde *ligni ſaſſafras* ſemi unciam, & bulliant ad libras quatuor. Cola pro uſu, uti ſuprà.

DIAPHORETICA.

℞ *Corticis ligni guaiaci* unciam unam & ſemis. *Radicum ſalſæ parillæ* unciam unam. *Chinæ* ſemi-unciam. *Polypodii* quercini unciam unam. *Antimonii crudi*, in nodulo, uncias duas. Macerentur per noctem in aquæ libris octo. Coque demùm ad libras quatuor. Sub finem adde *foliorum ſennæ* unciam unam. *Epithymi* drachmas ſex. Cola pro uſu.

℞ *Antimonii crudi* craſſiuſculè triti, in nodulo, uncias quatuor. *Salſæ parillæ* minutim ſectæ, & *corticis guaiaci*, ana unciam unam & ſemis. *Radicis chinæ* & *ligni ſaſſafras* ana ſemi-unciam. Infunde calidè per noctem in aquæ libris octo, & coque mane ad libras quatuor. Sub finem adde *ſeminum aniſi* drachmam unam. Cola pro uſu, uti ſuprà.

JUSCULUM.

℞ *Viperam* vivam, abſciſis capite & caudâ, cute detractâ, exenteratam, ſeorſim ſervatis corde & jecore. In mortario contunde, & adde *foliorum borraginis* manip. unum. *Foliorum cerefolii* manip. ſemis. Coquantur balneolo, vaſe pro more ritè clauſo, cum tantillo aquæ, per tres horas. Dein cola & exprime. Capiat mane ſtragulis coopertus, ut ſudor moveatur.

PULVIS.

℞ *Lapillorum cancrorum fluviatilium*, & *antimonii diaphoretici* ana grana duodecim. *Salis ammoniaci* grana duo. *Pulveris viperini* grana quatuor. Miſce; fiat pulvis pro doſi.

℞ *Diaphoretici mineralis* ſcrupulum unum. *Cinnabaris antimonii*, & *ſalis volatilis cornu cervi*, ana grana decem. *Camphoræ* gana duo. Miſce; fiat pulvis pro duabus vel tribus doſibus.

BOLUS.

℞ *Pulveris viperini*, *antimonii diaphoretici* ana grana quindecim. *Kermes mineralis* ſemi-granum. Miſce; fiat bolus cum *ſyrupo papaveris rhœados*, è nebulis vorandus.

℞ *Theriacæ veteris* ſemi-drachmam. *Pulveris è chelis cancrorum* grana decem. *Salis volatilis viperarum* grana ſex. *Camphoræ* grana duo. Miſce; fiat bolus cum *ſyrupo de ſtœchade*.

℞ *Conſerv. fumariæ* drachmam unam. *Antimonii diaphoretici* ſcrupulum unum. Fiat bolus cum *ſyrupo de fumariâ*. Ad morbos cutaneos.

PILULÆ.

℞ *Camphoræ* ſemi-unciam. *Amygdalarum dulcium* excorticatarum unciam unam. Contunde in mortario & fiant pilulæ. Doſis à granis octo ad ſcrupulum unum & ultrà.

DIAPHORETICA.

COMMENTARIA.

(1.) CHINA RADIX (*Eſquine*), nomen habuit à regione Sinenſium, licèt in aliis Indiæ orientalis & Americæ tractibus creſcat. Hæc radix ferè inſipida & quaſi arundinacea referri debet ad quamdam ſmilacis ſpeciem ſpinoſam & ſcandentem, de quâ KŒMPFERUS. Inter ſudorifica præſtantiora & uſitatiora recenſeri debet: quidquid in contrarium adducat CARTHEUSERUS inter chymicos ſanè famigeratiſſimus, ſed fortè in praxi medicâ parùm verſatus. Egregiâ inſuper depurandi vi pollet, cur haud levem opem præſtat in affectibus venereis, ſcrophuloſis, rheumaticis & arthriticis: commendatur in paralyſi & tremore, atque nonnullis hydropicis auxilio fuit. Temperatior eſt guaiaco & ſalsâ parillâ, quæ iiſdem proprietatibus inſtruuntur. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & à drachmis duabus ad ſex pro quâque librâ decocti.

(2.) *Salſa parilla* (*Salſe pareille*), eſt radix juncea, flexilis & longiſſima; ſapore ſubamaricante, quæ è variis regionibus Americæ meridionalis affertur; ad ſmilacem aſperam, de quâ CASP. BAUHINUS, referenda. Hæc eſt legitima, quæ à variis ſpuriis, in officinis proſtantibus, quas præbet Arabia, ſic ut à Chriſtophorianâ, aliiſque plantarum generibus, ægrè diſtingui valet. Hanc radicem, vel ejus flagella, inter ſudorifica & depurantia celebrarunt primi ſubſellii Authores: imò & efficacior chinâ & guaiaco cenſetur, iterùm refragante CARTHEUSERO. Valet in affectibus rheumaticis & arthriticis, deprædicatur in lue venereâ, nec malè cedit ſub ſcrophulis, paralyſi, morbis cutaneis, &c. Duæ vel tres unciæ, præviâ maceratione, coqui ſolent in aquæ libris octo, ad libras quatuor: & hoc decoctum pluriès per diem cyathim exhibetur: vel præſcribitur à drachmis duabus ad tres, in juſculo pulli.

(3.) *Succiſa*, ſive Morſus diaboli, J. B. Scabioſa folio integro glabro, flore cæruleo, Inſt. rei herb. (*Mors du Diable*).

Radix hujuſce plantæ præter vim diaphoreticam, pro vulnerariâ & reſolvente habetur: ad ſcabioſam officinarum proximè accedere creditur; ſed de utriuſque energiâ dubitare licet. Nonnunquàm exhibetur contrà abſceſſus occultos, vel ulcera interna: ſed raró pro votis ſuccedit hæc methodus. Majoris eſt efficaciæ adversùs ſtaſim ſanguinis à caſu ab alto, vel quâvis aliâ contuſione ortum; quod multiplici experientiâ comprobatum videtur. Recens præſcribitur in infuſo aut decocto ad unciam unam pro quâque librâ aquæ. Extùs admota reſolvendi & digerendi vi inſtruitur: ac quandóque ad tonſillas anginoſas ſub gargariſmatis vel cataplaſmatis formâ haud improſpero ſucceſſu uſurpatur.

(4.) *Bugloſſum* anguſtifolium majus flore cæruleo, C. B. pin. (*Bugloſſe*).
Folia hujuſce plantæ ſuccoſæ haud infimum locum obtinent in ſerie diaphoreticorum mitiorum & reſolventium; cujus ratione conducunt in morbis

morbis inflammatoriis pectoris, non ſecùs ac folia borraginis. Uſurpantur à manipulo uno ad duos, pro juſculo aut decocti librâ unâ. Vel ſuccus pluriès in die propinatur ab unciis duabus ad quatuor. Floribus tribuitur vis cardiaca; ſed raro in uſum veniunt. Familiariùs uſurpatur aqua diſtillata totius plantæ; licèt cæteris aquis inodoris haud efficacior videatur.

DIAPHORETICA.

(5.) *Carduus benedictus*, J. B. Cnicus ſylveſtris hirſutior, ſive Carduus benedictus, C. B. pin. (*Chardon béni*).

Sapore amaricante prædita eſt hæc planta, olim celebratiſſima; uti ab ejus inſulsâ nomenclaturâ ſat patet. Inter diaphoretica & alexiteria recenſetur; nec vi reſolvente deſtitui creditur; & ideò commendatur in febribus mali moris, in phlogoſi pulmonum, aliorumve viſcerum; non ſecùs ac in contuſionibus. Inſuper illi adſcribitur virtus febrifuga; nec refragatur experientia. Folia ad manipulum unum præſcribuntur pro quâque librâ decocti vel infuſi; aut ſuccus exhibetur ab unciâ unâ ad duas. In officinis proſtat aqua diſtillata, baſis vulgatiſſima potionum cardiacarum & alexiteriarum; licèt de ejus efficaciâ nondùm conſtet. Semina, quæ iiſdem viribus pollent, ingrediuntur emulſiones à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Quoad uſum externum, folia tanquàm vulneraria à pluribus celebrantur.

(6.) *Ulmaria*, Clus. Inſt. rei herb. Barba capræ floribus compactis, C. B. pin. (*Reine des près*).

Inter diaphoretica & vulneraria locum obtinent radix & folia hujuſce plantæ procerioris; ſed vix in uſum veniunt, cùm haud deſint affinia tutiora, & diuturniori experientiâ comprobata. Radix ſicca à drachmis duabus ad ſemi-unciam præſcribitur, pro quâque librâ decocti. Folia verò ad manipulum unum, pro eâdem aquæ copiâ.

(7.) *Caryophyllus hortenſis* ſimplex flore majore, C. B. pin. Tunica, Fuchs. (*Œillet*).

Licèt variæ ſpecies ejuſdem generis pari vi pollere videantur; hæc tamen præfertur vulgatiſſima, cujus flores egregii, & odore fragrantiſſimo, præter virtutem diaphoreticam & alexiteriam; inter cephalica & cardiaca numerantur. Ideò laudantur in febribus malignis & affinibus; proſunt in vertigine, apoplexiâ, ſyncope, &c. In infuſo vinoſo ad pugillum unum vel alterum præſcribi poſſunt; ſed uſitatior eſt ſyrupus, de quo infrà.

(8.) *Guaiacum*, vel Lignum ſanctum (*Gaïac*), lignum audit cujuſdam arboris cognominis, de quo Clusius, quæ habitat non ſolùm in Americâ, & præſertim Inſulis, ut inquiunt, Antillanis; ſed etiam in Indiâ orientali, è quo exſudat gummi quoddam reſinoſum, quod in minoribus fruſtis advehitur, ipſiuſmet guaiaci cortici ſæpiſſimè hærentibus. Hoc lignum, ſapore aromatico, ſubamaro, & odore haud ingrato, reſinoſum eſt & denſiſſimum, aquâ ſcilicèt ponderoſius. Inter ſudorifica & depurantia eximia jure recenſetur. Prætereà tonicorum claſſem ſubit: nec infimum obtinet locum in ſerie antiſcorbuticorum. Nullum, poſt hydrargyrum, antivenereum præſtantius occurrit: dummodò morbus haud altas egerit radices, quod innumeris obſervationibus extrà omnem aleæ contro-

DIAPHORETICA.

verſiam poſitum eſſe videtur. Per quadraginta dies, præmiſſis præmittendis, propinatur partitis vicibus ejus decocti valentioris libra una. Et novum decoctum cum eâdem ſcobe, ſub bocheti nomine, pro potu ordinario exhibetur. Inſuper mira præſtat in rheumatiſmo & arthritide: paralyticis ſummam opem confert, jure deprædicatur ſub affectibus cutaneis: occurrit cachexiæ & obſtructionibus, nonnunquàm valet in aſthmate, imò & in fluore albo. Illud notare juvat majorem ab uſu prædicti ligni, æſtum concitari, quàm ab illo chinæ & ſalſæ parillæ. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Sed uſitatius eſt decoctum quod paratur cum tribus circiter unciis raſuræ guaiaci, pro aquæ libris ſex, præviâ maceratione viginti quatuor horarum, ad dimidiam partem conſumptis. Ad duplum præſcribitur lignum pro eâdem aquæ menſurâ, inter curandam luem veneream. Cortex iiſdem viribus, ſed debilioribus inſtruitur, & pari modo uſurpatur. Proſtat in officinis reſina guaiaci, gummi à nonnullis malè vocitata, quæ vel ſpontè ſtillat ex arbore, vel ope ſpiritûs vini extrahitur, atque eâdem virtute prædita cenſetur, & à granis octo ad ſcrupulum unum, & ultrà præſcribi ſolet: de quâ ſcire juvat majorem doſim alvum utplurimùm ſolvere. Quoad uſum externum, exhibetur guaiaci decoctum, gargariſmatis inſtar, adversùs oris vitia ſcorbutica, ad tumentes tonſillas, & uvulæ prolapſum. De oleo guaiaci alibi.

(9.) *Saſſafras* eſt lignum leve & poroſum cujuſdam lauri ſpeciei, in variis Americæ tractibus vulgatiſſimæ, de quâ LINNÆUS. Sapore gaudet aromatico & ſtimulante, atque odore ad feniculum accedit. Hoc lignum cum ſuo cortice iiſdem viribus inſtruitur, ac china & ſalſa parilla, ſed nemine refragante, debilioribus. Haud tamen infimum locum ſibi comparat inter diaphoretica & depurantia, nec virtute tonicâ, incidente, diureticâ, &c. defraudatur. Egregiè ſe gerit adversùs dolores venereos & rheumatico-arthriticos, conducit in cachexiâ & ſcorbuto, aſthmaticis prodeſt, ſtomachum refocillat, atque in affectibus cutaneis deprædicatur. In infuſo aut decocto præſcribitur à drachmis duabus ad unciam ſemiſſem, pro quâque librâ aquæ, ſed leviter coqui debet, ne ſuo gratiſſimo odore orbetur. Hujus ligni pulvis ad drachmam unam ſumitur, ſed rariſſimè in uſum venit. Illud notare lubet, quod cortex ligno efficacior cenſeatur ob majorem fragrantiam.

(10.) *Buxus* arboreſcens, C. B. pin. (*Buis*).

Vix in uſum medicum cedit hujuſce vulgatiſſimi fruticis lignum, quod tamen inter diaphoretica jure cenſetur. Deficientibus enim ſuprà allatis exoticis, in decocto uſurpari poteſt ejus raſura ab unciâ unâ ad duas pro quâque librâ aquæ. Si diſtillationi committatur, igne violento, oleum præbet fœtens & aquâ ponderoſius, non ſecùs ac petreoleum & oleum guaiaci. Intùs quandóque ſumitur oleum buxi, tanquàm antiſpaſmodicum à guttis quatuor ad ſex, & ultrà in aquâ florum aurantiorum ad fugandos ſcilicèt inſultus hyſtericos, imò & epilepticos. Sed crebriùs ex-

tùs admovetur ad compeſcendum dolorem dentium, eâ mente prædicto oleo imbuitur tantillum goſſipii, quod in cavum dentis carioſi detruditur. Linimentum prætereà ſuppeditat eximium ad herpetem, dummodò, præmiſſis ſolitis præſidiis, ab eorum retroceſſu caveatur.

DIAPHORETICA.

(11.) *Ebur* (*l'ivoire*), è binis illis procerioribus elephantis dentibus extrà os, inſtar aprinorum, prodeuntibus depromitur. Maxillæ ſuperiori implantantur prædicti dentes, è baſi ampliori cavâ, in cuſpidem deſinentes ſolidiſſimam inflexi; diverſæ magnitudinis pro ætate ipſius belluæ. Haud dubitare licet quin hæc ſubſtantia licèt ſicciſſima materiâ quâdam gelatinosâ ſcateat, non ſecùs ac oſſa & cornua, quæ in uſum medicum cedit. Præter vim diaphoreticam & alexiteriam quâ pollet ebur, alvum comprimere valet, imò & vermes fugare, ſi nonnullis Authoribus ſit fides. Pulvis quandóque uſurpatur à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam: ſed raſuræ decoctum familiariùs exhibetur, ad unciam unam, pro duabus circiter aquæ libris.

(12.) *Antimonium* ſeu *Stibium* (*Antimoine*) eſt quoddam minerale ſtriis, vel aciculis longis & ſplendentibus quaſi conflatum, igne fuſile, parte regulinâ, minime tamen ductili, proximè ad metalla accedens. Ex ſtibio innumeris elaborationibus chymicis ſubjecto, exquiſitiora prodierunt remedia, de quibus ſuo loco. Suas quoque meretur laudes antimonium, ut vocant, crudum vel emporeticum, quod exhibetur in ſubſtantiâ, vel in decocto. Quoad primum modum, requiritur ut ejus pulvis tenuiſſimus in aquam projiciatur; hæc multiplici motu agitata & turbida decantatur, & nova ſuprà pulverem reſiduum affunditur, quæ ſimili modo imprægnatur; & ſic deinceps donec aqua nihil excipiat. Hic pulvis ſubtiliſſimus quo refertur aqua, brevi non ſecùs ac æthiops martialis, fundum petit: exſiccatur demùm & ſervatur ad uſum. Simpliciſſimâ hâc methodo paratum antimonium crudum, non ſolùm inter diaphoretica & depurantia numeratur; ſed etiam aperientium & incidentium claſſem ſubit, nec infimum locum obtinet in ſerie diureticorum; alvum denique haud raro ſolvit. Ideò egregiè ſe gerit ſub variis morbis chronicis ab humorum dyſcraſiâ vel ſtaſi oriundis: febrem quartanam pertinaciorem fugat: aſthmaticis opitulatur: mira præſtat in morbis cutaneis: prodeſt in rheumatiſmo & arthritide: nec inutilem opem confert in cachexiâ ſcorbuticâ, in fluore albo, rhachitide, &c. adeò ut nonnulli illum pulverem ipſimet kermes minerali, ratione virium alterantium, æquiparare haud dubitarint; quæ tamen opinio cum grano ſalis eſt admittenda. Doſis à granis ſex ad viginti & ultrà. Sunt qui illud præſcribant à drachmâ unâ ad duas; an rectè? viderint Practici. Inter ſtibii uſum, ab acidis abſtinendum, ne emeticam vim in ſtomacho contrahat. Quoad aliam methodum illud exhibendi, verſatur in decocto, ad quod opus præſcribitur antimonii triti ſemi-uncia ad unciam unam, pro quâque librâ decocti. Sic paratum frequentiſſimè uſurpatur adversùs morbos venereos; nec cæteris jam indicatis dotibus defraudatur. Pulvis demùm antimonii à quibuſdam in oculos

DIAPHORETICA.

inſufflatur, non ſecùs ac tuthia, ad exſiccanda corneæ ulcuſcula; vel ad alias ejuſdem organi obſcurationes.

Inter uſitatiora antimonialia recenſentur hepar & vitrum antimonii; vitrum antimonii ceratum; butyrum & cinnabaris antimonii; crocus metallorum; antimonium diaphoreticum; antihecticum Poterii: kermes minerale; crocus martis antimoniatus; lilium Paracelſi; vinum ſtibiatum; tartarus emeticus; pulvis algaroth; &c. de quibus ſingulis ſuo loco. Coronidis inſtar addere lubet ex antimonio pyrotechniæ ope ſeparari partem metallicam, vel regulinam, quæ vomitum ciet, ſi exhibeatur à granis quatuor ad octo: ſed rarò in uſum venit. Parantur demùm ex hocce regulo pilulæ, quæ millies voratæ nuſquàm viorthartico-emeticâ deſtituuntur, hinc catharticæ perpetuæ audiunt. Ex eâdem materiâ conficiuntur pocula, quæ vino per noctem in illis infuſo, vim emeticam impertiuntur: ſed utraque potiùs in Litteratorum muſæis, quàm in officinis medicis occurrunt.

(13.) *Syrupus florum papaveris rhœados*, (*Syrop de coquelicot*), ſimpliſſimâ methodo paratur. Macerantur nempè prædicti flores in aquâ tepidâ per duodecim horas, & expreſſio per reſidentiam defæcata, blandè coquitur ſolitâ arte, cum ſaccharo. Pro diaphoretico eximio habetur, & inter anodyna recenſetur; hinc laudatur in tuſſi, catarrho, hæmoptyſi, &c. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis.

(14.) *Pulvis viperinus* è trunco, corde & hepate viperarum exſiccatis ex tempore paratur: vel ſub trochiſcorum formâ in officinis ſervatur. Inter diaphoretica & alexiteria plurimùm celebratur; & ideò conducit in variolis, morbillis, febre malignâ, &c. Sed haud omnibus congruere diaphoretica jam ſuprà innuimus. Doſis à granis quatuor ad ſcrupulum unum in juſculo, alterove hauſtu. Eaſdem vires obtinet axungia præparata, quæ à guttis duabus ad ſex præſcribere licet.

(15.) *Reſina guaiaci* ope ſpiritûs vini, juxtà vulgatiſſimam artem, extrahitur. Hæc, uti ſuprà inculcavimus, præcipuas hujuſce ligni vires retinere videtur. Ideò in depurantium & diaphoreticorum ordine locum obtinet, & crebrò uſurpatur à granis ſex ad quindecim.

(16.) *Antimònium diaphoreticum*, vel *Diaphoreticum minerale*, nil aliud eſſe videtur quàm calx, quæ perficitur in crucibulo candente, à deflagratione antimonii crudi & reguli, cum nitro; & demùm variis lotionibus ritè edulcoratur; vel ab ſpiculis nitroſis planè orbatur. Pro diaphoretico & depurante egregio, jure habetur; quidquid obganniant nonnulli chymici, qui principiis theoreticis ſuffulti, hanc effœtam & inertem eſſe materiam prædicant. Inſuper haud exiguam laudem meretur ad lentos & hærentes ſuccos attenuandos: cur in variis morbis chronicis ab obſtructione, vel peculiari quodam viru oriundis opportunè exhibetur; & ſpeciatim in cachexiâ, ſcorbuto, rheumatiſmo, morbis cutaneis, lue venereâ, ſcrophulis, &c. Alexiteriorum demùm claſſem ſubit & à nonnullis commendatur in febribus malignis: ſed in hunc finem rarò à noſtratibus

uſurpatur. Notare expedit antimonium diaphoreticum vetuſtate correptum, granoſum nempè, flaveſcens, ſummam noxam inferre: ideò eligatur recens, læve, album & planè inſipidum. Doſis à granis quatuor ad ſemi-drachmam; haud ultrà; ne vomitum cieat.

DIAPHORETICA.

ALEXITERIA.

PARUM eſſe diſcriminis inter alexiteria, cardiaca & diaphoretica, jam ſuprà notavimus: adeò ut varia remedia haſce claſſes ſubeuntia, pro curantium mente, hoc vel illo titulo inſigniri queant. *Alexiteria*, vel alexipharmaca, de quibus in præſentiarum, hæc audiunt medicamina, quæ venenis ſunt adverſa; vel commentitiam illam malignitatem, nonnullis febribus adſcriptam, cicurare vel emendare valent. In cimmeriis latet tenebris horum agendi ratio, quam intactam in medio relinquimus; vel ſcholarum diſputationibus tradimus. Sed experientiâ duce, aſſerere minime dubitamus hæcce remedia haud inutilem opem præſtare, tam adversùs hæc occulta miaſmata, quæ vulgò *deleterii* nomine ſalutantur, & ſub febrili larvâ ſummam ſtragem concitant; quàm contrà venenum à morſu vel ictu animalium contractum, & œconomiæ animali infenſiſſimum: vel ut omnis hypotheſeos ſuſpicionem amoliamur, illa intelligimus, abſque magno verborum ambitu, quæ, præmiſſis præmittendis, vel tempeſtivè adhibita, in febribus mali moris, & affectibus venenoſis, nemine ferè diſcrepante, aliquod juvamen præſtant: inter horum uſum, habenda eſt ratio morbi temporum, contagii indolis, virium, &c. cùm haud ſemper congruant. Noxam enim inferre ſolent, ſi vigeant ægrorum vires; ſi organa vitalia quâdam ſpaſmodicâ conſtrictione afficiantur; & ſanguis rapidiori motu feratur; ſi demùm extrà vaſa erumpat hic vitalis liquor; vel ſtaſi inflammatoriâ coërceatur. Hinc obvium cur abſque ſummâ cautelâ ad alexiteria confugere minime liceat; & quantùm rationi & experientiæ adverſentur, qui, juxtà muliercularum placita, vel inſulſæ plebeculæ mentem, illa indiſcriminatim exhibere audent; vel quâdam morborum affinitate decepti in errorem lethiferum præcipites ruunt.

Alexiteria.

EMPORETICA.

Radices ſcorſoneræ ([1]), ſucciſæ, vincetoxici ([2]), bardanæ, carlinæ, ulmariæ, angelicæ, imperatoriæ, contrayervæ ([3]), ſerpentariæ virginianæ, nardi celticæ ([4]). Allium; acorus; cyperus longus, galanga ([5]), zedoaria ([6]), zingiber; ſeneka ([7]).

Folia cardui benedicti, ſcabioſæ ([8]), ſcordii, meliſſæ, ulmariæ, hederæ terreſtris, mari, nepetæ, rutæ, ſantolinæ, ſerpilli, dictamni cretici........ Flores calendulæ......... Semen cardui benedicti, bardanæ..... Caryophylli, amomum, macis ([9]); nux juglans ([10])... Caſſia lignea... Cortex limonum, citreorum... Camphora, gummi lacca... vinum generoſum, alonienſe, &c.... Cornu cervi ([11]), os de corde cervi ([12]), ebur... Moſchus; bezoard ([13]).

OFFICINALIA.

Aqua ſcorſoneræ, ſcabioſæ, cardui benedicti, bardanæ, nucis juglandis.... Syrupus de tunicis, de ſtœchade, caryophyllorum.... Pulvis viperinus, è chelis cancrorum ([14]), Palmarii ([15]).... Theriaca ([16]), confectio alkermes, opiata Salomonis, orvietanum ([17]).... Aqua theriacalis.... Spiritus juniperi, volatilis ſalis ammoniaci, cornu cervi, viperarum ([18]).... Eſſentia antihyſterica; guttæ Anglicanæ; lilium Paracelſi.... Oleum caryophyllorum.... Sal Anglicanum, volatile cornu cervi, viperæ.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ Radicum *ſcorſoneræ* & *bardanæ* ana unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor, ſub finem adde *liquiritiæ* raſæ & contuſæ ſemi-unciam. Fiat ptiſana.

℞ *Raſuræ cornu cervi*, in nodulo ſuſpenſæ, uncias duas. Coque in aquæ libris ſex ad quatuor. Infundere licet *cinnamomi* ſemi-drachmam. Colatura ſervetur ad uſum.

ALEXITERIA.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ cardui benedicti* uncias ſex. *Confectionis alkermes* drachmam unam. *Syrupi caryophyllorum* unciam unam. Miſce. Fiat julepus.

℞ *Aquæ bardanæ* uncias quatuor. *Aquæ naphæ* drachmas duas. *Pulveris viperini* grana quindecim. *Syrupi papaveris rhœados* drachmas ſex. Miſce.

EMULSIO.

℞ *Seminis bardanæ* & *cardui benedicti* ana drachmas duas. Contunde, ut artis eſt, in *aquæ meliſſæ* unciis ſex. Colaturæ adde *pulveris viperini* ſcrupulum unum. *Syrupi caryophyllorum* unciam unam. Pro hauſtu.

℞ *Amygdalas dulces* excorticatas numero quatuor. *Seminum papaveris albi* & *cardui benedicti* ana drachmam unam. Contunde in *aquæ ſcabioſæ* uncias ſex. Colaturæ adde *ſyrupi de ſtœchade* ſemi-unciam.

POTIO.

℞ *Aquæ ſcabioſæ* & *bardanæ* ana uncias tres. *Theriacæ* veteris drachmam unam & ſemis. *Antimonii diaphoretici ; pulveris viperini* ana ſcrupulum unum. *Syrupi caryophyllorum* unciam unam & ſemis. Miſce. Pro potione cochleatim ſumenda.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* uncias tres. Diſſolve *camphoræ* grana viginti. Adde *ſyrupi limonum* unciam unam. Miſce. Fiat potio cochleatim ſumenda. Ad anginam gangrænoſam.

℞ *Camphoræ* drachmam unam. Teratur in mortario vitreo cum *ſpiritûs vini* guttis viginti. Dein adde *ſacchari* uncias duas. Simul tritis miſce *aceti* uncias decem. Fiat potio cochleatim ſingulis horis exhibenda, ſuperbibendo *ſeri lactis* uncias tres. Ad receſſum eruptionum malignarum.

APOZEMA.

℞ *Radicum ſcorſoneræ* & *bardanæ* ana unciam unam. *Folior. borraginis* & *ſcabioſæ* ana manip. unum. *Raſuræ cornu cervi*, in nodulo, unciam unam. *Florum borraginis* manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Cola & cuique libræ adde *ſyrupi de tunicis* unciam unam.

℞ *Rad. polypodii* & *angelicæ* ana ſemi-unciam. *Foliorum cardui benedicti* manipulum unum & ſemis. *Tamarindorum* unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde ſub finem *epithymi* contuſi drachmam unam. *Florum bugloſſi* manipulum ſemis. Cola & exprime.

PULVIS.

℞ *Salis prunellæ* drachmas duas. *Camphoræ* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat pulvis pro quatuor vel ſex doſibus, quartâ quâque horâ ſumendis.

℞ *Sacchari candidi* drachmas tres. *Zingiberis* drachmas duas. *Camphoræ* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat pulvis. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

ALEXITERIA.

℞ *Salis volatilis cornu cervi* grana decem. *Camphoræ* grana tria. Miſce. Pro doſi.

℞ *Antimonii diaphoretici* grana decem. *Cinnabaris antimonii* grana ſex. *Salis volatilis cornu cervi* grana quatuor. *Camphoræ* grana duo. Miſce. Pro pulvere præſtantiſſimo ad febrium malignarum convulſiones.

℞ *Nitri præparati* uncias duas; *cornu cervi præparati* drachmas ſex; *camphoræ* & *zingiberis* ana ſcrup. unum. Miſce; fiat pulvis ab ſcrupulo uno ad duos exhibendus.

BOLUS.

℞ *Pulveris contrayervæ* ſemi-drachmam. *Camphoræ* grana tria. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo caryophyllorum.*

℞ *Radicum ſerpentariæ virginianæ* grana viginti. *Theriacæ* veteris ſemi-drachmam. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de ſtœchade.*

Radicum imperatoriæ drachmam ſemis; *camphoræ* grana ſex. Miſce; fiat bolus cum tantillo *confectionis de hyacintho.*

COMMENTARIA.

(1.) SCORSONERA latifolia ſinuata, C.B. pin. (*Scorſonere* ou *Cercifi*).

Præter uſum culinarem notiſſimum, inter diaphoretica blandiora, imò & alexiteria; nemine fermè practico diſcrepante, recenſetur hujuſce plantæ radix. Illam tamen tanquàm inutilem ablegandam eſſe exiſtimarunt FULLERUS & CARTHEUSERUS, fortè haud memores ſcorſoneram ſic dictam fuiſſe à ſuâ ſingulari virtute contrà morſum cujuſdam ſerpentis, quam Hiſpani vocant *Scareu*, de quâ integrum librum ſcripſit MONARDUS. Adde quòd conſtat, poſt familiariſſimum uſum, de ejus viribus, ſub variolis & morbillis, febribus malignis vel mali moris, &c. Recens ad unciam unam præſcribitur pro quâque librâ decocti. Aqua etiam diſtillata proſtat in officinis; ſed haud fortè cæteris inſipidis efficacior.

(2.) *Vincetoxicum*, Matthioli. Aſclepias flore albo, C. B. pin. (*Dompte-venin*).

Huicce hyperbolico nomini minime conſonare videntur hujuſce ſtirpis vires medicæ, adeò ut vix apud Noſtrates in uſum trahatur. Inter alexiteria tamen numerare licet hujuſce plantæ radicem, ſapore amaro & ſubdulci, atque odore ingrato. Nec ipſi denegandus eſt locus in ordine aperientium, incidentium & diureticorum, cùm nonnihil conferre videatur ad curationem cachexiæ, vel colluviei ſeroſæ; ſcrophuloſis etiam prodeſſe fertur. Radix ſicca ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam præcipitur pro duabus libris decocti: vel exhibetur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

(3.) *Cantrayerva*

ALEXITERIA.

(3.) *Contrayerva* eſt radix exigua, tuberoſa plantæ cujuſdam Americanæ, de quâ BOCCONE, BARRELIERUS, LINNÆUS, &c. ſub diverſo nomine mentionem ſubjecerunt. Sapore amaricante & ſubadſtringente, odore nonnihil aromatico prædita eſt contrayerva, ab Hiſpanis ſic vocitata, ob vim alexiteriam, ſuprà modum fortè celebratam adversùs venena tàm ore aſſumpta, quàm à morſu animalium impertita; necnon contrà deleterium febrium malignarum, variolarum, &c. ſed huicce præſidio minime fidendum eſſe cenſemus. Doſis in ſubſtantiâ ad ſemi-drahcmam in juſculo aut vino, & ad duplum pro infuſo.

(4.) *Nardus celtica* eſt valerianæ cujuſdam alpinæ radix fibroſa & capillaris, ſpicam quaſi referens, ſapore acri amaricante & odore fragrante, quæ inter alexiteria & roborantia numeratur, & hiſce titulis ingreditur theriacam, mithridatium & orvietanum: ſed in uſum magiſtralem rariſſimè venit. A drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam exhiberi poteſt in ſubſtantiâ, & ad duplum in infuſo. Alia eſt nardi officinalis ſpecies, indica nempè, de quâ ſuo loco.

(5.) *Galanga* minor, vel ſinenſis, eſt radix plantæ cognominis tuberoſa, colore fuſco, odore fragrante, ſapore ſubamaricante acriori & fauces exurente, non ſecùs ac à pipere. E Chinâ, vicinioribuſque regionibus in taleolas ſecta affertur hæc radix, quæ inter alexiteria & tonica præſtantiora recenſetur: ſtomachicorum & carminantium claſſem ſubit: in cephalicorum ſerie recipitur, &c. Ideò vertiginoſis ſuccurrit, palpitationibus medetur, alimentorum concoctionem juvat; flatus diſcutit; puerperarum tormina compeſcit, &c. In ſubſtantiâ præſcribitur à granis ſex ad ſcrupulum unum, & ab ſcrupulo uno ad drachmam unam in infuſo vinoſo. Alia eſt Galanga dicta major, quæ ad aliud plantæ genus referri debet: iiſdem viribus pollere videtur, ſed nullius eſt usûs, nequidem officinalis.

(6.) *Zedoaria* eſt radix bulboſa, aromatico ſapore nonnihil amaricante, & odore fragrantiſſimo, quaſi camphorato, ſtirpis cujuſdam chinenſis quæ ad kœmpferiæ genus retulit LINNÆUS. Duplex in officinis proſtat zedoaria, longa nempè, & rotunda: ſed figurâ duntaxàt diſcrepant prædictæ radices, cùm diverſas eſſe partes unius & ejuſdem plantæ haud dubitare liceat. Pro alexiteriâ, diaphoreticâ & analepticâ jure habetur; præterea inter ſtomachica numeratur, & diureticorum claſſem ſubit. Ideò nonnullis venenis reſiſtit, conducit in morſu animalium, prodeſt in febribus malignis & peſtilentibus, opportunè exhibetur in chloroſi, cachexiâ & hydrope, juvamen præſtat apoplecticis & paralyticis, vomitum compeſcit, flatus fugat, valet in lienteriâ, aliiſque alvi profluviis; aſthmaticis juvat, &c. Datur in ſubſtantiâ à granis ſex ad duodecim & ultrà: in infuſo verò vinoſo à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

(7.) *Seneka* eſt radix cujuſdam polygalæ virginianæ, de quâ MILLERUS & GRONOVIUS. Pro alexiteriâ & diaphoreticâ habetur, nec ipſi denegatur vis incidens & diuretica. Tanquàm ſpecificum apud Americanos cele-

Alexiteria.

bratur contrà lethalem morſum ſerpentis, ut inquiunt, caudiſoni. A nonnullis primi ſubſellii laudatur in cachexiâ & hydrope; nec deſunt qui illam pro egregio reſolvente in pulmonum phlogoſi deprædicent, penès quos ſit fides. Ad unciam unam præſcribitur pro librâ infuſi vinoſi, cyathim exhibendi: ſed rariſſimè, ni fallor, hodiè uſurpatur. Sunt qui velint polygalam noſtratem iiſdem inſtrui proprietatibus, quod ulteriori examini ſubjiciendum relinquimus.

(8.) *Scabioſa* pratenſis hirſuta, ſeu officinarum, C. B. pin. (*Scabieuſe*).

Ab uſu fermè receſſit hæc planta olim celebris. Haud tamen ipſi denegatur locus in ſerie alexiteriorum & diaphoreticorum: hinc à nonnullis adhibetur ſub variolis & febribus malignis. Inter pectoralia etiam recenſetur, & laudatur in variis pulmonum læſionibus, tùm acutis, tùm chronicis. Præſcribitur in decocto ad manipulum unum pro quâque librâ aquæ; vel ſuccus propinatur ad uncias quatuor. Servatur demùm in officinis aqua diſtillata, cui parùm fidendum.

(9.) *Macis*, (*Fleur de muſcade*), vocitatur hæc corticula membranacea ſublutea & odoratiſſima, nuci muſcatæ hærens. Inter alexiteria & analeptica præſtantiora jure recenſetur. Locum prætereà obtinet in ordine cephalicorum, cardiacorum, ſtomachicorum, carminantium, &c. In ſubſtantiâ exhibetur à granis quatuor ad duodecim, imò & ad ſcrupulum unum in infuſo vinoſo. A nonnullis manditur ad emendandum oris fœtorem, nec improſpero ſucceſſu. Oleum demùm è maci exprimitur, vel diſtillatione elicitur, quod à guttâ unâ ad quatuor, tanquàm ſtomachicum & carminans præſtantiſſimum intùs exhibetur, vel linimenti inſtar extrinſecùs admovetur ad vomitum & ſingultum ſedandos, vel ad infantum tormina compeſcenda, ſed in potiori officinarum parte deſideratur.

(10.) *Nux juglans*, ſive regia vulgaris, C. B. pin. (*Noyer*).

Præter nuces conditas, quæ pro roborando ſtomacho in uſum domeſticum cedunt, proſtat in officinis aqua nucum, (*eau de trois noix*), quæ triplici diſtillatione perficitur: prima reſpicit julos vel flores; ſecunda fructus virides vel immaturos, ſuprà quos affunditur prima aqua diſtillata; tertia nuces maturas vel maturitati proximas, accedente aquâ jam bis diſtillationi commiſsâ. Aqua nucum inter alexiteria & roborantia ſtomachica haud infimum locum obtinet, pro aperiente & diureticâ habetur, &c. Ideò fauſtè uſurpatur, ſervatis ſervandis, in variolis & febribus malignis; vires refocillat; appetitum reſtituit, & alimentorum concoctionem juvat; prodeſt in cachexiâ & hydrope; nec minorem laudem meretur in affectibus hyſtericis, &c. Doſis ab unciâ unâ ad ſex. De oleo nucum alibi.

(11.) *Cornu cervi* coctioni committitur, vel in ſubſtantiâ exhibetur. Utroque modo pro alexiterio & diaphoretico habetur, & prodeſſe videtur in variolis, febribus malignis, aliiſque morbis, ubi ſudore opus eſt. Quod ad vim abſorbentem & comprimentem attinet; adſcribi debet ſolo pulveri qui ſimplex vel præparatus in variis alvi fluxibus fauſtè uſurpatur. Raſura in decocto ad unciam unam præſcribitur, pro duabus aquæ libris.

Alexiteria.

In ſubſtantiâ verò ſumitur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Nemo neſcit cornu cervi diuturnâ coctione in gelatinam abire, quæ vulgò uſurpatur ad refocillandas vires, ventriculum inſtaurandum, &c. Ex illo demùm educuntur ſal & ſpiritus, de quibus ſuo loco, non ſecùs ac de cornu cervi præparato.

(12.) *Os de corde cervi* eſt oſſiculum triangulare, nonnunquàm cruciforme, vix unguem latitudine ſuperans, ex aortæ fibris oſſificatis & induratis ortum, in cervis annoſis. Simile etiam, ſed procerius, præbent boves, quod pro æquipollente habetur. Inter cardiaca & alexiteria à veteribus numeratur : ſed de hiſce viribus jure dubitant recentiores. Subadſtringens etiam audit remedium in hydropiſi fortè proficuum. Datur pulvis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

(13.) *Bezoard*, uti neminem eruditum latet, eſt lapis famigeratiſſimus quem præbent nonnullæ cervicapræ & ſimiæ, aliaque animalia diverſæ ſortis. Orientale, quod inter reſinæ & lapidis ſubſtantiam ambigit, & contuſum diſſolvitur in ſpiritu nitri, qui tunc rubrum colorem induit, tanquàm antidotum præſtantiſſimum, nec niſi majori pretio comparandum, ſuprà cætera celebratur, tàm in febribus malignis, peſtilentibus & variolis, quàm contrà venena intùs aſſumpta, vel animalium morſu impertita. Sed jam exolevit illud remedium, cùm arduum ſit diſtinguere huncce genuinum lapidem ab ſpurio ; adeò ut parùm abſit quin in ſolis curioſorum muſæis recipiatur. Cur inutile prorsùs judicamus examinis incudi ſubjicere, nùm commentitiæ ſint ejus vires, uti pluribus primi ſubſellii practicis viſum fuit. Doſis à granis quatuor ad duodecim & ultrà. Scire expedit pulverem viperinum, *bezoard animale* à nonnullis Pharmacopolis vocitari, & aliud Chymicos excogitaſſe, quod *minerale* audit ; & nihil aliud eſt quàm præparatio quædam antimonialis prorsùs inutilis ; cùm ejus vires coincidant cum proprietatibus diaphoretici mineralis, experientiâ magis comprobati.

(14.) *Pulvis è chelis cancrorum*, vel *Comitiſſæ Kent* à Medicis Londinenſibus & Pariſienſibus fortè plus æquo celebratus, conſtat è lapide bezoardico orientali, margaritis, pulvere viperino, apicibus chelarum cancrorum, corallo & nonnullis aliis abſorbentibus ; ac ſub trochiſcorum formâ ſervatur. Pro alexiterio, cardiaco & abſorbente habetur ; ideò prodeſſe fertur in variolis, febribus malignis, &c. Præſcribitur à granis duodecim ad ſemi-drachmam ; ſed huicce remedio parùm eſſe fidendum è præhabitis colligere datur.

(15.) *Pulvis Palmarii*, licèt vilioris pretii, haud exiguam laudem meretur adversùs morſum canis rabidi. Hunc ingrediuntur anaticâ proportione folia rutæ, verbenæ, ſalviæ minoris, plantaginis, polypodii, abſinthii, centaurii minoris, menthæ, artemiſiæ, betonicæ, meliſſæ & hyperici. Integræ ſervantur plantæ, quotannis renovandæ ; & ex tempore paratur pulvis, qui ad drachmas duas in juſculo aut vino mane exhibetur, per quadraginta vel quinquaginta dies. Sunt qui velint addere pul-

ALEXITERIA.

verem viperinum; haud ſanè inconſultò. In maximo fuit honore hoc remedium ad præcavendam hydrophobiam; & plures, me teſte, fauſto beavit eventu; priuſquàm innotuiſſent contrà eumdem morbum egregiè vires hydrargyri, qui hactenùs omnia evulgata ad hoc opus remedia longè antecellit.

(16.) *Theriaca* ubique paratur, pro Pharmacopœorum arbitrio recognita & emendata; ſed veneta, nùm jure, cæteris præfertur. Celebratiſſima hæc antidotus tantâ rerum farragine exſurgit, ut in aſſignandis ejus viribus planè hæreant quibus accuratè perſpecta fuit hæc egregia vel portentoſa compoſitio. Etenim præter aromaticorum uberrimum proventum, hunc ingrediuntur cephalica, antiſpaſmodica & narcotica, cardiaca & ſtomachica, purgantia & abſorbentia, diaphoretica & diuretica, vulneraria & adſtringentia; quibus addere licet amara & dulcia, ſuavè olentia & fœtida, mel & vinum, &c. Adeò ut videatur à cæco caſu in quævis obvia impulſum fuiſſe qui primus diſcrimen tentavit hujuſce inconcinnæ diſpenſationis, quam adſcribunt cuidam *Andromacho*, Neronis archiatro, qui illam poëmate Imperatori dicato celebravit. Nihilominùs tamen, neſcio quo benigno fato, ex illâ incongruâ & ineptâ variorum inter ſe pugnantium miſcellâ emerſit medicamen, quod congeneribus minime cedit; & inter alexiteria, tonica, ſtomachica & cardiaca quaſi primatum ducit. Illud de tralatitio hoc remedio notatu dignum occurrit, quod haud noxium deprehendatur; etſi ab imperitis & mulierculis quotidiè, tanquàm polychreſtum intempeſtivè adhibetur. Quamobrem ſummè deprædicatur adversùs morſum animalium venenatorum; toxicorum, ſi excipias corrodentia, noxios effectus avertit: haud inutilem opem præſtat in febribus mali moris; & in ipsâmet peſte: egregiè confert in cardialgiâ & colicis doloribus: tuſſientibus demùm & anheloſis nonnunquàm ſuccurrit. Doſis ab ſcrupulo uno ad drachmam unam, in juſculo, vino, aliove poculento; vel boli inſtar ſumitur.

(17.) *Orvietanum* ad theriacam proximè accedens, agyrtis, circulatoribus tradi videtur. Scire expedit totidem ferè eſſe hujuſce antidoti deſcriptiones quot ſunt PharmacopϾ; ſed accuratiorem eſſe illam HOFFMANNI exiſtimavit expertiſſimus LEMERY; non diſſentientibus Authoribus Codicis Pariſienſis. Ratione alexiteriorum, cephalicorum, cardiacorum, ſtomachicorum & diaphoreticorum, quæ ejus compoſitionem ſubeunt, parùm diſcrepat ab aliis electuariis. Sed uſus invaluit ut orvietanum cæteris anteponeretur, tàm contrà venena non corrodentia intùs aſſumpta, quàm adversùs animalium venenatorum morſum. Raró in alium uſum trahitur; licèt inter enumerandas ejus egregias & ſtupendas qualitates nuſquàm deſinant, qui illud qualecumque in plateis divenditant. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

(18.) *Spiritus volatilis viperarum* diſtillatione per retortam igne reverberii educitur. Primò prodit phlegma inutile & demùm ſpiritus unà cum *ſale volatili*: addito ſpiritu vini, mixta ſervantur; vel alteri diſtillationi committuntur ut ſal ſublimetur, & ſeorſim colligatur. Inter alexi-

térïa & diaphoretica præſtantiora jure recenſentur; atque in cephalicorum claſſe recipiuntur. Idcircò egregiè ſe gerunt in variolis, morbillis, febribus malignis, aliiſque morbis contagioſis exanthematicis: ſummè deprædicantur in morſu viperæ, aliorumque animalium venenatorum: nec inutilem opem conferunt in apoplexiâ, cæteriſque affectibus comatoſis. Doſis ſpiritûs volatilis à guttis ſex ad viginti, imò & triginta in hauſtu congruo. Sal verò à granis quatuor ad quindecim in liquore idoneo; vel ſub formâ boli exhibetur. Illud reticere minime debemus quod Medico Chymici prioris notæ in eâ ſint opinione, nullum eſſe diſcrimen reſpectu indolis & virium, tàm inter ſpiritus volatiles, quàm inter ſalia volatilia, quæ præbet animalium familia; quod ſanè rationi & experientiæ conſentaneum videtur.

ALEXITERIA.

APERIENTIA.

SANCITUM manet apud clinicos, ut hoc titulo inſigniantur hæc medicamina quæ ſuccis viſcidis, tenacibus & concreſcentibus motum & fluiditatem conciliare; atque vaſa obſtructa reſerare & expedire valent. Facilè innoteſcit id morbi genus, ſi adſit viſcerum intumeſcentia, durities & dolor quidam obſcurus vel gravativus: ſed hiſce deficientibus, uti haud rarò evenit, hunc affectum meris duntaxàt conjecturis aſſequi licet. Haud dilucidiùs patet nùm hic viſcerum infarctus ſit cauſa vel effectus hypochondriaſis, affectûs hyſterici, cachexiæ, hydropis, &c. Nec minoribus difficultatibus premitur aperientium agendi modus, atrâ ſanè caligine obrutus; quidquid oganniant quos non pudet ætatem in fingendis hypotheſibus terere. Sed illud præcipuum obſervatione edoctis incumbit munus, ut apprimè diſtinguant caſus, qui hoc vel illud remedium expoſtulant: cætera poſthabere minime nefas. Notatu dignum occurrit quòd varia in aperientium claſſi occurrant diverſæ naturæ, imò & contrariæ qualitatis: martialia ſcilicèt, quæ primatum quaſi ducunt, virtute quâdam adſtringente prædita eſſe nullus fermè ambigendi locus; quæ ſcilicèt vi aperienti planè adverſari videtur. Illud tamen non impedit quominùs, experientiâ duce, inter obſtructiones reſerantia præſtantiora numerentur martialia; haud dubitare licet quin ſuum effectum exerant, non, uti vulgò fertur, dividendo & attenuando hærentes ſuccos; ſed potiùs tonum conciliando laxioribus vaſis, quæ anteà everberandis & ſubigendis ſuccis imparia manebant. Hinc perſpicuum fit, cur haud omnibus congruant prædicta remedia, præſertim ſi rigeant ſolida; ſub quâ conditione nihil niſi noxam inferre queunt: ſcitur enim quòd à martialium intempeſtivo uſu, haud præmiſſis ſcilicèt diluentibus & humectantibus, emergant ſpirandi difficultates, abdominis intumeſcentia, ſtagnatio œdematoſa, aliaque incommoda, de quibus ſatis ſuperque alibi: hinc perſpicuum fit, tantùm fore proficua è marte parata, quantùm ſyſtema

Aperientia.

tubuloſum flaccidum & debilius evadit. Idem eſto judicium de cæteris roborantibus & tonicis, amaris & ſtomachicis, hanc etiam claſſem ingredientibus; quæ ideò eâdem cautelâ exhiberi debent. Hùc quoque pertinent diuretica ſtimulantia, de quorum proſperis effectibus nullum eſt dubium; nec locus denegatur ipſiſmet catharticis quæ alterantium inſtar, minori doſi exhibita egregiam ſæpiùs opem conferunt: ut de cæteris quæ peculiari vi reſolvendi & incidendi fortè pollent nihil addam. E quibus patet cæteris longè ampliorem eſſe hanc claſſem, quam tamen, pro inſtituti ratione, contraximus; ne repetitam crambem apponeremus. Inſuper nemo neſcit radices apii, aſparagi, feniculi, petroſelini & ruſci, *quinque aperientes majores* vocitari; radices verò capparis, eryngii, graminis, anonidis & rubiæ tinctorum, pro *quinque minoribus* haberi.

EMPORETICA.

Radices graminis, aſparagi, eryngii (1), calcitrapæ, apii, feniculi, petroſelini, raphani, anonidis, bruſci (2), rubiæ tinctorum (3), capparis (4), gentianæ, aſari, bryoniæ (5), anchuſæ, helenii, aquilegiæ, caryophyllatæ, imperatoriæ, ireos Germanicæ & noſtratis, polypodii, tamni. Rheum, zedoaria, curcuma, galanga, acorus, zingiber.

Folia cichorii, eupatorii cannabini, fumariæ, tanaceti, abrotani, camphoratæ, veronicæ, virgæ aureæ (6), lupuli, ribeſii nigri, gratiolæ, centaurii minoris, abſinthii majoris & minoris, chamædryos, cochleariæ, naſturtii hortenſis & aquatici, berulæ, becabungæ, dictamni cretici, hyſſopi, mari, marrubii albi, menthæ, ſalviæ, botryos, ſatureiæ, ſantolinæ; herbæ vulnerariæ & capillares, epithymum.

Flores hyperici, roris marini, ſtœchados Arabicæ.... Semina aquilegiæ, ſinapi, geniſtæ.... Fructus alkekengi, baccæ juniperi, cortex aurantiorum.... Caryophylli, cubebæ.... Lignum lentiſci, cortex tamariſci & fraxini.... Caſcarilla, cinnamomum, cortex Winteranus.... Balſama naturalia, ſapo.... Styrax calamita, bdellium, galbanum, aloë.... Lac caprinum, ſerum lactis.... Putamina ovorum, aſelli (7)... Aquæ Vallenſes, Forgienſes, Spadanæ, Paſſiacæ, Cranenſes, Vicienſes (8), Bellilucanæ, &c.... Nitrum, ſal ammoniacum, catharticum amarum.... Ferrum (9), antimonium, lapis hæmatites.

APERIENTIA.

OFFICINALIA.

Aqua cichorii, juniperi, nucum... Aqua picea, aqua calcis ſecunda... Lixivium è cineribus geniſtæ, abſinthii, &c.... Syrupus de quinque radicibus (10), de cichorio ſimplex & compoſitus, mercurialis, de betonicâ, de cochleariâ, florum perſicorum.... Vinum abſinthites.... Crocus (11), & extractum martis, æthiops mineralis (12)... Extractum juniperi, abſinthii, enulæ campanæ... Pilulæ Starkii, hydropicæ (13), ſcilliticæ, Edimburgenſes... Tinctura martis tartariſata (14)... Spiritus ſuccini, caryophyllorum... Spiritus nitri dulcis, Mindereri... Sal geniſtæ (15), tamariſci, tartari, vegetabile (16) vel tartarus ſolubilis, Glauberi... Sal ſuccini, ſal martis Riverii... Tartarus chalybeatus (17), & vitriolatus, cremor tartari, terra foliata tartari (18)... Flores martiales, ſalis ammoniaci (19)... Crocus martis antimoniatus Stahlii... Magneſia alba, kermes minerale, antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum.

MAGISTRALIA.

AQUA RHABARBARI.

℞ *Rhei* contuſi, in nodulo, drachmas duas, infunde calidè per quatuor horas & bulliat demùm leviter in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Rhabarbari* craſſiuſculè triti drachmam unam & ſemis. *Salis geniſtæ* & *vegetabilis* ana ſemi-drachmam. Omnia nodulo incluſa ſuſpendantur in vaſe vitreo, ſuperponendo aquæ tepidæ libras quatuor. Macerentur per noctem.

AQUA MINERALIS.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi, cremoris tartari* ana uncias duas. Bulliant in aquæ libris octo, ad ſex. Infundantur demùm calidè per viginti quatuor horas. Poſt magmatis ſubſidentiam decanta & cola.

℞ *Limaturæ martis* probè lotæ unciam ſemis. Infunde per viginti quatuor horas in *vini albi* librâ unâ. Colaturam miſce cum aquæ fontanæ libris duodecim. Servetur in lagenis ritè obturatis pro potu ordinario.

PTISANA.

℞ *Folior. linguæ cervinæ* manip. tres. *Ceterac* manip. unum. Bulliant leviter in aquæ libris quatuor. Sub finem adde *liquiritiæ* contuſæ ſemi-unciam. Colatura ſervetur ad uſum.

Aperientia.

℞ *Radic. graminis* & *eryngii* ana unciam unam. *Foliorum ſcolopendrii* manip. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde *liquiritiæ* ſemi-unciam.

℞ *Radicum bruſci* & *aſparagi* ana unciam unam. *Cinerum ſarmentorum*, in nodulo, uncias tres. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Adde ſub finem *liquiritiæ* q. ſ.

℞ *Radicum petroſelini & fragariæ* ana unciam unam; *fructus cynorrhodon* numero viginti; *tartari martialis ſolubilis* drachmam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

℞ *Baccarum juniperi* uncias duas. *Radicum ireos florentinæ* ſemi-unciam. *Summitatum centaurii minoris* manipulum ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex.

SUCCUS.

℞ *Folior. cichorii* & *apii ſylveſtris* ana manipulum unum & ſemis. Inciſis adde *aſellos* lotos numero viginti. *Croci martis aperientis* drachmam unam. Digerantur per noctem, & extrahatur ſuccus ex arte, pro duplici doſi.

℞ *Succi parietariæ* & *cerefolii* ana uncias duas. *Salis tartari*; *aſellorum præparatorum* ana grana duodecim. Miſce pro hauſtu.

℞ *Foliorum cichorii*, *pimpinellæ* & *naſturtii aquatici* ana manipulum unum. Inciſa calidè digerantur per noctem cum decem *aſellis* lotis. Mane extrahatur ſuccus pro duabus doſibus.

SERUM LACTIS.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi* optimè pulveratæ, & in nodulo ſuſpenſæ drachmas duas. Infunde calidè in *ſeri lactis* libram unam. Leviter exprime.

APOZEMA.

℞ *Rad. bruſci* & *aſparagi* unciam unam. *Rhei* contuſi & *ſalis tartari*, in nodulo, drachmas duas. *Fructuum alkekengi* unciam unam. *Foliorum linguæ cervinæ* & *cerefolii* ana manipulum ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Cuique colaturæ libræ adde *ſyrupi de quinque radicibus* ſemi-unciam.

℞ *Radic. feniculi* & *rubiæ tinctorum*, *corticis medii ſambuci*, ana unciam unam. *Folior. cichorii* & *ſcolopendrii* ana manip. unum. *Summitatum aſparagi* manipulum ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *tartari chalybeati* drachmas duas. Fiat apozema.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi*, in nodulo; uncias duas. *Radic. eryngii* & *apii* ana unciam unam. *Radicum ſiccarum enulæ campanæ* drachmas duas. *Foliorum cerefolii* man. unum. *Aſellorum* lotorum paria decem. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *arcani duplicati* drachmas duas.

℞ *Baccarum juniperi* uncias duas. *Radic. enulæ campanæ* & *bryoniæ* ana ſemi-unciam.

ſemi-unciam. *Fructuum alkekengi* paria decem. *Summitatum roris marini* manipulum ſemis. *Foliorum orientalium*, in nodulo, ſemi-unciam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *ſyrupi de cichorio cum rheo* uncias duas.

APERIENTIA.

JUSCULUM.

℞ *Radic. feniculi* & *aſparagi* ana ſemi-unciam. *Limaturæ ferri rubiginoſi*, in nodulo, drachmas duas. *Rhei* contuſi, etiam in nodulo, ſemi-drachmam. Bulliant per horam in *juſculo pulli*. Dein adde *folior. cichorii* & *linguæ cervinæ* ana manipulum ſemis. Coque per horæ quadrantem, & fiat juſculum, cui addere licet pro re natâ, *mannam*, *folia orientalia*, *ſalia cathartica*, &c.

℞ *Radic. apii ſylveſtris*, vel *petroſelini*, unciam unam. *Corticis medii ſambuci* ſemi-unciam. *Rhei*, in nodulo, ſemi-drachmam. Coque in *juſculo carnis vitulinæ* per horam. Adde *folior. agrimoniæ* & *linguæ cervinæ* ana manip. ſemis. Bulliant per ſemi-horam, & fiat juſculum Diſſolve in primo cochleari, *tartari chalybeati* ſemi-drachmam, reliquum ſuperbibendo.

℞ *Polypodii quercini* unciam unam. *Rad. ſiccarum enulæ campanæ* drachmam unam; *millepedes* lotos & contuſos, numero duodecim. *Foliorum dentis leonis* manip. ſemis. Fiat ex arte juſculum cum *fruſtulo carnis vitulinæ*; cui adde *arcani duplicati* ſemi-drachmam, vel *ſalis martis Riverii* grana tria.

℞ *Carnis vitulinæ* in taleolas ſectæ libras duas. *Foliorum naſturtii aquatici* & *cichorii* ana manip. unum. *Foliorum cerefolii* manip. ſemis. *Rhei* in pulverem redacti ſemi-drachmam. *Millepedes* vivos, lotos & contuſos, numero quindecim. *Florum martialium ſalis ammoniaci* grana duodecim. In ollâ fictili diſpone ſtratum ſuper ſtratum, & ſuperaffunde aquæ uncias tres. Dein ollâ probè obturatâ & collocatâ in balneolo, bulliant per ſex horas. Cola & exprime pro juſculo.

VINUM.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi* uncias quatuor. *Cinnamomi contuſi* drachmas duas. Infunde per viginti quatuor horas in *vini albi* quatuor, & ſtent in infuſione. Doſis ab unciis duabus ad quatuor, bis in die.

℞ *Croci martis aperientis*, in nodulo, uncias tres, & pariter *rhei* contuſi ſemi-unciam. *Summitatum abſinthii minoris* manip. unum. *Aſellorum* lotorum & contuſorum, in nodulo, paria triginta. Infunde in *vini albi* libris quatuor per viginti quatuor horas. Doſis ab unciis duabus ad quatuor, pluriès per diem iteranda.

℞ *Ireos florentinæ* uncias duas. *Rad. enulæ campanæ* & *ſcillæ* ana ſemi-unciam. *Corticis medii ſambuci* uncias duas. *Corticis Winterani* drachmas duas. *Folior. orientalium* uncias duas. Infunde frigidè per biduum in *vini albi* libris quatuor. Doſis ad uncias quatuor, mane.

℞ *Radic. ſcillæ præparatæ* ſemi-unciam. Infunde per biduum in *vini albi*

libris quatuor. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciâ unâ ad duas, ſemel aut bis in die.

APERIENTIA.

℞ *Rad. calami aromatici* & *gentianæ* ana unciam unam; *ſummitatum abſinthii* uncias duas; *baccarum juniperi* uncias quatuor. Ritè contuſa infundantur calidè per viginti quatuor horas in *vini albi* libris ſex, vaſe probè clauſo; colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis duabus ad quatuor.

℞ *Limaturæ chalybis* uncias duas. *Succi aurantiorum acidorum* uncias quatuor. Stent ſimul per viginti quatuor horas. Dein adde *vini albi* libras quatuor; *cinnamomi* drachmas ſex: ſtent iterùm tepida per quatuor dies. Doſis ab unciis duabus ad quatuor; ſemel biſve in die.

PULVIS.

℞ *Rhabarbari* ſemi drachmam. *Salis tartari*, vel *terræ foliatæ tartari*, grana duodecim. Miſce. Fiat pulvis ex vino calido exhibendus.

℞ *Croci martis aperientis* grana duodecim. *Caſſiæ ligneæ* grana ſex. Miſce. Capiatur ante prandium, vel mane ſuperbibendo juſculum.

℞ *Aſellorum præparatorum*, *croci martis aperientis* ana grana octo. *Cinnamomi* grana ſex. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Croci martis* & *aſellorum præparatorum* ana drachmas duas. *Caſſiæ ligneæ* & *ireos Florentinæ* ana ſemi-drachmam. *Sacchari* candidi drachmas duas. Miſce. Doſis ad grana viginti.

℞ *Rhabarbari* & *pulveris Cornachini* ana grana quindecim; *croci martis aperientis* grana duodecim; *aſellorum præparatorum* grana decem. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Millepedum præparatorum* & *croci martis aperientis* ana grana decem; pulveris *jalapæ* grana ſex. Miſce. Fiat pulvis quotidie renovandus.

BOLUS.

℞ *Rhei* ſemi-drachmam. *Cremoris tartari* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus, cum *ſyrupo de cichorio compoſito*.

℞ *Croci martis* & *rhei* ana grana duodecim. *Caſſiæ ligneæ*, *ſalis abſinthii*, ana ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum*.

℞ *Salis martis Riverii* à granis ſex ad octo. *Extracti fumariæ* q. ſ. ad bolum.

℞ *Gummi ammoniaci* & *croci martis aperientis* ana ſcrupulum ſemis. *Tartari vitriolati* grana decem. *Millepedum præparatorum* grana octo. *Aquilæ albæ* grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de quinque radicibus*.

OPIATA.

℞ *Croci martis* ſemi-unciam. *Rhei* & *aſellorum præparatorum* ana drachmas duas. *Salis tamariſci* vel *abſinthii* drachmam unam & ſemis. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio compoſito*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Croci martis aperientis* unciam unam. *Rhei* & *jalapæ* ana ſemi-unciam. *Tartari vitriolati* & *antimonii diaphoretici* ana drachmas duas. *Diacrydii* drachmam unam & ſemis. *Cinnamomi* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo florum perſicorum*. Doſis ad drachmam unam.

APERIENTIA.

℞ *Croci martis* ſemi-unciam. *Gummi ammoniaci*, *rhei* & *ſennæ* ana drachmas duas. *Jalapæ* & *diacrydii* ana drachmam unam & ſemis. *Antimonii diaphoretici*, *æthiopis mineralis* & *ſalis ammoniaci* ana drachmam unam. *Croci orientalis* & *ſalis tamariſci* ana ſcrupulos duos. Ex omnibus pulveratis & mixtis fiat opiata cum *ſyrupo de quinque radicibus*. Doſis à drachmâ unâ ad duas; ex nebulis voranda.

℞ *Croci martis* unciam unam. *Radicum enulæ campanæ* ſemi-unciam. *Jalapæ*, *rhei* & *aloës ſoccotrinæ* ana ſemi-drachmam. *Tartari vitriolati* & *ſalis geniſtæ* ana drachmam unam & ſemis. *Caſſiæ ligneæ* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo mercuriali*. Doſis à ſemi-drachmâ ad ſcrupulos duos.

℞ *Extracti martis* ſemi-unciam. *Sennæ*, *rhei* & *jalapæ* ana drachmas duas. *Aſellorum præparatorum* & *æthiopis mineralis* ana drachmam unam. *Salis cathartici amari* ſemi-unciam. *Diaphœnici* drachmas ſex. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis pallidis*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Radicum ari præparati* drachmas duas. *Croci martis* ſemi-unciam. *Myrrhæ* & *gummi ammoniaci* ana drachmam unam. *Florum martialium ſalis ammoniaci* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio*. Doſis ad ſemi-drachmam.

℞ *Boracis* ſemi-drachmam. *Croci martis aperientis* ſcrupulos duos. *Aſellorum præparatorum* & *tartari vitriolati* ana drachmas duas. Miſce. Fiat opiata cum *extracto fumariæ* pro decem doſibus.

℞ *Croci martis aperientis* drachmam unam; *rhei* ſcrupulos duos; *cinnamomi* & *diacrydii* ana ſcrupulum unum. Ex accuratè mixtis fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio cum rheo*; pro quatuor doſibus.

P I L U L Æ.

℞ *Rhei* electi unciam unam & ſemis. *Trochiſcorum alhandal* & *gummi guttæ* ana unciam unam. *Gummi ammoniaci* & *tartari vitriolati* ana ſemi-unciam. Ex omnibus ritè pulveratis & mixtis, fiat maſſa pilularum cum *ſyrupo de cichorio cum rheo*. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

℞ *Saponis veneti* unciam ſemis; *gummi ammoniaci*, *aſellorum* & *ſcillæ præparatæ* ana drachmam unam. Miſce, & fiant pilulæ cum *ſyrupo mercuriali*. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

℞ *Aloës ſoccotrinæ* unciam unam & ſemis. *Gummi guttæ* & *ammoniaci* ana drachmas duas. *Diacrydii* & *tartari vitriolati* ana drachmam unam. Miſce. Fiat maſſa cum *ſyrupo roſato ſolutivo*. Doſis ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulum unum.

℞ *Saponis Hiſpanici* drachmas ſex. *Rhei* drachmas tres. *Croci orientalis*

Aperientia.

drachmam unam. Miſce. Fiat maſſa cum *ſyrupo de gentianâ*, & formentur pilulæ auri folio obvolvendæ. Doſis ad ſemi-drachmam & ultrà.

℞ *Saponis veneti* drachmas tres. *Cremoris tartari* drachmam unam. Miſce contundendo, & conficiantur pilulæ. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Gummi ammoniaci* uncias duas; *myrrhæ rubræ* unciam unam; *croci martis aperientis* drachmam ſemis. Fiant cum ſ. q. *elixirii proprietatis Paracelſi* pilulæ, numero ſexaginta, quarum doſis à tribus ad quinque.

COMMENTARIA.

(1.) Eryngium vulgare, C. B. pin. (*Chardon roland* ou *Panicaut*).

Cortex radicis hujuſce vulgatiſſimæ plantæ in familiariſſimum uſum venit, tanquàm aperiens & diureticum eximium, non modò in morbis chronicis, ſed etiam ſubacutis, etiam ſæviente paroxyſmo nephritico. Hujuſce corticis recentis doſis in decocto ad unciam unam præcipitur pro quâque aquæ librâ; minoris eſt efficaciæ, ſi ſiccus uſurpetur.

(2.) *Bruſcus*, C. B. pin. Ruſcus myrtifolius aculeatus, Inſtit. rei herb. (*Petit houx*).

Radix hujuſce fruticis aperientium & diureticorum claſſem ſubit: ideò egregiam opem confert in obſtructione viſcerum, laudatur in infarctu renum, dummodò nulla phlogoſeos ſit ſuſpicio. A nonnullis demùm deprædicatur in ſcrophulis; nùm rectè? viderint in arte periti. Ad ſemi-unciam præſcribitur pro ſingulis libris infuſi vel decocti. In ſubſtantiâ verò à ſemi-drachmâ ad drachmam unam exhibetur.

(3.) *Rubia tinctorum* ſativa, C. B. (*Garance*).

Inter aperientia & diuretica refertur hujuſce plantæ radix rubra: locum etiam habet in ſerie reſolventium, nec tonicâ virtute defraudatur. Idcircò ſummè celebratur in cachexiâ, ictero & hydrope; conducit in chloroſi & ſuppreſſis menſibus; egregiam opem confert in contuſionibus, præcipuè poſt caſum ab alto: rhachiticis demùm opitulari creditur. Sicca adhibetur in infuſo aut decocto, à drachmis duabus ad ſemi-unciam pro quâque librâ liquidi. Nemo neſcit hanc radicem à tinctoribus adhiberi ad coloris rubri præparationem; quod ipſo titulo ſat exprimitur.

(4.) *Capparis* ſpinoſa, J. B. (*Caprier*).

Radicis cortex, cui ineſt quædam amarities, pro aperiente & tonico habetur: hinc prodeſt chloroticis, cachecticis, ictericis & hydropicis; imò & paralyticis ſuccurrit. In infuſo ſiccus præſcribitur à drachmis duabus ad ſemi-unciam pro quâque librâ aquæ vel vini; & ad duplum ſi recens uſurpetur. Datur verò in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ex vino albo. Nemo non novit cappares, *les capres*; vel hujuſce fruticis gemmas in aceto conditas; quæ palato gratiſſimæ, languentem appetitum

inſtaurare valent : ſed cave ne elegantiſſimus color viridis ærugine, uti ſolent ſtolidi vel iniquiſſimi confectores, ipſis conciliatur.

APERIENTIA.

(5.) *Bryonia* aſpera ſive alba, baccis rubris, C. B. pin. (*Bryone, coulevrée*, ou *vigne blanche*).

Radix hujuſce plantæ dumetoſæ, quæ ratione ſubſtantiæ albicantis & fungoſæ ad agaricum nonnunquàm accedit, & pro hoc fungo in emporiis venditatur, ſapore nonnihil amaricante & odore ingrato, in agmine aperientium & diureticorum recipitur, imò & inter emetico-cathartica recenſeri poteſt, ſi ultrà doſim infrà aſſignandam exhibetur. Ideò valet in cachexiâ & ſeroſâ colluvie; necnon in hydrope pectoris : laudem obtinet in aſthmate, ut inquiunt, humido : ac ſummè deprædicatur in obſtructione uteri; adeò ut à nonnullis, ſub hoc caſu, tanquàm ſpecificum decantetur. Recens præſcribitur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemiſſem, pro quâque decocti librâ; ſicca verò à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Ejus demùm pulvis in ſubſtantiâ exhibetur ab ſcrupulo uno ad duos. Exprimitur quandóque ſuccus & in juſculo propinatur à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Inter prædictum ſuccum depurandum, farinacea quædam materia in fundo vaſis ſubſidet : quæ exſiccata ſub *fæcularum* nomine, è granis decem ad ſemi-drachmam à nonnullis uſurpatur; ſed ejus exiguæ ſunt vires. Quoad uſum externum radix recens in ordine reſolventium principem locum meretur, & fauſtè uſurpatur adversùs contuſiones; nec inutilem opem confert, ſi admoveatur tumoribus cyſticis, ſcrophuloſis, &c.

(6.) *Virga aurea* vulgaris latifolia, C. B. pin. (*Verge dorée*).

Integra planta aperientium & diureticorum gradum conſequitur; cur fit ut locum habeat in curatione cachexiæ & hydropis; & auxilio ſit nephriticis; dummodò tamen ab eâ abſtineant urgente paroxyſmo. Summitates floridæ ad manipulum unum, & ultrà præſcribuntur pro quâque librâ decocti vel infuſi. Inſuper inter vulneraria & detergentia externa celebratur.

(7.) *Millepedes* vel *Aſelli*, (*les Cloportes*), inſecta, uti nemo neſcit, degentia in cellis, aliiſque locis uliginoſis, vel in rimis parietum, exanguia, multis pedibus inſtructa, quæ pro lubitu ſe contrahere, & in orbem piluliformem ſe complicare queunt. Præcipuum locum tenent in ſerie aperientium & incidentium; claſſem diureticorum ſubeunt, nec depurante vi deſtituuntur. Horum familiaris eſt uſus in cachexiâ, ictero & hydrope. Sub infarctu ſkirrhoſo conducunt, nec exiguàm laudem merentur ad oppugnandum virus ſcrophuloſum & cancroſum. Pluribus aſthmaticis opitulantur; & pro depellendis renum & ureterum arenulis ſummè deprædicantur; nec deſunt qui ipſis facultatem lithontripticam tribuunt; plures demùm, penès quos ſit fides, aſellos habent, tanquàm præſentiſſimum remedium ad præcavendam cataractam. In vino albo loti & contuſi, atque nodulo incluſi, ingrediuntur ptiſanas, apozemata, juſcula & ſerum lactis, in quibus bulliunt per nonnulla minuta : vel ſimplici infuſioni traduntur in vino albo, vel decocto parietariæ. Utroque modo à

Aperientia.

decem ad triginta, pro hauſtu, præſcribuntur; vel eorum, paululùm adaucto numero, ſuccus exprimitur & ex juſculo propinatur. Ab aſellis demùm notiſſimâ arte exſiccatis paratur pulvis, haud diſſimilibus viribus inſtructus, qui à granis ſex ad quindecim pro doſi pluriès per diem iterandâ, & ultrà, ſi ſemel tantùm exhibeatur. Aſellorum præparatorum nomine venit prædictus pulvis.

(8.) *Aquæ Vicienſes* (*de Vichy*), oppiduli in regione Borbonienſe, ad fluvium Claverem (*Allier*), à Molinis (*Moulins*), decem leucis ad Ortum diſſiti; tepidæ, ſapore vinoſo, ſulphur & ferrum redolent. Inter aperientia & diuretica præſtantiora numerantur, diaphoreticorum & depurantium claſſem ſubeunt; ac in tonicorum, cephalicorum, ſtomachicorum, &c. ordinibus recipiuntur, nec vi catharticâ deſtituuntur quam pluris faciunt curantes. Quamobrèm deprædicantur in obſtructionibus, cachexiâ & ictero: conducunt in renum & veſicæ morbis: egregiè ſe gerunt in fluore albo: multis efferuntur laudibus ad febrem quartanam, aliaſque intermittentes: ventriculi vires inſtaurant, paralyticis proſunt, vertiginoſis ſuccurrunt, &c. Propinantur à librâ unâ, ad ſex & ultrà.

(9.) *Ferrum* ſive *Mars* duplici & contrariâ, uti jam innuimus, virtute inſtrui videtur, adſtringente ſcilicèt & aperiente. Minime ſanè mirum cùm varia in aperientium albo occurrant, quæ vi roborante ſuos præcipuos effectus exerunt; vaſorum ſcilicèt tonum reſtituendo. Quidquid ſit de eorum agendi modo; mars inter præſtantiora aperientia celebratur. Nuda chalybis ſubſtantia, vel limatura ſincera, integra, aut in tenuiſſimum pulverem redacta, præſentaneum ſuppeditat remedium adversùs obſtructiones, cachexiam, chloroſim & menſes ſnppreſſos. Opportunè ſæpiùs exhibetur in febre quartanâ, non ſecùs ac alia aperientia. Melancholicis demùm prodeſt, præſertim ſi de cruditatibus, ut inquiunt, acidis conquerantur. Doſis à granis quatuor ad viginti. Nullum eſt dubium quin ejus tinctura ad ſanguinem appellat; ſed pars craſſior per ſedes, nigro colore tinctas, egeritur: nemo neſcit quòd inter hujuſce pulveris uſum, vitari debeant omnia acida. Si ferrum candens pluriès in aquâ vel vino immergatur, ipſis vim adſtringentem impertitur; cujus ratione conducunt ad varios alvi fluxus; eâdem arte alterantur lac & ſerum lactis; ubi diarrhœam excitant. Poſtremò paratur poculentum aperiens, in aquam projiciendo ſcobem, vel clavos ferreos; ſed haud niſi diuturno uſu quemcumque effectum exerit hæc aqua. Limatura rubiginoſa à ſemi-unciâ ad unciam unam, nodulo ſuſpenſa, infunditur ferventibus juſculis, apozematibus, ptiſanis, &c. Notare expedit noxia fore martialia, in ſubſtantiâ exhibita, ni fæces alvinas inficiant; præſertim ſi majori, quàm par eſt, doſi ſumantur: ab hiſce demùm remediis quâvis arte paratis abſtinere debent tuſſientes; non ſecùs ac hi quos juvant venæ ſectiones & lacticinia. Varia inſuper præparata proſtant in officinis; crocus nempè aperiens & adſtringens, globulus martialis; tinctura, extractum & ſal martis; tartarus chalybeatus, flores martiales, &c. de quibus ſuo loco. Sed futiles eſſe quaſvis

ferri præparationes, plures inter eximios practicos, poſt Sydenhamum autumant, aſſeruntque magno damno artem adhiberi in iis elaborandis ut corrumpatur & deterior evadat ferri natura; nec huic ſolertiorum opinioni refragatur noſtra experientia.

(10.) *Syrupus de quinque radicibus* paratur è decocto defæcato radicum apii, feniculi, petroſelini, aſparagi & bruſci, quod iterùm coctioni committitur, cum ſaccharo, juxtà artem notiſſimam. In aperientium & diureticorum tractu admittitur hic ſyrupus; qui vulgò additur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemiſſem, apozematibus inter obſtructionum, cachexiæ, hydropis, &c. curationem exhibendis.

(11.) *Crocus martis aperiens*, ſic vocitatus ut diſtinguatur à croco martis adſtringente igne parando, & de quo infrà, nihil aliud eſt quàm ferri rubigo; ad quam obtinendam, limatura ſub dio, vel in aprico exponitur, donec rore vel pluviis imbuta, rubiginis naturam induerit. In numerum eximiorum aperientium & menſes moventium adſciſcitur hic pulvis; ideò valet in cachexiâ, chloroſi, hydrope, &c. Inſuper vi abſorbente gaudere videtur, atque alvum adſtringit. Hunc ægrè ferunt hypochondriaci & hyſtericæ; ni præmittantur diluentia & humectantia; quod ſanè neminem practicum fugit. Sub formâ pulveris, boli, opiatæ præſcribitur, à granis octo ad quindecim, & ultrà: ſed notare juvat hunc magis proficuum fore, ſi refractâ doſi & diutiùs exhibeatur. Infunditur prætereà in nodulo, non ſecùs ac limatura, à ſemi-unciâ ad unciam unam, pro juſculo, apozematis librâ unâ, vel ptiſanæ libris duabus. Hic nodulus pluriès in uſum venit; dummodò reſtituatur quod deeſt ponderi.

(12.) *Æthiops martialis.* Sic vocitarunt, qui novâ nomenclaturâ gloriolæ famam captant, ſinceri martis pulverem tenuiſſimum, qui ab aquâ agitatâ excipitur, & demùm ſubſidet. A granis quatuor ad octo præſcribitur hic pulvis, qui vix in uſum venit: cùm cæteris remediis ejuſdem indolis minime, ni fallor, præſtet; & nonniſi magno labore comparetur.

(13.) *Pilulas hydropicas* Bontii ingrediuntur aloe, gummi gutta, diacrydium, gummi ammoniacum & tartarus vitriolatus; è quibus perſpectis patent harumce pilularum vires. Doſis à granis duodecim ad ſemi-drachmam.

(14.) *Tinctura martis tartariſata* audit hæc diſſolutio ferri ab acido tartari, quæ ſimpliciſſimo proceſſu perficitur: bulliant nempè limatura ferri & tartarus albus in aquâ pluviali; filtretur liquor, atque evaporationi committatur, ad conſiſtentiam ſyrupi; atque addito ſpiritu vini, ne mucorem & ſitum contrahat, ſervetur ad uſum. Si hæc materia, ignis ope, ulteriùs exſiccetur, emergit *extractum*, ut inquiunt, *martis*, cujus varius eſt parandi modus, haud immutatis qualitatibus. Tincturam martis virtute aperiente & roborante præditam eſſe, apud omnes, pro comperto manet. Cur opportunè exhibetur, in cachexiâ, aliiſque morbis chronicis, ab obſtructionibus, vel ab atoniâ partium oriundis. Præſcribitur à ſemi-drachmâ ad drachmas duas, in juſculo, vel quovis alio hauſtu.

APERIENTIA.

(15.) *Sal geniſtæ* è cineribus vel è ſucco hujuſce plantæ virentis educitur: hinc duplex emergit, *ſal lixiviale* nempè & *eſſentiale*. Cineres cujuſvis ſtirpis ad albedinem calcinati ſal præbent lixiviale : ad quod opus bulliant in aquâ, filtretur lixivium & evaporet, donec concreſcat prædictum ſal. Nihil prioris plantæ indolis præ ſe ferre videntur ſalia lixivialia, adeò ut nullum ſit diſcrimen ratione ſaporis & virium medicarum inter ſalia geniſtæ, tamariſci, acetoſæ, abſinthii, ſennæ, kinækinæ, &c. Quapropter omnibus conceditur vis aperiens & diuretica; ſi exhibeantur à granis duodecim ad viginti & ultrà. Cautè tamen cum illis mercari debemus, ob ſummam, quâ donantur, acredinem, cujus, pro calcinationis ratione, varius eſt gradus. Nemo neſcit eorum naturam eſſe planè alkalinam; quâ fit ut cauſticorum vires mentiantur. Paululùm mitiora ſunt ſalia lixivialia, ſi methodo tachenianâ extrahantur, quæ ſic ſe habet. In cacabo ferreo, operculo munito, plantæ recèns collectæ comburantur, donec in carbonem faceſſant; eâ tamen arte ut flammam minime concipiant. Hic carbo aëri demùm exponitur, donec igne aperto ſcintillare incipiat abſque flammâ, ut albeſcens cineris naturam induat: è quo ſal cæteris temperatius ſolitâ lixiviatione elicitur. Sic parata ſalia, colore fuſco, minori acredine inſtruuntur, & mitiùs cum acidis fermenteſcunt, ac ideò cæteris præferuntur; ſed ob difficiliorem encheireſin, in variis officinis deſiderantur.

Alterum ſalis genus è ſucco plantarum elicitur; & *ſal eſſentiale* audit, quod naturam ſtirpis retinet, & cæteris longè præcellit. Sub hoc propoſito plantæ ſuccoſæ, lento igne, digeſtioni committuntur: ſiccæ verò aquâ macerantur & impræegnantur. Ex alterutris contuſis exprimitur ſuccus qui evaporatione, à ſuperfluo latice liberatur; & reliquum in loco frigido quieſcat per plures dies, ut particulæ terreæ & fæculentæ ad fundum vaſis deturbentur, ac concreſcant cryſtalli. Noſſe oportet hæc ſalia educi etiam poſſe è plantarum decocto ritè ſaturato. Sed difficilis eſt uterque proceſſus, & ſummis difficultatibus premitur; cur fit ut hæc ſalia raro venalia proſtent. Præſcribuntur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Nemo neſcit ſaccharum & tartarum mera eſſe ſalia eſſentialia.

Nuperrimè alia prodiit methodus extrahendi ſalia, juxtà Authoris mentem, eſſentialia: verſatur circà macerationem, triturationem & evaporationem: ſed poſt improbum laborem pro urceo amphora exit. Quapropter futilis eſt hic proceſſus longiſſimus & difficillimus; cùm è ſimplici decoctione vel infuſione plantarum poſt ſolitam evaporationem in lancibus, vel orbibus fictilibus eſcariis vulgatiſſimis, ſimillima materia ſalina, quæ ſplendore intuentium oculos perſtringit, obtinetur; quæ nil aliud eſt quàm extractum ſiccum plantarum, cujus præſtantia in minori duntaxàt doſi verſatur: viginti grana ſcilicèt ſalis, ut inquiunt, kinækinæ; & drachma una hujuſce corticis ſunt in eâdem ratione. Decoctum tamen & infuſum plantarum, ubi illa adhibere licet, efficaciora cenſentur hiſce extractis, quæ longiſſimâ evaporatione particulis volatilibus planè orbantur. Sed è diverticulo in viam redeamus.

(16.) *Sal*

(16.) *Sal vegetabile*, vel *Tartarus ſolubilis*, eſt ſal medium, vel, ut inquiunt, neutrum, conflatum è ſale tartari merè alkalino, & cremore ejuſdem, cui ineſſe quamdam aciditatem nemo ambigit. Iiſdem viribus catharticis gaudet, ac ſal rupellanum; imò & hoc antecellere videtur tartarus ſolubilis. Inſuper aperientium claſſem ſubit; nec exiguam opem confert in obſtructionibus, cachexiâ & hydrope. Si ſolvatur à drachmis ſex ad unciam unam in aquæ libris duabus, catharſim movet: ubi minori doſi præſcribitur alterantium vices gerit. Familiari uſu additur à ſemi-drachmâ ad drachmas duas potionibus purgantibus; vel alterius naturæ, ut ingredientium ſcilicèt tinctura faciliùs extrahatur.

APERIENTIA.

(17.) *Tartarus chalybeatus* (*le Tartre martial*), paratur coctione tartari albi cum limaturâ ferri; donec ſolvatur tartarus. Reponitur demùm hæc diſſolutio in cellâ, ut concreſcant cryſtalli. Ad aperientia præſtantiora refertur; ac mira præſtat in obſtructione, cachexiâ, chloroſi, &c. Illud notatu dignum occurrit, quod alvum minime comprimat, uti cætera martialia. Doſis à granis duodecim ad ſcrupulos duos in juſculo, aliove hauſtu; aut ſub boli formâ. Alius in officinis proſtat *tartarus chalybeatus*, nempè *ſolubilis*, qui paratur diſſolutione ad ſaturationem ſalis vegetabilis in tincturâ martis tartariſatâ, quæ igne lento evaporationi ad ſiccitatem committitur. Reſiduum colore fuſco ſervatur in vaſe ritè obturato, ne acceſſu aëris humidi colliqueſcat. Iiſdem viribus inſtruitur, nec diſſimili doſi exhibetur.

(18.) *Terra foliata tartari* eſt materia quædam ſalina & quaſi ſaponacea, è variis lamellis, inſtar talci, conflata; quæ exſurgit è ſalis tartari in aceto acerrimo ſolutione; donec ſaturetur, vel haud ampliùs fermenteſcat: tùm vaporare cogitur, igne lento, ad ſiccitatem. Poſteà reſiduum ſpiritu vini ſolvitur & iterùm diſſlationi committitur; quod pluriès repeti debet, ut emergat materia illa ſicca & foliacea, de quâ agimus; quæ non modo aquâ & ſpiritu vini diſſolvitur, ſed etiam in aëre vaporibus humidis referto facilè colliqueſcit; hinc non malè audit ſal eſſentiale tartari. Inter aperientia, diaphoretica & depurantia jure recenſetur; nec vi diureticâ deſtituitur: familiaris præſertim eſt uſus in lacte devio. Doſis à granis octo ad ſemi-drachmam & ultrà. Illud ſilentio premere minime debemus, arduum hunc eſſe proceſſum, & pauciſſimos eſſe ſolertiores pharmacopœos qui peroptatam illius operationis metam feliciter attingunt: cur fit ut nonniſi ſummâ cautelâ ab oculatioribus clinicis præſcribatur illud remedium.

(19.) *Flores martiales ſalis ammoniaci* prodeunt ſublimatione è miſcellâ croci martis & ſalis ammoniaci, quæ anteà per viginti-quatuor horas in aëre humido remanſit. Inter exquiſitiora aperientia & incidentia ſummum gradum conſequuntur, & in caſibus jam totiès recenſitis egregias laudes merentur. A granis duobus ad duodecim exhibentur in juſculo, vel ſub boli formâ.

INCIDENTIA.

INCIDENTIA.

Sic vocitantur illa medicamina, ſummè penetrantia, quæ concretis & hærentibus ſuccis, intrà vaſa, vel contextum viſcerum latitantibus, fluiditatem impertiri valent : adeò ut tumentes & renitentes partes ſenſim concidant & emolliantur. Quomodò ad intimos organorum receſſus aditum ſibi parent, & quâ ratione agant in coaleſcentes & induratos ſuccos ægrè concipitur : ſed ſuperfluam & inanem doctrinam à noſtro inſtituto planè alienam, conſultò miſſam facimus, cùm de hâc re mera duntaxat laſcivientis ingenii commenta in medium adduci ſoleant, quæ ideò animum veritatis avidum nuſquàm explent. Ut igitur ad dilucidiora & ſalubriora properemus; ſcire expedit *incidentia*, quæ ſiſtit hæc claſſis, ab aperientibus haud niſi gradu diſcrepare, cùm adversùs eoſdem morbos, ſed pertinaciores exhibeantur. In confeſſo manet apud experientiâ edoctos, quod hæc medicamina opportunè exhibita proſperos & ſtupendos effectus exerere valent; ſed haud ipſos latet quantam perniciem inferant, ſi præpoſterè adhibeantur. Illos enim temeritatis arguere licet, qui haud benè perſpectâ morbi indole; à primo intuitu fluenti ſtant opinioni : infarctus enim skirrhoſi, quibus præcipuè dicantur prædicta remedia, utplurimùm pendent à quodam latente viru, venereo nempè, ſcorbutico, ſcrophuloſo, cancroſo, &c. Cur neceſſum eſt ut priùs innoteſcat genuina & primaria morbi cauſa, ſpecificis remediis anteà expugnanda, ut dein tutiùs uſurpentur incidentia. Inſuper à morbi ſede aliud eruitur diſcrimen, quod diverſa expoſtulat auxilia; etenim alia congruunt infarcto hepati, alia obſtructum uterum ſpectant, nonnulla ſunt glandulis tumentibus congrua, quæ pulmonibus eâdem labe affectis adverſantur, &c. Ut nihil dicamus de tophis arthriticis & de concretionibus lapideis variarum partium, quæ à nullo prædictorum remediorum domari patiuntur. Singula cujuscumque ſortis exhibet hæc claſſis, adeò ut ſelectu opus ſit, de quo ſatis ſuperque in commentariis : aliàs nuſquàm fauſta ſuccedet curatio, quod ſedulò animadvertere debent qui ægrorum ſaluti conſulunt, ne intempeſtivis præſidiis fatum accelerent.

INCIDENTIA.

EMPORETICA.

RADICES ari ([1]) , ſcillæ , raphani ruſticani , ireos Florentinæ & noſtratis, bryoniæ, chelidonii, cyclaminis, gratiolæ, gentianæ. Salſa parilla, zedoaria, zingiber, nardus indica.

Folia hyſſopi, eryſimi, chamæpityos, perſicariæ urentis ([2]), ſatureiæ, marrubii albi, abrotani, mari, tanaceti, rutæ, veronicæ, gratiolæ, ſabinæ, herbæ amaræ & antiſcorbuticæ, quibus addere licet cicutam.... Flores roriſmarini.... Semen ſinapi, piper, cinnamomum.... Lignum guaiaci, ſaſſafras.... Gummi ammoniacum ([3]), gummi lacca, ſtyrax calamita, bdellium, benzoinum, galbanum, myrrha.... Sapo ([4]), kali ([5]), fuligo, aſelli.... Aquæ thermales ([6]), præſertim Baregienſes ([7]), Plumberianæ, Luxovienſes, Vicienſes, Vervonenſes, Montis-Aurei, Motenſes, Granenſes ([8]), Dinienſes ([9])... Sal ammoniacum, catharticum, amarum, borax ([10]).... Mars, antimonium, ſulphur, hydrargyrus, cinnabaris nativa.

OFFICINALIA.

AQUA calcis ſecunda... Oxymel ſcilliticum... Ptiſana Callac... Trochiſci alhandal, de agarico..... Pilulæ mercuriales, Starkii ([11]), ſcilliticæ Edimburgenſes.... Sal tartari, Glauberi, magneſia alba... Flores martiales ſalis ammoniaci.... Diacrydium, reſina guaiaci... Extractum cicutæ ſtorckianum.... Aquila alba ([12]), panacea ([13]), turpethum minerale ([14])... Æthiops ([15]), mineralis & antimonialis... Kermes minerale, antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii.... Cinnabaris mercurii ([16]), antimonii... Arcanum Rotrou ([17]), corallinum ([18]).

MAGISTRALIA.

PULVIS.

℞ *CROCI martis* ſcrupulum unum. *Diacrydii & aſellorum præparatorum* ana grana duodecim. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Rhabarbari, croci martis* aperientis ana drachmas duas. *Boracis, aſellorum præparatorum* ana drachmam unam. *Ireos Florentinæ, cinnamomi* ana ſemi-drachmam. *Sacchari* albi drachmas tres. Miſce. Fiat pulvis. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

Incidentia.

℞ *Millepedum præparatorum* ſcrupulum unum. *Sabinæ* grana quatuor. Miſce. Pro duabus doſibus in cochleari vini albi ſumendis.

℞ *Croci martis aperientis* grana quindecim. *Rhei* grana duodecim. *Jalapæ* & *ſalis tamariſci* ana grana ſex. Aquilæ *albæ* grana quatuor. Miſce. Fiat pulvis pro doſi.

BOLUS.

℞ *Panaceæ mercurialis* grana octo. *Tartari martialis*, *diaphoretici mineralis* ana grana decem. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de quinque radicibus*.

℞ *Æthiopis mineralis* cum igne parati & uſti, grana duodecim. *Rhei* & *diacrydii* ana grana decem. *Tartari ſolubilis* grana quindecim. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum*.

℞ *Pulveris viperini*, vel *aſellorum*, grana quindecim. *Aquilæ albæ* grana octo. *Flores martiales ſalis ammoniaci* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de quinque radicibus*.

℞ *Antimonii diaphoretici* grana duodecim. *Salis ammoniaci*, *mercurii dulcis* ana grana octo. Miſce. Conficiatur bolus cum *confectione Hamec*.

℞ *Diaphoretici mineralis* grana quindecim. *Mercurii dulcis* grana quatuor. *Camphoræ* grana duo. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio compoſito*.

℞ *Trochiſcorum alhandal*, *gummi guttæ* ana grana quatuor. *Gummi ammoniaci*, *aquilæ albæ* ana grana quindecim. *Tartari vitriolati* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *extracto juniperi*.

℞ *Saponis Hiſpanici* ſcrupulum unum; *ſpongiæ* in patinâ ferreâ, igne nudo, *calcinatæ*; pulveris *ſcrophulariæ* & *croci martis aperientis* ana grana decem. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum*. Uſus commendatur ad infarctus skirrhoſos vel ſcrophuloſos.

℞ *Terræ Japonicæ* & *aſellorum præparatorum* ana grana duodecim. *Antimonii diaphoretici* grana decem. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio compoſito*.

OPIATA.

℞ *Æthiopis mineralis* ſine igne parati drachmas tres. *Rhei* & *diacrydii* ana drachmas duas. *Millepedum præparat. Tartari ſolubilis* ana drachmam unam & ſemis. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis pallidis*. Doſis ad ſcrupulos duos.

℞ *Croci martis* unciam unam & ſemis. *Rhei* & *jalapæ* ana drachmas duas. *Aquilæ albæ*, *boracis* ana drachmam unam & ſemis. *Diacrydii*, *florum martialium ſalis ammoniaci* ana drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de althæâ*. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Extracti fumariæ* & *gentianæ* ana ſemi-unciam. *Panaceæ mercurialis* ſemi-unciam. *Reſinæ jalapæ* ſcrupulos duos. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Saponis albi* unciam unam. *Boracis* ſemi-unciam. *Aloës ſoccotrinæ* drachmas tres. *Pulveris cinnamomi* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de rhamno*.

INCIDENTIA.

℞ *Gummi ammoniaci*, *aſellorum præparatorum* ana ſemi-unciam. *Radicis ariſtolochiæ rotundæ* drachmas tres. *Florum ſulphuris* drachmas duas. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de eryſimo*. Doſis ad ſemi-drachmam & ultrà.

PILULÆ.

℞ *Saponis albi* uncias quatuor. *Farinæ ſeminum lini* ſemi-unciam. Miſce. Fiat maſſa pilularum. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Saponis veneti* unciam ſemis; *kinækinæ* drachmas duas; accuratè miſceantur, & conficiantur pilulæ cum *ſyrupo de gentianâ*. A granis quindecim ad viginti quotidie ante paſtum vorandæ. Summam opem ferunt arthriticis.

℞ *Saponis Hiſpanici* uncias duas. *Gummi ammoniaci* unciam unam. *Trochiſcorum alhandal* drachmas duas. *Olei aniſi* q. ſ. ad conficiendam maſſam pilularem. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

℞ *Saponis veneti* unciam unam. *Boracis* ſemi-unciam. *Aloës ſoccotrinæ* drachmas tres. Miſce. Fiat maſſa pilularum. Doſis à ſemi-drachmâ ad ſcrupulos duos, ſuperbibendo juſculum. Summè proficuæ ad infarctum hepatis cenſeri debent.

℞ *Gummi ammoniaci* drachmas duas. *Saponis albi* ſemi-unciam. *Scillæ præparatæ* drachmam unam. *Trochiſci de agarico* ſcrupulos duos. Miſce. Fiat maſſa pilularum cum *ſyrupo mercuriali*. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Pluriès in die pro re natâ exhibetur.

℞ *Scillæ recentis*, *gummi ammoniaci* & *millepedum præparatorum*; ana unciam ſemis. *Saponis veneti* unciam unam. *Balſami de Copahu* q. ſ. ad maſſam pilularum. Doſis à granis octo ad ſcrupulum unum. Profunt ictericis & hydropicis; imò & febre quartanâ laborantibus.

INCIDENTIA.

COMMENTARIA.

(1.) ARUM vulgare maculatum & non maculatum, C. B. pin. (*Pied de veau*).

Hujuſce plantæ vulgatiſſimæ radix recens, ſapore acerrimo & fervido, nuſquàm intùs exhibetur; ſicca quidem licèt mitior præparatur maceratione in aceto per viginti quatuor horas, iterùm exſiccanda. Sic correcta in aperientium, incidentium & reſolventium ordine admittitur. Idcircò laudatur in obſtructionibus, cachexiâ, ictero & hydrope. Nonnullis aſthmaticis prodeſſe fertur: ſed rarò apud noſtrates in uſum trahitur; cùm alia haud deficiant tutiora, ac magis comprobata remedia. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad duos; in infuſo vinoſo ad drachmam unam vel alteram pro quâque vini librâ. Inſuper ex hâc radice, non ſecùs ac è bryoniâ & iride parari poſſunt fæculæ, quæ à granis decem ad triginta exhibitæ, catharſim movere ſolent: ſed harum exolevit uſus.

(2.) *Perſicaria urens*, ſive hydropiper, C. B. pin. (*Poivre d'eau*).

Inter incidentia & aperientia tranſcribitur hæc planta paluſtris, ſapore acerrimo prædita, quæ cachecticis, ictericis & hydropicis, ut perhibent, prodeſt, ſi præſcribatur in infuſo ad manipulum ſemis, pro ſingulis aquæ libris: ſed vix in uſum venit; cùm haud deſint ejuſdem propri tatis notiora & præſtantiora remedia. Idem eſto judicium de perſicariâ miti maculosâ, vi quâdam adſtringente præditâ, quæ ſanè haud pluris habetur.

(3.) *Gummi ammoniacum* reſinæ particeps, & à ſubſtantiis cognominibus multùm diſcrepans, cùm flammam concipiat, ex Indiâ orientali, & Libyâ advehitur. Hæc ſubſtantia foris flaveſcens & intùs albicans, odorem viroſum ſpargit, & ſapore ſubamaricante inſtruitur. A ferulâ quâdam proceriore Africanâ, ſpontè creſcente juxtà celebratiſſimum Jovis Ammonis templum diffluere fertur. Inter incidentia mitiora recenſetur; pectoralium demulcentium, & incidentium claſſem ſubit, in ordine vulnerariorum & reſolventium recipitur, nec ipſi denegatur locus in ſerie antihyſtericorum, menſeſque moventium. Fauſtè uſurpatur in infarctu viſcerum skirrhoſo, ac auxilio eſt hypochondriacis & ſcorbuticis: prodeſt tuſſientibus & aſthmaticis; laudatur ad ulcera interna; nec inutilem opem conferre videtur in fluore albo. Datur in ſubſtantiâ à granis duodecim ad ſemi-drachmam, & ultrà; ſub formâ emulſionis, boli & pilularum. Quoad uſum externum, in numero emollientium, reſolventium & maturantium jure recenſetur; ideò tumoribus durioribus, skirrhoſis, ſcrophuloſis & arthriticis diuturnioribus imponitur, haud improſpero ſucceſſu. Inſuper clavis pedum dolentibus feliciter admovetur.

(4.) *Sapo* eſt materia quædam homogena in aquâ miſcibilis, quæ à connubio olei nativi cum alkali fixo, notiſſimâ arte concreſcit. Nonnulli ſapones pro uſu interno cæteris antecellunt: albus ſcilicèt, *le Savon ordi-*

naire; Italicus, *Savon de Genes & de Veniſe*; & Hiſpanicus, *Savon d'Alicante.* Sapo verò niger vel mollis ad topica ablegatur. Inter aperientia & incidentia primatum ducit ſapo: ideò egregiè ſe gerit in infarctu hepatis, cæterorumque viſcerum; in cachexiâ & habitu corporis œdematoſo. Præſentiſſimum remedium præbet arthriticis & calculoſis; adeò ut lithontriptici gradum aſſequatur; nec vi vermifugâ deſtituitur. Præſcribi ſolet à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ultrà, pilularum formâ, vel in decocto. Per ſe datur, vel cum melle ſubigitur ut mitior evadat. Hunc caveant tuſſientes & hæmoptyſici; non ſecùs ac tabidi & ſcorbutici. Cum cautelâ omnibus exhibeatur, cùm ab ejus diuturniori, vel improbo uſu concitentur hæmorrhagiæ quæ plurimùm curantibus faceſſunt negotii. Sapo cujuſvis notæ, extùs admotus pro reſolvente eximio habetur: euporiſtum & probatiſſimum eſt remedium ad contuſiones infantum: optimè cedit in tumoribus œdematoſis: tumenti & infarcto utero auxilium præſtat: nec exiguam laudem meretur adversùs tumores cyſticos & anomalos. In aquâ vitæ ſolvitur, vel cataplaſmatis, emplaſtrive formâ adhibetur. È miſcellâ ſaponis mollis cum calce vivâ paratur cauſticum, quod aliis uſitatioribus vix cedit. È ſapone demùm conficiuntur ſuppoſitoria quæ in uſum familiarem veniunt ad ſollicitandam alvum puerorum.

INCIDENTIA.

(5.) *Kali* majus cochleato ſemine, C. B. pin. (*Soude ordinaire*).

Scitur quanti ſit pretii hæc planta maritima apud vitriarios & ſaponarios, ratione ſalis alkali quod præbet. Nec latet ſaponem à prædicto ſale ſuas vires mutuari; adeò ut jure ad incidentium & aperientium numerum revocetur hæc planta, quæ per ſe nuſquàm uſurpatur.

(6.) *Aquæ thermales* latiſſimo & multiplici uſu celebrantur. Inter præſtantiora incidentia & aperientia recenſentur: in ſerie diureticorum & diaphoreticorum principem locum obtinent, depurantium claſſem ſubeunt: nec ipſis denegatur locus in ordine reſolventium. Prætereà debiliorem ſtomachum reſtituunt; febres pertinaciores, ex intermittentium genere, fugant; infarctus viſcerum ſkirrhoſos reſolvunt; ſub cutis defœdationibus, eximiam opem præſtant; ſterilitati, fluori albo, nonnulliſque aliis uteri morbis medentur; valent ad dolores rheumaticos, tremorem, paralyſim & contracturam artuum; maximè commendantur in tumoribus, ut inquiunt, frigidis & artuum; in doloribus varias partes obſidentibus poſt fracturas, luxationes, diſtorſiones, vel circà cicatrices inſignium vulnerum: motum denique muſculorum, hiſce cauſis impeditum vel amiſſum, in integrum reſtituunt. Non ſolùm intùs exhibentur; ſed etiam ex illis parantur balnea, irrigationes ab alto, hypocauſta, lotiones, injectiones, &c. quæ prædictorum morborum & aliorum innumerorum, curam abſolvere valent. Sub diverſo caloris gradu ſe præbent; aliæ enim ſunt tepidæ, aliæ calidæ, nonnullæ verò fervidæ. Illud notare juvat circà has poſtremas quòd os vel linguam minime afficiant; uti eveniret à potu aquæ communis ad huncce caloris gradum evectæ. Aliud phænomenum mirari ſubit: in hoc

INCIDENTIA.

verſatur quòd aquæ minerales æſtuantes igni expoſitæ haud citiùs aquâ frigidiſſimâ ebullitionis motum concipiant; licèt prædictæ aquæ minerales tardiùs refrigerentur, quàm aqua communis ad huncce gradum excalefacta.

(7.) *Aquæ Baregienſes*, (*de Bareges*), vici humilis in montibus Pyreneis, & regione Aquitaniæ, dictæ *Bigorre*, quatuordecim leucis versùs Euro-Notum, ab Epauno (*Pau*), diſſiti; ſunt quaſi ſaponaceæ, atque ſapore ſubdulci, & odore bituminoſo haud ingrato inſigniuntur: ſed fiunt inſipidæ & inodoræ ſi per viginti quatuor horas aëri libero exponantur. In aperientium & incidentium claſſi præcipuum ſanè locum merentur: diureticorum & ſudorificorum ordinem ingrediuntur: vi balſamicâ gaudent, quâ fit ut pectori dicentur: raró alvum movent, ſed ſtomachi vires redintegrant. Hinc maximè commendantur in habitu œdematoſo, chloroſi, & infarctu viſcerum; hypochondriacis & hyſtericis opitulantur; aſthmaticis & phthiſicis proſunt; atque inordinato menſium & hæmorrhoïdum fluxui medentur. Intùs & extùs fauſtè adhibentur contrà infarctum mammarum, tumores ſcrophuloſos, exoſtoſes, ankyloſes, & tophos arthriticos: nec vi lithontripticâ defraudari fertur, & in hunc ſcopum propinantur, vel veſicæ ejiciuntur. Doſis à librâ unâ ad quatuor. Proſperè lacti ſociantur, ubi demulcentibus opus eſt. Uſus demùm externus reſpicit paralyſim, cæteraſque nervorum læſiones, rheumatiſmum, cutis morbos, ulcera contumaciora, fiſtulas vetuſtiores, &c.

(8.) *Aquæ Granenſes* (*d'Aix la Chapelle*), urbis Germaniæ inferioris quinque leucis versùs Ortum, à Trajecto ad Moſam, (*Maſtricht*, & octoginta à Lutetiâ, tantâ ſulphuris copiâ ſcatent ut argentum inficiant, & colligatur ſublimatum ſulphur in ipſiſmet balneariis. Tanquàm incidentia & aperientia remedia jure celebrantur, vi diureticâ gaudent, imò & alvum ſolvunt. Fauſtè uſurpantur in cardialgiâ, aſthmaticis ſuccurrunt, & febrem quartanam fugant: auxilium præſtant in ſterilitate, nec exiguam laudem merentur in fluxu menſium immodico, &c. A librâ unâ ad quatuor & ultrà propinantur. Balnea & irrigationes ab alto admoventur paralyſi, tremori, artuum contracturæ, rheumatiſmo, tumoribus pertinacioribus, cutis defœdationibus, &c.

(9.) *Aquæ Dinienſes*, (*de Digne*), oppiduli in Gallo-Provinciâ, quindecim leucis à civitate Aquenſi (*Aix*), ad Boream diſtantis, & quinque leucis versùs Eurum, à Seguſtero (*Siſteron*); intensè calent, ſapore ſalſo gaudent; atque ſulphur redolent. Ad incidentium & aperientium gradum provehuntur; in numerum roborantium veniunt, diureticorum claſſem ſubeunt; ſtomachicorum vires aſſequuntur, alvum movent, &c. Deprædicantur in obſtructionibus & infarctu skirrhoſo viſcerum, imò & ſcrophuloſis proſunt, in vertigine, paralyſi, cæteriſque nervorum læſionibus rariſſimè fallunt; tuſſientibus & aſthmaticis opportunè exhibentur: ſaluberrimè demùm cenſentur pro ſtomacho debiliori, atque ad foràs ablegandam ſaburram in primis viis nidulantem, &c. Doſis à librâ unâ ad quatuor.

quatuor. Cæterùm pluris habentur balnea, irrigationes ab alto, & lutum prædictarum thermalium, ad paralyſim, rheumatiſmum, membrorum contracturam, artuum intumeſcentiam, ad dolores à vulneribus, fracturis & contuſionibus ortos, ad morbos cutaneos, &c. INCIDENTIA.

(10.) *Borax* ſeu *Chryſocolla*, quaſi gluten auri, eò quod ab aurifabris ad conglutinationem auri & argenti adhibetur, eſt ſal minerale intricatiſſimæ indolis, quod ſub lapillorum pellucidorum, colore ſubviridi obſcuro, pinguedine quaſi obductorum formâ, nobis è plagis Orientalibus affertur. Diſſolvitur pro uſu medico in aquâ fervente, ut ex hâc diſſolutione in loco congruo expoſitâ emergant cryſtalli, aluminis faciem præ ſe ferentes, & igne facilè liqueſcentes; quæ tamen haud niſi in majori aquæ ferventis copiâ diſſolvi queunt, adeò ut requiratur libra aquæ pro unciâ unâ prædicti ſalis. Vix efficacius remedium ex inexhauſtis materiæ medicæ fontibus depromitur, dummodò opportunè adhibeatur: etenim inter aperientia & incidentia exquiſitiora locum obtinet, & præcipuè commendatur ad varios uteri affectus. Ideò valet in obſtructione & infarctu skirrhoſo viſcerum; menſes & lochia ciet, partum promovet, atque ſecundinas retentas foràs deturbat. Ad anodyna etiam refertur, nec dubitare licet quin ſal ſedativum præcipuas à borace vires mutuetur. Doſis à granis ſex ad duodecim; in caſu urgentiori reſpectu lochiorum & ſecundinarum ad viginti grana accedere licet; ſed haud fugit practicos quòd à majori doſi vomitus nonnunquàm moveatur, aliave graviora excitentur ſymptomata. Quoad uſum externum, pro cathæretico habetur borax, & ad abſumendas luxuriantes ulcerum carnes egregiè confert; cur fit ut nonniſi ſummâ cautelâ hoc ſal intùs exhibere liceat: quod ſedulâ mente expendant qui poſt CARTHEUSERUM boracis ſemi-drachmam vel ſcrupulos duos, haud citrà ſeram pœnitentiam præſcribere audent.

(11.) *Pilulæ Starkii*, ſapone tartareo, oleo terebinthinæ, helleboro albo & laudano conficiuntur. Sapo verò tartareus paratur cum nitro fixo ope tartari, & oleo terebinthinæ: ſed hic proceſſus, diverſos apud chymicos, moleſtus & operoſus eſt, cur fit ut nonniſi ſummâ cautelâ has pilulas, aliàs celebratiſſimas, præſcribere liceat, cùm raró occurrant legitimæ vel optimæ notæ. Ritè tamen præparatæ inter exquiſitiora incidentia & depurantia recenſentur, atque paregoricorum gradum conſequuntur: ideò deprædicantur in infarctu hepatis, cæterorumque viſcerum; proſunt in doloribus rheumaticis, nec exiguam laudem merentur in ipsâmet arthritide A granis quatuor ad duodecim præſcribi ſolent, & harum uſus pro re natâ protelatur.

(12.) *Aquila alba* vel *Mercurius dulcis*, prodit è mercurio, ut inquiunt, crudo & ſublimato corroſivo; quæ materies pluribus ſublimationibus ſubjiciuntur, donec emergat ſubſtantia albicans, quæ linguæ admota nullum corroſionis ſenſum excitet. Præter vim incidentem & depurantem, quâ plurimùm celebratur, virtute catharticâ & anthelminticâ præſtat: cur fit ut ejus uſus magis reſpiciat infantes quàm adultos. Egregiè

INCIDENTIA.

ſe gerit in affectibus venereis, non ſecùs ac panacea, cæterave præparata mercurialia; valet in ictero, aſthmaticis opitulatur, febrem quartanam pertinaciorem fugat, juvamen præſtat in fluore albo, &c. Doſis à granis quatuor ad viginti & ultrà: ſed à minori incipiendum, ſi uſum protrahere animus ſit. Nuſquàm per ſe exhibetur, ſed ſub boli formâ cum medullâ caſſiæ, electuariis, extractis, conſervis, &c. præcipitur. Potionibus catharticis nonnunquàm ſociatur, bolum priùs vorandum præbendo. Cautè, ratione ſublimati corroſivi, uſurpari debet aquila alba, quæ ni ſolerti manu paretur, periculoſa cenſeri debet; uti experientiâ quotidianâ compertum manet.

(13.) *Panacea mercurialis*, miſſis quæ ad huncce titulum hyperbolicum ſpectant, nil aliud eſt quàm mercurius dulcis, ſexiès vel ſeptiès denuò ſublimatus, & tandem cum ſpiritu vini digeſtus, ut remiſſior evadat. Hoc unico præſidio, ptyaliſmo accedente, luem veneream aggrediebantur Veteres, ſed inunctiones mercuriales tutiorem methodum poſteris præbuerunt. Nec deſunt hodiè Chirurgi panaceam adhibentes in curatione gonorrhϾ: ſed feliciùs collineant, qui unguentum Neapolitanum circà vicinia partis affectæ admovent. Attamen panacea in utroque caſu ſuas laudes meretur; præſertim ſi ob varias cutis defœdationes, frictus adhibere minime fas ſit. Cæterùm inter incidentia, depurantia & anthelmintica recenſetur: prodeſt ſub rheumatiſmo chronico: egregiam opem confert ſcrophulis, valet in herpete, aliiſque cutis morbis. Cautè exhiberi debet delicatulis; cùm ſæpiùs ſtomachum lædat, hæmorrhagiam excitet, &c. Doſis à granis decem ad triginta: ſed à minori incipere juvat, ſi proteletur uſus, à granis ſcilicèt quatuor ad ſex, ſenſim progrediendo, uti mos eſt inter curandam luem veneream. Sunt qui aquam mercurio imprægnent ope panaceæ, ad quod opus bulliant hujuſce pulveris drachmæ duæ per quatuor circiter horas in aquæ vel ptiſanæ libris quatuor: pulvis qui poſt aliquam moram ſubſidet, iterùm teritur & novæ ebullitioni committitur: quod pluriès repetitur donec aqua nihil ampliùs ad fundum dimittat. Doſis prædictæ aquæ, pro ratione ingredientis panaceæ, componitur.

(14.) *Turpethum minerale*, vel mercurius præcipitatus flavus ex hydrargyri in fervente oleo vitrioli ſolutione, evaporationi ad ſiccitatem commiſsâ emergit; quam materiam in pulverem redactam, & aquâ calidâ pluriès lotam flaveſcere nemo neſcit. Pro incidente & depurante egregio habetur: ideò prodeſt in hiſce morbis chronicis, jam totiès decantatis, & in ipsâmet lue venereâ. Juxtà nuperrima & ſolertiſſima experimenta, ſpecificum quaſi audit adversùs hydrophobiam, ſed hanc vim præſtantiſſimam ineſſe aliis præparationibus mercurialibus nullum fermè dubium. A grano ſemiſſe ad granum unum, camphoræ utplurimùm ſociatum præſcribitur. Si verò à granis quatuor ad ſex exhibeatur; emetici, vel cathartici draſtici vices ſupplet: ſed raro, ni caſu urgentiori, in hunc finem adhibetur. Datur canibus rabidis, vel demorſis, à granis ſeptem ad decem cum medullâ panis ſub formâ boli.

INCIDENTIA.

(15.) *Æthiops mineralis*, pulvis ab atro colore ſic vocitatus, è connubio hydrargyri & ſulphuris exſurgit; ſed varia eſt illum conficiendi methodus. Prima, ſimpliciſſima & uſitatior verſatur in ſolo & frigido harumce materierum tritu; donec mercurius fiat inconſpicuus & pulvis intensè nigreſcat. In ſecundâ, mercurius injicitur in ſulphur fuſum, ac integra ſervatur maſſa in pulverem redigenda. Tertia methodus non diſcrepat à ſecundâ, niſi eò quòd ab igne admoto incendatur ſulphur, quâ deflagratione molem imminui evidens eſt. Quovis modo paratus æthiops inter incidentia, depurantia & anthelmintica locum obtinet: ideò valet ſub infarctu viſcerum; commendatur ad ſcrophulas, confert in lue venereâ, conducit in affectibus cutaneis, vermes enecat, &c. Nonnulli, poſt BOERHAAVIUM, æthiopem ad vaſa ſanguinea appellere planè negant: nùm à veri tramite recedant? viderint quos non latet ab hujuſce remedii diuturno uſu, ſalivationem nonnunquàm promoveri; quod ſanè quidem funditùs evertit quidquid de hâc re in medium adduxerunt prædicti Authores. Doſis æthiopis ſine igne parati à granis quindecim ad ſemi-drachmam: juxtà ſecundam methodum fuſus, à granis ſex ad viginti exhibetur. Intrà verò grana quatuor & duodecim continetur, ſi conflagratione potiori ſulphuris parte orbetur. Præter *æthiopem martialem*, de quo jam ſuprà actum fuit, alium excogitarunt nonnulli, *antimonialem* nempè, qui ex hydrargyro & regulo à fuſione antimonii cum ſale marino extracto, diuturno tritu mixtis conficitur. Hunc pulverem, quem exhibent à granis ſex ad quindecim, pro exquiſitiſſimo incidente habent: ſed illud remedium à primi ſubſellii practicis parvi ducitur.

(16.) *Cinnabaris nativa* eſt materia quædam mineralis rubra; quæ, nemine diſcrepante, ex intimiori ſulphuris & mercurii conjugio conflatur. Ex hiſce materiebus ſublimationi chymicæ commiſſis paratur *cinnabaris*, elegantiſſimo colore coccineo prædita, quam *factitiam* vocant (*le vermillon*); quæ ipſimet cinnabari nativæ præfertur; cùm hæc poſtrema materies vitriolicas aut arſenicales, nonnunquàm penès ſe recondat. Cinnabaris pro uſu interno, non ſecùs ac antimonium crudum, notiſſimæ præparationi ſubmittitur. Inter incidentia, diaphoretica & depurantia jure recenſetur: nùm pari ratione cephalicorum, antiepilepticorum & ſedantium gradum mereatur, dubitare licet. Nec dilucidiùs patet cur ingrediatur pulverem temperantem ſtahlianum. Cinnabaris haud alio modo ſe gerit, ac aliæ præparationes mercuriales, & in iiſdem morbis, jam ad faſtidium enumeratis, conducit. Doſis à granis duobus ad duodecim, ſub boli vel pilularum formâ. Nùm cinnabaris intùs ſumpta, vaſa lactea ſubingrediatur, nonnulli etiam dubitant: ſed ptyaliſmus qui ab illâ, non ſecùs ac ab æthiope excitatur, hoc dubium ſolvit. Quoad uſum externum, inter reſolventia & exſiccantia principem locum obtinet; ideò plurimùm confert ad pruritum, herpetem, alioſque effectus cutaneos. Baſim præbet ſuffimentorum mercurialium; licèt univerſum corporis habitum ſpectent, vel partem quamlibet reſpiciant. Ad generalem ſuffitum, lui venereæ

INCIDENTIA.

præſertim dicatum, adhibetur cinnabaris drachma una aut altera, prunis ardentibus injicienda. Intrà deciès & viciès, per totum curationis decurſum iteratur hæc ſuffumigatio; ad particularem verò, ſemi-drachma una uſurpari ſolet. Scitur quòd in eumdem uſum etiam vocetur æthiops mineralis. Alia paratur *cinnabaris* nempè *antimonii* quæ prodit à ſublimatione mercurii & ſulphuris antimonii; atque inter incidentia, diaphoretica & depurantia numeratur; non ſecùs ac cinnabaris mercurii, & eâdem ratione adhibetur; ſed inutilis imò & pertimeſcenda eſt hæc præparatio, ad quam adhibetur ſublimatus corroſivus, quæ prætereà haud viribus ſuperat aliam cinnabarim; cur ſit ut à ſanioribus practicis abdicetur.

(17.) *Arcanum Rotrou*, cujuſdam empirici mox elapſi ſæculi, pro medicamine incidente & depurante eximio habetur; ſed rarò occurrit in officinis ob difficiliorem encheireſim quæ verſatur circà quinque præparationes, quæ ſic ſe habent. 1°. Tinctura ſummè fœtens, quam aurificam vocitabat; & paratur digeſtione, per octiduum, antimonii in aqueâ ſolutione nitri fixi. 2°. Elixirium, aurificum quoque dictum, minùs fœtens, quod nil aliud eſt quàm tinctura è calce antimonii, vel è reſiduo præcedentis operationis, ope ſpiritûs vini parata. 3°. Pulvis incidens, minime diſcrepans à diaphoretico minerali, è regulo antimonii non loto parato. 4°. Pulvis alter, quem alkali nomine inſigniebat; è ſolo, ſed accuratiſſimo, putaminum ovorum tritu conflatus. 5°. Pilulæ, quæ catharticæ & alexiteriæ audiunt, è granis tilli, ſerpentariâ virginianâ, tartaro albo & vino, proceſſu duorum menſium confectæ. Quod adminiſtrationem horumce inſulſorum remediorum ſpectat; præmiſſis univerſalibus ſeorſim exhibentur ſerò & manè pulvis incidens, & alkalinus, ana à granis ſex ad quindecim. Eodem tempore uſurpatur tinctura à guttis decem ad triginta pro debilibus; vel elixirium, ſi adſit ſuſpicio colluviei viſcidæ, vel acidæ in primis viis nidulantis. In componendâ doſi horumce remediorum habendam eſſe rationem ætatis, nemo non videt; imminuendam eſſe ſcilicèt pro infantibus, ſenibus & debilibus. In principio curationis, tertio vel quarto die à cæteris remediis vacuo, exiberi ſolent pilulæ catharticæ à granis quatuor ad duodecim; additis pro re natâ vulgatioribus laxantibus: poſteà ſingulis ſeptimanis, ac demùm quinto decimo, vigeſimo & trigeſimo die in uſum revocantur. Porrò chinæ radicis decoctum, inter adminiſtranda hæc remedia pro potu ordinario copioſiſſimo præſcribitur. E prolatis patet hanc curandi methodum, quæ præſertim congruit ſcrophuloſis, rationi ſubmittendam eſſe, & pro re natâ variandam; atque ad plures menſes, imò & ultrà annum protelandam. Hanc concomitari vel excipere ſolent lacticinia, vel aquæ minerales, nimirùm Paſſiacæ, Vallenſes, Forgienſes, &c. nec minùs obvium ſit, hoc remedium plus æquo compoſitum, cui antimonium baſim præbet, ſimplicius excogitari poſſe, exulando quidquid artis circulatoriæ, à veteribus chymicis deprompſit noſter rudis & ineptus empiricus.

(18.) *Arcani corallini* nomine ſuperbit mercurius præcipitatus ruber,

ope ſpiritûs vini edulcatus. Ad quod opus digeſtioni committitur per viginti quatuor horas prædictus pulvis in ſpiritu vini, qui poſteà conflagratur, vel diſtillatur; qui proceſſus quinquiès vel ſexiès reperiri ſolet. Oblivioni ferè traditum hoc remedium pauciſſimis, ni fallor, hodiè innoteſcit: haud infimum tamen locum meretur inter incidentia, depurantia & antivenerea; ideò deprædicatur in infarctu viſcerum; ſcrophuloſis confert; cutis defœdationibus medetur; & experientiâ teſte, mira præſtat in lue venereâ. Adeò ut palmam fortè præripiat omnibus hiſce arcanis mercurialibus, quæ tantâ procacitate divenditant agyrtæ. Doſis à grano ſemiſſe, ad granum unum, bis terve in die iteranda: ſcitur nonniſi longiori uſu ſuum effectum exerere prædictum pulverem; ſaluberrimum & præſtantiorem, ſi ſolerti manu tractetur; haud tamen ab omni noxâ vacuum; ſi præpoſterè adhibeatur. INCIDENTIA.

ANALEPTICA.

E MATERIA medicâ, & re eſcariâ, depromi ſolent analeptica; quorum medicamentoſa vix diſcrepant ab ſtomachicis, cephalicis, cardiacis & alexiteriis: cur minime mirum, ſi plura horumce ordinum hancce claſſem ſubeant; quæ inſuper varia exhibet à prædictis planè aliena. Cur haud abs re fore putavimus hùc colligere ea medicamina, quæ ad inſtaurandas vires præcipuè uſurpantur. Inter quæ recenſeri debent balſamica, aromatica, amara & adſtringentia, quæ plurimùm conferre videntur ad debiliora organa refocillanda. Neminem fugit eorum, pro vario ſcopo, latiſſimum eſſe uſum; adeò ut ſæpiùs fauſto beent eventu curantes, quos latebat genuina morbi cauſa; qui ſcilicèt aliâ ratione ducti, prædicta adhibebant remedia. Haud dubitare licet quin analeptica, vel tonica optimè cedant in variis cerebri, nervorum & ſtomachi morbis: opportunè prætereà exhibentur ſub cachexiâ, & præſentaneam opem ferunt in hydrope; cur fit ut ſeriem aperientium ſubeant; in quâ præcipuum locum obtinent martialia, vi tonicâ, uti jam innuimus, præſtantiſſima. Ubi debilitas & virium proſtratio à vigente alio morbo pendent, incaſsùm adhibentur analeptica; ſed proficua ſunt, ſi ſolida, vel motuum organa quâdam atoniâ laborent, poſt morbos ſcilicèt diuturnos, inexhauſtos labores, improbas animi exercitationes, profluvia cujuſvis ſortis immodica, &c. Parùm tamen conducunt in hiſce caſibus, ni faveant digeſtionum organa; cùm ab alimentis probè coctis vires tutiùs refocillentur, quàm à quocumque medicamine: quapropter parantur juſcula, gelatinæ, cibus albus, &c. de quibus in magiſtralium ſerie, quæ alimoniam euchymam, palatoque gratiſſimam præbent, opportunè exhibendam iis quorum vires ſunt exhauſtæ, vel tabe confectis. Illud tamen minime reticere

ANALEPTICA.

debemus, quòd hæc alimenta, licèt ſelectiora, ſæpiùs ſtomachum gravent, ob defectum ſcilicèt ſalivæ, quæ ſolâ maſticatione exprimitur, adeò ut haud raro eveniat ut ægrotantes meliùs ſe habeant à manſis pane & carnibus, quàm à juſculo, gelatinâ, &c. quod altâ mente tenere debent inexperti.

EMPORETICA.

RADICES carlinæ, enulæ campanæ (1), gentianæ, vincetoxici, viperinæ, imperatoriæ, ireos florentinæ, fraxinellæ, feniculi, caryophyllatæ (2), ſigilli Salomonis, rhapontici. Rheum, galanga, cyperus (3), acorus (4), coſtus arabicus (5), zedoaria, zingiber, ginſzeng (6), ſalep (7).

Folia chamæpityos, erucæ, dracunculi, alchimillæ, virgæ aureæ, eupatorii cannabini, ocimi, mari, menthæ, meliſſæ, majoranæ, ſalviæ (8), cerefolii, ſcordii, origani, ſatureiæ, thymi, lauri, betonicæ, botryos, dictamni cretici (9), abſinthii majoris & minoris, chamædryos, centaurii minoris.

Flores roris marini, aurantiorum, betonicæ, lavandulæ, ſtœchados arabicæ. Balauſtiæ, roſæ rubræ. Semina ſinapi, erucæ, ammeos, carvi, cumini, feniculi.

Malum cydonium, piſtaciæ nuces, nuclei pinei... Cortex granatorum, aurantiorum, citreorum.... Baccæ lauri, juniperi, myrtilli.... Myrobolani, nux moſchata (10), macis, caryophylli, amomum racemoſum, cubebæ, cardamomum minus (11), vanilla (12)... Guaiacum, ſantalum (13), lignum lentiſci... Cinnamomum (14), zingiber (15), caſſia lignea (16), caſcarilla, kinakina, cortex winteranus.... Balſamum Judaïcum, Peruvianum.... Bdellium, gummi lacca, ſtyrax calamita, benzoinum, myrrha.... Ambra griſea.... Acacia, catechu, ſanguis draconis... Vinum Græcum, Hiſpanicum, alterumve generoſum... Caffetum (17). Chocolatum... Cancri fluviatiles, vipera... Cornu cervi, conchæ, lapilli cancrorum fluviatilium... Aquæ Forgienſes, Spadanæ, Balneolenſes, Plumberianæ, Vervonenſes, Vicienſes, Granenſes, Montis aurei... Alumen, Ferrum.

OFFICINALIA.

AQUA florum aurantiorum, meliſſophylli. Corticum citrei, juniperi, lavandulæ, nucum.

Aqua picea, vinum abſinthites.... Syrupus mercurialis, cydoniorum, de roſis ſiccis, de abſinthio, de betonicâ, de ſtœchade.... Tinctura & extractum martis.... Extractum juniperi, enulæ campanæ.... Conſerva florum aurantiorum, kynorrhodontis, roſarum rubrarum.... Theriaca, diaſcordium, opiata Salomonis, confectio de hyacintho.... Aqua theriacalis, tinctura caryophyllorum, ſpiritus juniperi (18), guttæ anodynæ Sydenhami.... Elixirium proprietatis, garuſi, anglicanum.... Lilium Paracelſi, ſpiritus volatilis cornu cervi.... Oleum cinnamomi & caryophyllorum, quinta eſſentia abſinthii. Guttæ aureæ *la Motte.*

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ *RASURÆ cornu cervi*, in nodulo ſuſpenſæ, uncias duas. Coque per horam in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Terræ Japonicæ* ſemi unciam. *Florum ſtœchados arabicæ* manipulum ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

TINCTURA.

℞ *Roſarum rubrarum ſiccarum* ſemi-unciam. *Spiritûs vitrioli* ſemi-drachmam. Infunde calidè per quatuor horas in aq. font. q. ſ. ad libram unam. Colatura cyathim propinetur.

℞ *Limaturæ ferri* rubiginoſi, in nodulo, unciam unam. Bulliat leviter in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Dein adde *rhei contuſi*, in nodulo ſuſpenſi, drachmam unam. Infunde frigidè per noctem. Colatura ſervetur ad uſum.

EMULSIO.

℞ *Piſtaciarum* recentium & *amygdalarum dulcium* ana paria duo. *Pineorum* enucleatorum drachmam unam. Contunde in mortario, ſenſim affundendo *aquæ corticum citrei* uncias ſex. Adde *ſacchari* & *aquæ florum aurantiorum* ana ſemi-unciam.

HAUSTUS.

℞ *Pulveris catechu* drachmam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad uncias ſex. Per ſubſidentiam depura, & adde *ſyrupi cydoniorum* ſemi-unciam.

ANALEPTICA.

℞ *Vitellum ovi* recentis; *ſacchari albi* drachmas duas; *olei cinnamomi* guttas duas; *vini albi*, vel *Hiſpanici* uncias tres. Exactè miſceantur pro hauſtu debilibus congruo.

APOZEMA.

℞ *Radicum ſiccarum ſigilli Salomonis*, & *enulæ campanæ* ana drachmas duas. *Foliorum ſcordii* manipulum unum. *Roſarum rubrarum* manipulum ſemis. Bulliant ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de roſis ſiccis* unciam unam.

℞ *Radicum ſiccarum helenii* drachmas duas. *Rhapontici* drachmam unam. *Raſuræ cornu cervi* unciam unam. *Foliorum abſinthii* & *chamæpityos* ana manipulum ſemis. *Summitatum roris marini* & *chamædryos* ana pugillum unum. *Cinnamomi* ſcrupulum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi mercurialis* unciam unam.

℞ *Radicum ſiccarum fraxinellæ* ſemi-unciam. *Foliorum veronicæ* & *meliſſæ* ana manipul. unum. *Croci martis*, in nodulo, unciam unam. *Caſſiæ ligneæ* ſemi-drachmam. *Roſarum rubrarum* manipul. ſemis. *Tartari vitriolati* ſcrupulum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de abſinthio* unciam unam.

JUSCULUM.

℞ *Caponem* optimum ab interaneis purgatum, pinguedine & pelle detractis, & in fruſta ſectum. *Folior. cereſolii* manip. unum. Coque ut artis eſt in balneolo, cum tantillo aquæ, per octo horas. Expreſſio cochleatim exhibeatur.

℞ *Carnis vervecinæ* libras duas. *Gallinæ eximiæ* dimidium. *Cancrorum fluviatilium* paria tria. *Radicum feniculi* ſemi-unciam. *Radicum ſiccarum enulæ campanæ* drachmas duas. *Foliorum meliſſæ* manip. unum. Fiat ex arte juſculum pro duabus doſibus. Cuique adde *elixirii proprietatis guttas octo*.

℞ *Caponem* eviſceratum & in fruſta conciſum. *Pedes ovillos* & *vitulinos* ana numero quatuor. *Raſuræ cornu cervi* unciam unam. *Myrobalanorum citrinorum* uncias duas. *Hordei perlati* unciam unam. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *cereſolii* manipul. unum. Et *nucem moſchatam*. Fiat ex arte juſculum pro uſu.

℞ *Carnis vitulinæ* è coxâ deſumptæ, & in fruſta diſſectæ, libras duas. *Fol. veronicæ* & *cereſolii* minutim ſectorum ana manipulos tres. *Rhei* drachmam unam. Fac in ollâ fictili ſtratum ſuper ſtratum. Optimè claudatur cum ſuo operculo, papyro & paſtâ: coque balneolo per ſex horas, & fiat juſculum pro hauſtu.

GELATINA.

℞ *Raſuræ cornu cervi* uncias quatuor vel ſex. Coque lento igne in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ cum ovi albumine clarificatæ adde *vini albi*

uncias

uncias duas. *Succi mali citrei* unciam unam, *ſacchari* uncias quatuor; redigantur ex arte in conſiſtentiam gelatinæ.

ANALEPTICA.

℞ *Raſuræ cornu cervi* ſemi-libram. Coque in vaſe fictili vitreato in aq. libris ſex ad duas. Colaturæ & expreſſioni clarificatis cum ovi albo adde *ſacchari* uncias ſex. *Succi citri* unciam unam. Coque ad conſiſtentiam, & dein affunde in patinas in quibus frigeſieri ſinatur. Nonnulli addunt eſſentiam citri vel cinnamomi.

CREMOR.

℞ *Panis albiſſimi* triti uncias quatuor. Coque per horam in aquæ libris duabus. Ulteriùs confringe cum ligno verſatili. Colaturam iterùm coque ad cremoris tenuiſſimi conſiſtentiam; cui adde *ſacchari* unciam ſemis; *aquæ florum aurantiorum* drachmam unam; vel tantillum *cinnamomi*. Hæc cremoris ſpecies, parùm recedens ab intritâ panis veterum, palato gratiſſima, ægrotantium, vel febricitantium, qui juſcula vulgatiſſima averſantur, vota explet; quæ aliàs ſaburram primarum viarum putridam nuſquàm fovet: quantam enim noxam, ſub hoc conſpectu, inferant juſcula è carnibus parata neminem practicum latet.

℞ *Panis ſiliginei* libram ſemis; coque in aquæ libris quatuor, ad panis ſolutionem. Colaturæ addere licet tantillum *butyri*, vel *ſalis*, vel *ſacchari*. Capiat uncias circiter octo quartâ quâque horâ juſculi inſtar.

CIBUS ALBUS.

℞ *Lactis vaccini* libras octo. *Carnem albam caponis elixi*. *Amygdalarum dulcium* excorticatarum uncias duas. Accuratè contundantur. In colaturâ & expreſſione coque *farinæ oryzæ* uncias tres ad cremoris conſiſtentiam. Adde circà finem coctionis *aquæ roſarum* uncias quatuor, & *ſacchari* uncias octo. Servetur ad uſum.

℞ *Carnes albas caponis & duarum perdicum aſſatorum*. *Micæ panis* albiſſimi uncias quatuor. Contundantur & cum juſculo in paſtam redigantur, coquendam demùm per duas horas in juſculi q. ſ. ad cremoris conſiſtentiam. Per ſetaceum trajiciatur pro uſu.

℞ *Gelatinæ cornu cervi* balneolo liquefactæ libram ſemis; *amygdalarum dulcium* excorticatarum unciam unam; *ſacchari* unciam ſemis; ex arte contundantur, emulſionis inſtar in mortario calido. Colaturæ adde *aquæ florum aurantiorum* drachmas duas; *eſſentiæ citri* guttas quatuor. Sine ut coëat in loco frigido.

VINUM.

℞ *Radicum enulæ campanæ*, ſiccarum & tritarum unciam unam. *Corticis granatorum* ſemi-unciam. Infunde per biduum in *vini albi* libris duabus. Identidem agita & ſerva cum fæcibus. Doſis ab unciis duabus ad quatuor.

℞ *Zedoariæ & cinnamomi* ana drachmam unam. *Foliorum abſinthii &*

ANALEPTICA.

meliſſæ ana manip. unum. *Corticum citrei* ſemi-unciam. Superaffunde *vini albi* libras quatuor. Infunde frigidè per biduum, & ſervetur ad uſum. Doſis ab unciâ unâ ad duas.

Limaturæ ferri rubiginoſi unciam unam. *Croci orientalis* ſcrupulum ſemis. *Corticis granatorum* & *citrei* ana unciam unam. *Cinnamomi* contuſi drachmam unam. Infunde per triduum in *vini albi* libris duabus; vas ſæpiùs agitetur, & colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis duabus ad tres.

PULVIS.

℞ *Croci martis* grana octo. *Rhei* grana ſex. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Rhei* & *corticis peruviani* ana à granis quatuor ad ſex. Miſce. Fiat pulvis ante prandium exhibendus; ad arthritidem.

℞ *Lapillorum cancrorum fluviatilium* unciam unam. *Kinækinæ* drachmas duas. *Serpentariæ virginianæ* drachmam unam & ſemis. Miſce. Fiat pulvis. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Concharum præparatarum* & *corticis granatorum* ana drachmas duas. *Corticis caſcarillæ* drachmam unam. *Olei cinnamomi* guttas tres. Miſce pro pulvere; cujus doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

Radicum ireos Florentinæ; *caſſiæ ligneæ* ana ſcrupulum unum. *Croci martis* grana quindecim, *cinnamomi*, *florum martialium ſalis ammoniaci* ana grana duodecim. Miſce. Fiat pulvis pro duabus vel tribus doſibus.

℞ *Radicum gentianæ* & *ariſtolochiæ rotundæ*, *ſummitatum chamædryos* & *centaurii minoris*, ana partes æquales. Siccata redigantur in pulverem tenuiſſimum cujus doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam; mane jejuno ventriculo ex juſculo, vino, potu theæ, aliove vehiculo exhibenda; ejus diuturnus uſus prodeſt arthriticis.

BOLUS.

℞ *Conſervæ roſarum* & *theriacæ veteris* ana ſemi-drachmam. *Succini præparati*, *pulveris viperini* ana grana octo. Miſce. Fiat bolus.

℞ *Caſcarillæ* & *catechu* ana ſcrupulum unum. *Salis abſinthii* grana decem. *Croci martis* grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo cydoniorum*.

OPIATA.

℞ *Confectionis de hyacintho* unciam unam. *Corticis peruviani* ſemi-unciam. *Lapillorum cancrorum fluviatilium*, *cinnamomi* ana drachmas duas. *Salis abſinthii* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio*. Doſis à drachmâ unâ, ad unam & ſemis

℞ *Conſervæ kynorrhodontis*, *coralli præparati* ana unciam unam. *Corticis Winterani* ſemi-unciam. *Rhei* drachmas duas. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis ſiccis*. Doſis ad drachmam unam & ultrà.

TABELLÆ CIBARIÆ.

ANALEPTICA.

℞ *Pedes vitulinos*, numero quatuor; *carnis bovillæ* libras duodecim; *vervecinæ* libras decem; *vitulinæ* libras quatuor. Ex hiſce carnibus è coxâ deſumptis paratur cum ſufficienti aquæ copiâ; congruâ ſcilicet coctione & expreſſione juſculum ritè ex adipe purgandum, & albumine ſex ovorum notiſſimâ arte defæcandum. Dein addito ſale culinari q. ſ. evaporationi committitur, balneolo; donec in paſtam coëat; è quâ conficiuntur tabellæ, ulteriùs balneolo, vel hypocauſto exſiccandæ; & in lagenis ritè obturatis ſervandæ, per plures annos. Doſis ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam, cui ſuperaffunditur aqua fervens ad uncias ſex. Abſolvitur diſſolutio ſuprà cineres calidos ad horæ circiter quadrantem, pro *juſculo extemporaneo*, quod recèns coctο minime cedit.

COMMENTARIA.

(1.) Enula campana officinarum. [Aſter] omnium maximus helenium dictus, Inſt. rei herb. (*Aunée*).

Elegans & procerior hæc planta radicem præbet, odore ingrato & ſapore ſubamaricante, cum nonnullâ acredine; quæ ob egregias & multiplices, quibus pollet, vires, ab Authoribus certatim laudatur; & jure pro *panaceâ pauperum* habetur. Ideò inter analeptica & ſtomachica præſtantiora numeratur: ad alexiteriorum gradum promovetur, incidentium pectoralium ordinem ſubit, nec ipſi denegatur locus in depurantium & antiſcorbuticorum ſerie. Ideò plurimùm deprædicatur in paralyſi & tremore, languentes ventriculi vires recreat, anacatharſim promovet, laudatur in febribus malignis & intermittentibus: valet in chloroſi, cachexiâ & obſtructionibus: conducit ſub affectibus cutaneis. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Ad duplum verò præſcribitur ſicca pro hauſtu infuſi vel decocti; vel à drachmis duabus ad ſemi-unciam, ſi recens uſurpetur. Proſtant in officinis extractum & conſerva: primum ab ſcrupulo uno ad duos exhibentur; conſerva verò à drachmâ unâ ad duas accedit. Vinum enulatum paratur infuſione hujuſce radicis ad unciam unam per biduum in vini albi libris duabus, quod celebratiſſimum ſub cachexiâ & chloroſi præſcribi debet ab unciâ unâ ad tres. In uſum externum etiam trahitur helenii radix, tanquàm detergens; cujus ratione variorum topicorum, affectus pruriginoſos reſpicientium, compoſitionem ſubingreditur.

(2.) *Caryophyllata* vulgaris, C. B. pin. (*Benoite*).

Radix ſubamaricans cum levi adſtrictione, odorem haud ingratum refert; non ſecùs ac caryophylli aromatici, è quibus nomen mutuatur. In agmine analepticorum & ſtomachicorum recipitur; atque inter ape-

ANALEPTICA.

rientia & reſolventia numeratur: quapropter in ſuppreſſis menſibus, cachexiâ & chloroſi, laudem obtinet: ſed magis deprædicatur adversùs contuſiones & poſt caſum ab alto. Doſis in ſubſtantiâ, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam; & à duplo ad ſemi-unciam in infuſo, vel decocto pro quâque aquæ librâ; vel ad unciam unam ſi recèns uſurpetur.

(3.) *Cyperus* odoratus radice longâ vel officinarum, C. P. pin. (*Souchet*). Sponte naſcitur hæc planta paluſtris in Galliâ & Italiâ; ſed longè præſtat indica. Ejus radix ſicca, odore ſuavi atque ſapore aromatico nonnil amaricante, in numerum analepticorum & ſtomachicorum venit: claſſem antihyſtericorum & menſes moventium ingreditur, &c. Datur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo. Alia eſt ſpecies quæ iiſdem pollet viribus; *cyperus* nempè rotundus orientalis major, C. B. pin. & ſimili modo exhibetur; haud tamen, ni fallor, pari ſucceſſu.

(4.) *Acorus verus* vel *Calamus aromaticus*, radix plantæ cognominis Aſiaticæ, de quâ HERMANNUS; odore fragrantiſſimo, ſapore aromatico ſubamaricante, ad analeptica præſtantiora refertur: cephalicorum ordinem ſubit: in tractu cardiacorum recipitur: pro ſtomachico habetur: nec ipſi denegatur vis aperiens; adeò ut familiaris ſit ejus uſus in chloroſi, cachexiâ, anaſarcâ, aſthmate pituitoſo, &c. Inſuper haud inutilem opem præſtat ſub febribus contumacioribus, & præſertim quartanâ. Raro tamen congruit cum temperie ſanguineâ; nedùm biliosâ. In ſubſtantiâ præſcribitur à granis quindecim ad ſemi-drachmam, & ad duplum in infuſo aquoſo vel vinoſo Nonnulli hanc radicem geſtant, inſtar amuleti, contrà inquinatum aërem, vel ad arcendum contagium; ſed ad populum phaleras.

(5.) *Coſtus arabicus* eſt radix plantæ exoticæ cujus iconem videre licet in Tractatu elegantiſſimo de Inſectis ſurinamenſibus, & in horto malabarico. Sapore gaudet aromatico, cum quâdam amaritie; atque iridem florentinam quaſi redolet. Inter analeptica & ſtomachica numeratur; ſed rarò in uſum magiſtralem venit, niſi quandóque adversùs aſthma pituitoſum, cui nonnil conferre, apud practicos compertum manet. Doſis in ſubſtantiâ à granis quindecim ad ſemi-drachmam, & à drachmâ unâ ad duas in infuſo.

(6.) *Ginſeng* eſt radix ſaporis ſuavis aromatici ſubdulcis, ſimulque amaricantis cujuſdam plantæ, quæ *Araliaſtrum foliis ternis quinquepartitis*, audit apud TREW. Celebratiſſima eſt apud Sinenſes, qui illam auro, ratione pretii, æſtimant; tàm ad vires reſarciendas, quàm ad ſtomachum refocillandum, cerebrum inſtaurandum, venenum arcendum, &c. Sed cùm ratione penuriæ, vel immodici pretii, vix illam uſurpare liceat, ſuperfluum fore judicavimus examinis incudi ſubjicere, nùm inter congenera notiſſima & vulgatiora haud occurrant, quæ huic minime cedant. Exemplo ſit radix feniculi, quæ fortè eaſdem obtinet vires; at hinc exoticæ ſubſtitui poteſt; annuente BOERHAAVIO. Doſis in infuſo ab ſcrupulis

duobus, ad drachmam unam & ſemis; in ſubſtantiâ verò à granis quindecim ad ſemi-drachmam. Fertur hanc plantam ſponte creſcere in illo tractu Americano, quem vocant *Canada*. Nùm ſit error in autopſiâ? ſed illud dubium in medio relinquimus. ANALEPTICA.

(7.) *Salep* vel *Salab*, de quo DEGNERUS & SEBA mentionem ſubjecerunt; & poſteà clariſſ. GEOFFROI in Actis Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1740, eſt radix bulboſa cujuſdam orchidis perſicæ, quæ in familiarem uſum cedit apud Orientales. Subſtantiâ quâdam viſcosâ, & mucilaginosâ impraegnatur hæc radix, & gummi ferè inſtar, facilè diſſolvitur. Tanquàm alimentum temperans & demulcens, atque tonicum deprædicatur; ſumméque proficuum tabidis, phthiſicis & atrophiâ confectis cenſetur: nec levem opem conferre dicitur in colicâ, dyſenteriâ, alvi proflu- vio, &c. Fertur Perſas haſce radices magni facere, & ferè omnes virtutes ipſis adſcribere, quas Sinenſes de ſuâ ginſeng celebrant. In pulverem redacta hæc radix facilè, uti jam innui, ſolvitur ſimplici maceratione in aquâ tepidâ vel fervente; non ſecùs ac in lacte, juſculo, vino, aliove hauſtu à ſemi-drachmâ ad drachmas duas; ac ſemel, vel pluriès in die exhibetur.

(8.) *Salvia* major, an Sphacelus Theophraſti, C. B. pin. (*Grande Sauge*).

Salvia minor aurita, & non aurita, C. B. pin. (*Petite Sauge*).

Utraque ſpecies in uſum venit; ſed præfertur poſtrema. Inter analeptica jure recenſetur: cephalicorum gradum obtinet: in ſtomachicorum ordine recipitur: aperientium ſeriem ſubit: atque in numerum antihyſtericorum, & menſes moventium adſciſcitur. Ideò deprædicatur in vertigine: valet in apoplexiâ, aliiſque affectibus comatoſis: prodeſt in paralyſi & tremore: fauſtè uſurpatur in cachexiâ & chloroſi; ac demùm hyſtericis ſuccurrit. Inſuper mictum cruentum mulierum, experientiâ teſte, quandóque ſiſtit; dummodò tamen haud à calculo ortum ducat. Raro in ſubſtantiâ ad ſemi-drachmam exhibetur; ſed ejus uſus in infuſo theiformi familiariſſimus eſt. In officinis præſtat aqua diſtillata, iiſdem viribus inſtructa. Quoad uſum externum; ejus pulvis ſternutationem promovet: foliorum fumus, nicotianæ inſtar, tubi beneficio ore excipitur ad ſalivam eliciendam. Cæterùm extùs admota hæc planta pro reſolvente habetur; ad quem ſcopum in vino coquitur pro fotu, vel cataplaſmate.

(9.) *Dictamnus creticus*, C. B. pin. Origanum creticum latifolium tomentoſum, Inſt. rei herb. (*Dictame de Crete*).

Hæc planta aromatica, apud Veteres celebratiſſima, vix hodiè innoteſceret; ni varias compoſitiones pharmaceuticas ingrederetur. Pro analeptico tamen eximio habetur: haud infimum gradum inter cephalica aſſequitur: diaphoreticorum & alexiteriorum ordinem ſubit; nec ipſi denegatur locus in ſerie uterinorum; cujus ratione nonnunquàm uſurpatur ad menſium, lochiorumve fluxum promovendum; ad ſecundinas, & fœtum

ANALEPTICA.

mortuum propellenda, &c. Folia præſcribere licet in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad duos, & ad duplum in infuſo.

(10.) *Nux moſchata*, (*la Muſcade*), fructus eſt indicus, vel inſularum Molucarum, formâ olivari, odore grato, & ſapore acri aromatico; involucro ſubluteo, *macis* nomine noto obductus. Nucis vulgaris faciem præ ſe fert, à quâ tamen ſummè diſcrepat. Præter uſum culinarem, inter analeptica, ſtomachica & carminantia celebratur nux moſchata; vi inſtruitur cephalicâ & cardiacâ; oris fœtorem corrigit, &c. Fauſtè uſurpatur in cardialgiâ: vomitum compeſcit, tormina ſedat; atque torrefacta diarrhϾ, cæteriſque alvi profluviis medetur: ut ſileamus de aliis viribus, jam, cùm de affinibus, ad nauſeam recenſitis. Doſis in ſubſtantiâ à granis octo, ad ſemi-drachmam; & ad ſcrupulos duos, ſi torrefacta exhibeatur. Nux moſchata in loco natali ſaccharo condita, & nobis allata, haud ſuis proprietatibus deſtituitur; & ad drachmam unam circiter exhibetur.

(11.) *Cardamomum minus* eſt fructus plantæ arundinaceæ, de quâ LINNÆUS. Oblivioni fortè traderetur, ni in variis præparatis officinalibus reciperetur. Ad piper ratione ſaporis fervidi accedit, ſed inferiori gradu. Inter analeptica & ſtomachica eximia numeratur: cephalicorum claſſem ſubit: ac in ſerie aperientium & diureticorum locum obtinet. Ideò valet ad memoriam refocillandam: apoplexiam & vertiginem præcavet: cachexiæ auxiliatur, &c. In ſubſtantiâ exhibetur à granis ſex ad ſcrupulum unum; & ad ſemi-drachmam in infuſo vinoſo; non ſecùs ac piper, ſalivam manſa elicit. A propoſito aberrarem, ſi de *cardamomo majori* & *medio*, aliquid hùc attexerem; cùm in uſum duntaxàt officinalem trahantur hæ poſtremæ ſpecies, & ratione virium cum primâ coincidant.

(12.) *Vanilla* eſt ſiliqua notiſſima plantæ cognominis, juxtà PLUMERIUM; quam ad convolvulorum genus refert CATESBI. Nullum eſt dubium quin viribus analepticis, cephalicis, ſtomachicis, &c. inſtruatur. Ideò illam exhibere licet in ſubſtantiâ, à granis decem ad ſemi-drachmam, & ad duplum in infuſo; ſed vix in uſum cedit, niſi ad chocolatæ confectionem.

(13.) *Santalum* citrinum, ſic dictum, ut diſtinguatur ab albo & rubro è remediorum albo expungendis. Hoc lignum, ſapore aromatico ſubamaro, & odore ſuavi & roſaceo præditum, rarò uſurpatur; ni ad compoſitionem nonnullorum medicaminum officinalium. In numero tamen analepticorum & ſtomachicorum adſcribitur: ſed de ejus efficaciâ dubitare fas eſt. Ejus ſcobs datur in decocto à ſemi-unciâ ad unciam unam pro ſingulis aquæ libris; pulvis verò in ſubſtantiâ ad ſemi-drachmam exhibetur.

(14.) *Cinnamomum*, (*la Canelle*), eſt cortex aromaticus odore gratiſſimo, atque ſapore acuto & ſuavi, cujuſdam lauri Zeylanicæ; de quâ RAIUS & LINNÆUS. Inter analeptica ſimpliciora primatum fortè ducit: nec minùs eminet in cephalicorum, cardiacorum, ſtomachicorum & carminantium ordinibus; in numerum aperientium & diureticorum aggrega-

tur ; antihyſtericorum & emmenagogorum ſeriem ſubit : ac in agmine febrifugorum recipitur. Idcircò debilibus confert : concoctionem alimentorum juvat : pluris habetur in cerebri & nervorum morbis à laxitate oriundis : deprædicatur in cachexiâ & chloroſi ; hyſtericis opitulatur : menſes, partum & lochia movet : nec inutilem opem confert in fluore albo ; febribus intermittentibus, &c. Datur in ſubſtantiâ à granis quatuor ad quindecim ; & ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſemi-drachmam in infuſo vinoſo pro hauſtu : vel infunditur ad ſemi-unciam in aquæ vel vini libris duabus. In officinis reperitur aqua cinnamomi, de quâ infrà.

ANALEPTICA.

(15.) *Zingiber*, (*le Gingembre*), eſt radix odore ſuavi, ſapore fervido aromatico, plantæ cujuſdam arundinaceæ orientalis, quam ad amomi genus revocavit LINNÆUS. Inter analeptica & ſtomachica celebratur : in numerum cardiacorum & alexiteriorum venit ; diureticorum & incidentium claſſem ingreditur : nec virtute antiſcorbuticâ defraudari fertur. Doſis in ſubſtantiâ à granis ſex ad duodecim : ſed crebriùs inter obſoniorum condimenta uſurpatur. Neminem fermè fugit quòd ab hujuſce radicis maſticatione copioſa educatur ſaliva, & refocillentur loquelæ organa.

(16.) *Caſſia lignea* eſt cortex arboris cujuſdam indici, de quo BREYNIUS. Ad cinnamomum non ſolùm ſapore & odore, ſed etiam facie proximè accedit ; iiſdemque viribus, ſed debilioribus inſtruitur, de quibus nihil addimus, ne recoctam crambem apponamus. Sed notare expedit hunc corticem quidpiam mucilaginoſi, vel balſamici penès ſe habere, quod inter comedendum facilè deprehenditur ; quo fit ut æſtum pectoris compeſcere, imò & tuſſim ſedare valeat : quâ proprietate defraudatur cinnamomum. Præſcribitur caſſia lignea in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno, ad ſemi-drachmam ; & ad duplum in infuſo vinoſo, ſed rarioris eſt uſûs.

(17.) *Spiritus ardens juniperi*, paratur digeſtione baccarum, cum earumdem ſucco & melle ; donec poſt fermentationem odorem vinoſum contrahant. Poſteà diſtillationi balneolo committuntur, ut ſpiritus rectificandus eliciatur. Inter analeptica eminet ; ſtomachi vires refocillat, flatus diſcutit, vermes enecat, diaphoreſim promovet, menſes & urinam ciet, &c. Exhibetur in hauſtu congruo ab ſcrupulo uno ad drachmam unam.

ADSTRINGENTIA.

ADSTRINGENTIA ET STYPTICA.

GRADU duntaxàt differunt hæc remedia, quæ colligit hæc claſſis; prima mitiora è triplici regno petuntur; ſecunda validiora è vitriolo & alumine præſertim depromuntur. Utraque cujuſvis ſortis coincidunt cum vulnerariis : ſed varia occurrunt inter hæcce poſtrema, ab adſtringentium indole planè aliena. Hinc conſultum duximus adſtringentia & vulneraria, diſtincto ordine, exhibere; cùm pro vario medentium ſcopo, alterutra uſurpari queant. Pari fermè ratione plura hancce claſſem ſubingredientia in numerum comprimentium & ſtomachicorum iterùm venient; cùm neminem lateat unum & idem remedium fauſtè uſurpari ad hæmorrhagiam coërcendam, vomitum cohibendum, alvum comprimendam, ſtomachum roborandum, mictionem involuntariam ſiſtendam, ſeminis profluvium reprimendum, &c. Cautè tamen cum adſtringentibus mercari expedit; quoniam prædicti morbi, contraria ſæpiſſimè expoſtulant remedia : ſcitur enim apud practicos varia eſſe profluvia ſalubria; vel ab œconomiæ animalis moderatoribus inſtituta, & ideò favenda, nedùm coërcenda. Hinc intelligitur cur vomitus, & alvi fluxus, ab exhibito emetico, vel cathartico utplurimùm curentur; & hæmorrhagiæ à celebratâ venæ ſectione ſiſtantur : quod ſanè quidem apprimè norunt qui luſtratis abditis medicinæ receſſibus, extrà vulgus ſapiunt. Præter jam decantatos adſtringentium & ſtypticorum uſus, reſpectu cujuſvis ſortis effluviorum; alia obeunt munia hæc remedia; atoniæ ſcilicèt, & laxitati variarum partium medentur : ideò conducunt ſub cachexiâ & leucophlegmatiâ ab hâcce causâ ortis : ſummam opem præſtant in herniis, prolapſu ani, vaginæ, &c. Licet intùs exhibeantur; vel extùs admoveantur.

EMPORETICA.

Adstringentia.

EMPORETICA.

Radices biſtortæ, tormentillæ, polygonati, pentaphylli, rhapontici, anchuſæ, filipendulæ, fragariæ, ſymphyti [1], ulmariæ, urticæ.

Folia plantaginis, equiſeti [2], centinodiæ [3], burſæ paſtoris [4], pimpinellæ, pervincæ, alchimillæ, argentinæ, pentaphylli, coronopi, euphraſiæ, millefolii, ulmariæ, piloſellæ, pyrolæ, nummulariæ [5], ſaniculæ, verbenæ, urticæ [6], ſophiæ Chirurgorum [7], perſicariæ mitis. Pulmonaria arborea.... Balauſtia; roſæ rubræ.... Semen ſumach [8], cydoniorum, ſophiæ Chirurgorum.... Fructus ſorbi, berberis. Ribeſia, myrtilli [9], nuces cupreſſi. Malicorium.... Galla [10], Bedegar ſeu ſpongiola roſæ ſylveſtris.... Cortex peruvianus... Lignum lentiſci, viſci quercini.... Acetum.... Acacia [11], catechu, hypociſtis, ſanguis draconis.... Cornu cervi. Os ſepiæ. Lapilli cancrorum fluviatilium.... Aquæ Forgienſes, Paſſiacæ, Spadanæ, Borbonienſes Anſelmienſes, Baregienſes, Cauterienſes; Bonenſes, Granenſes...., Succinum, alumen, ferrum... Lapis hæmatites, creta alba, bolus armena, terra ſigillata....

OFFICINALIA.

Aqua centinodiæ, plantaginis, roſarum rubrarum..... Syrupus de roſis ſiccis, cydoniorum, myrtinus compoſitus, ribeſiorum, granatorum [12], de ſymphyto, magiſtralis adſtringens.... Spodium. Putamina ovorum calcinata.... Globulus martialis.... Conſerva kynorrhodontis, roſarum rubrarum.... Trochiſci de karabe [13] Spiritus vitrioli & ſulphuris, nitri dulcis.... Aqua Rabel [14], ſtyptica.... Sal martis Riverii [15].... Crocus martis adſtringens [16], Crocus martis antimoniatus Stahlii [17].

ADSTRINGENTIA.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ RADICIS *recentis ſymphyti* uncias duas. *Fol. pimpinellæ* manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *roſarum rubrarum* manip. ſemis. Fiat ptiſana ad uſum.

℞ *Rad. pentaphylli* unciam unam. *Fol. pervincæ* & *millefolii* ana manip. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex.

℞ *Oryzæ lotæ* ſemi-unciam. *Radicum conſolidæ majoris* unciam unam. *Raſuræ cornu cervi*, in nodulo, drachmas duas. Bulliant, ut artis eſt, in aq. q. ſ. ad libras ſex.

℞ *Rad. biſtortæ* & *urticæ* ana unciam unam. *Corticis granatorum*, *ſeminis ſumach* ana ſemi-unciam. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras ſex. Sub finem adde *liquiritiæ* ſemi-unciam. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Radicis tormentillæ* unciam unam. *Foliorum equiſeti* & *urticæ* ana manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex.

SERUM LACTIS.

℞ *Lactis vaccini* libras duas; *aluminis rupei* in pulverem redacti drachmas duas. Tantiſper bulliant ut coëat lac; quod coagulatum imponitur linteo extremis oris alligato, ut ſerum in vas ſubjectum ſtillet; cui iterùm per chartam bibulam trajecto additur *ſacchari* uncia una & ſemis. Doſis ab unciis duabus ad quatuor, bis terve in die ad menſes immodicos.

DECOCTUM ALBUM.

℞ *Cornu cervi ad albedinem calcinati*, & pulverati ſemi-unciam. *Micæ panis albiſſimi* uncias duas. Coque leviter in aquæ libris ſex. Colaturæ adde *ſacchari* uncias duas. *Aquæ florum aurantiorum* drachmas duas. Serva ad uſum.

TINCTURA ROSARUM.

℞ *Roſarum rubrarum exungulatarum*, & ſiccarum drachmas duas. Superaffunde aquæ ferventis libras duas. Adde *olei vitrioli* guttas viginti. Infunde per horæ quadrantem, & cola.

HAUSTUS.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias ſex. *Sanguinis draconis* ſcrupulum unum. *Syrupi cydoniorum* unciam unam. *Spiritum vitrioli*, ad gratam aciditatem. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Aquæ roſarum rubrarum* uncias ſex. *Sanguinis draconis* ſcrupulum unum. *Aluminis rupei* grana duodecim. *Syrupi magiſtralis adſtringentis* unciam unam. Miſce pro hauſtu.

ADSTRINGENTIA.

℞ *Tincturæ roſarum rubrarum* uncias ſex. *Corallii præparati; ſanguinis draconis* ana ſemi-drachmam. *Syrupi de roſis ſiccis* ſemi-unciam. Miſce pro hauſtu.

℞ *Infuſi balauſtiorum* uncias ſex. *Boli armenæ* ſemi-drachmam. *Succi urticæ* uncias duas. *Syrupi ribeſiorum* unciam unam. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Nitri* grana ſex; *aceti* unciam ſemis; *aquæ* uncias duas. Miſce pro hauſtu, identidem iterando, ad hæmorrhagiam.

SUCCUS.

℞ *Succi urticæ* ritè defæcati ab unciis duabus ad quatuor. *Sacchari roſati* drachmas duas; vel *ſyrupi de roſis ſiccis* drachmas ſex. Miſce, pro hauſtu. Vel ſincerus ſuccus exhibeatur.

℞ *Succi urticæ* & *plantaginis* ana uncias duas. *Sanguinis draconis* ſcrupulum unum. *Aluminis* grana ſex. Miſce pro hauſtu.

EMULSIO.

℞ *Amygdalarum dulcium* excorticatarum paria ſex. *Seminum papaveris albi* drachmas duas. Contunde, affundendo *decocti radicum ſymphyti* libras duas. In expreſſione diſſolve *ſyrupi de roſis ſiccis* uncias duas. Fiat emulſio ad uſum.

LOOCH.

℞ *Syrupi cydoniorum*, & *de roſis ſiccis* ana uncias duas. *Terræ ſigillatæ* drachmam unam. Miſce. Fiat looch.

POTIO.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias ſex. *Lapidis hæmatitæ; ſanguinis draconis* ana drachmam unam. *Syrupi cydoniorum* unciam unam. Miſce. Fiat potio cochleatim ſumenda.

℞ *Aquæ centinodiæ* uncias quatuor. *Succi plantaginis* ritè defæcati uncias duas. *Sanguinis draconis* & *boli armenæ* ana drachmam unam. *Syrupi granatorum* unciam unam. Miſce. Fiat potio cochleatim exhibenda.

℞ *Balauſtiorum* & *malicorii* ana drachmas duas. Infunde in aquæ unciis octo. Colaturæ adde *boli armenæ* drachmam unam. *Succi urticæ* uncias duas. *Syrupum cydoniorum* unciam unam & ſemis. Miſce pro duplici doſi.

℞ *Aq. roſarum* & *plantaginis* ana uncias tres. *Sang. draconis*, & *hypociſtidis* ana ſemi-drachmam. *Acaciæ* & *maſtiches* ana ſcrupulum unum. *Laudani* grana duo. *Syrupi de roſis ſiccis* uncias duas. Exhibeatur è cochleari.

Adſtringentia.

℞ *Tincturæ roſarum* uncias ſex. *Hæmatitæ* & *terræ ſigillatæ* ana ſemi-drachmam. *Trochiſcorum de karabe* ſcrupulum unum. *Syrupi de pap. albo* ſemi-unciam. Per vices ſumatur.

APOZEMA.

℞ *Radicum conſolidæ majoris* uncias duas. *Radicum ſiccarum biſtortæ* ſemi-unciam. *Fol. alchymillæ* & *milleſolii* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *trochiſcorum de karabe* drachmas duas. *Syrupi de roſis ſiccis* uncias duas. Fiat apozema pro mictu cruento.

℞ *Rad. pentaphylli* & *ſymphyti* ana ſemi-unciam. *Fol. agrimoniæ* & *pervincæ* ana manip. ſemis. *Roſarum rubrarum* pugill. unum. Coq. in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrup. myrtini* compoſiti unciam unam & ſemis.

℞ *Rad. recentium tormentillæ* & *conſolidæ majoris* ana unciam unam. *Folior. plantaginis* & *urticæ* ana man. unum. *Balauſtiorum* pug. unum. Coq. in aq. q. ſ. ad libras quatuor. In colaturâ diſſolve *ſucci urticæ* uncias quatuor. *Syrup. cydoniorum* uncias duas.

℞ *Rad. ſiccæ biſtortæ* ſemi-unciam. *Fol. argentinæ* & *pimpinellæ* ana man. unum. Coq. in aq. q. ſ. ad libr. duas. In colaturâ diſſolve *ſucci plantaginis* uncias duas. *Syrupi granatorum* unciam unam.

JUSCULUM.

℞ *Carnis vitulinæ* ſemi-libram. *Pedes vervecinos* numero duos. Coque per horam in aq. q. ſ. poſteà adde *rad. recentis ſymphyti* ſemi-unciam. *Rad. ſiccæ tormentillæ* drachmam unam. *Fol. urticæ* & *plantaginis* ana manipulum ſemis. Coque, ut artis eſt, pro juſculo.

℞ *Radicis ſiccæ biſtortæ* drachmas duas. *Fol. pimpinellæ* & *plantag.* ana man. ſemis. *Balauſtiorum* pug. unum. Cum *fruſto carnis vervecinæ* fiat juſculum. Cui adde *ſucci urticæ* defæcati uncias duas.

PULVIS.

℞ *Sanguinis draconis*; *terræ ſigillatæ* ana grana quindecim. *Aluminis* grana octo. Miſce.

℞ *Terræ lemniæ*; *rad. biſtortæ* ana ſcrup. unum. *Camphoræ* grana quatuor. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Aluminis* drachmas tres. *Sanguinis draconis* drachmam unam. Liquefiant ſimul; & frigefacta redigantur in pulverem; cujus doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam. Hic eſt pulvis helvetianus pluriès per diem exhibendus, urgente hæmorrhagiâ.

℞ *Corallii præparati* & *eboris uſti* ana drachmam unam. *Croci martis* Stahlii grana decem. Miſce. Fiat pulvis pro quatuor doſibus, quartâ quâque horâ exhibendis. Ad mictum involuntarium.

℞ *Aluminis rupei* grana duodecim. *Sanguinis draconis* grana viginti. Miſce. Fiat pulvis.

ADSTRINGENTIA.

BOLUS.

℞ Pulveris *radicum tormentillæ* & *filipendulæ* ana grana viginti. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de abſinthio*, bis terve per diem exhibendus.

℞ *Boli armenæ* & *ſanguinis draconis* ana ſcrupulum unum. *Maſtiches* & *aluminis* ana grana quindecim. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo ribeſiorum*. Pluriès per diem iterandus. Superbibendo *decoctum ſymphyti*.

℞ *Trochiſcorum de karabe* ſcrupulum unum. *Corticis granatorum; croci martis*, & *ſanguinis draconis* ana grana decem. *Pilulæ de cynogloſſo* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo cydoniorum*.

℞ *Lapidis hæmatitæ* grana quindecim. *Catechu* & *terræ ſigillatæ* ana grana decem. *Aluminis* grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de roſis ſiccis*.

℞ *Conſervæ roſarum* drachmam unam; *ſanguinis draconis* grana quindecim; *aluminis rupei* grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo cydoniorum*.

OPIATA.

℞ *Conſervæ roſarum rubrarum* ſemi-unciam. *Balauſtiorum* drachmas tres. *Terræ lemniæ* & *ſanguinis draconis* ana drachmas duas. *Acaciæ* & *hypociſtidis* ana drachmam unam. *Aluminis* ſcrupulos duos. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis ſiccis*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Conſervæ ſymphyti majoris* unciam unam; *corallii præparati* & *trochiſcorum de karabe* ana drachmas duas; *catechu* & *ſanguinis draconis* ana drachmam unam & ſemis. Ex accuratè mixtis fiat opiata cum *ſyrupo cydoniorum*. Doſis ad drachmam unam. Pro urinæ incontinentiâ.

℞ *Terebinthinæ chiæ* unciam ſemis; *ſuccini albi* & *ſanguinis draconis* ana drachmas duas; *catechu* & *croci martis adſtringentis* ana drachmam unam & ſemis. Miſce. Fiat opiata cum *balſamò canadenſi*. Doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam. Ad gonorrhœam.

℞ *Lapidis hæmatitæ*, *ſanguinis draconis* & *aluminis rupei* ana drachmas duas. *Malicorii* & *terræ ſigillatæ* ana unciam unam & ſemis. *Laudani* grana ſex. Miſce accuratè, & fiat opiata cum *ſyrupo cydoniorum*. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, quartâ quâque horâ.

℞ *Conſervæ kynorrhodon* ſemi-unciam. *Catechu* & *ſanguinis draconis* ana drachmas duas. *Spermatis ceti* & *antihectici Poterii* ana drachmam unam. *Balſami ſicci peruviani* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo magiſtrali adſtringente*. Doſis ad drachmam unam. Contra hæmoptyſim cum cautelâ.

℞ *Terebinthinæ venetæ* drachmas ſex. *Sanguinis draconis* & *terræ ſigillatæ* ana drachmas duas. *Aluminis*, *terræ japonicæ*, & *maſtiches* ana drachmam unam. *Camphoræ* ſcrupulum unum. Poſt accuratam

ADSTRINGENTIA.

miſcellam conficiatur opiata cum *ſyrupo de ſymphyto*. Doſis ad drachmam unam.

PILULÆ.

℞ *Gummi elemi* & *maſtiches* ana ſcrupulum unum ; *terræ japonicæ* drachmam ſemis. Ex his accuratè mixtis conficiantur pilulæ cum ſ. q. *balſami de Copahu*. Doſis à granis decem ad viginti. Laudantur inter gonorrhœam.

COMMENTARIA.

(1.) SYMPHYTUM, conſolida major, C.B. pin. (*Grande Conſoude*). Radix hujuſce ſtirpis mucilaginoſa, inter adſtringentia mitiora, demulcentia & vulneraria celebratur ; atque in familiarem uſum venit adversùs hæmoptyſim, mictum cruentum, aliaque ſanguinis profluvia : laudatur in exulceratione pulmonum, cæterorumque organorum, nec inutilem opem præſtat in dyſenteriâ. Raro datur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam : ſed crebrò præſcribitur recens in decocto à ſemiunciâ ad unciam unam, pro ſingulis aquæ libris. Nonnunquàm extrinſecùs admovetur, tanquàm roborans & vulneraria ; ſed huicce topico parùm fidendum. Turpiter, ni fallor, allucinantur qui, ob craſſiorem mucaginem quâ ſcatet hæc radix, periculoſum eſſe ejus uſum internum clamitant ; cùm quotidiè ægros & clinicos fauſto beet eventu. Proſtat in officinis ſyrupus de ſymphyto, de quo alibi.

(2.) *Equiſetum* arvenſe longioribus ſetis, C. B. pin. (*Prêle* ou *Queue de cheval*.

In claſſi adſtringentium & vulnerariorum admittitur integra planta ; quapropter conducit in alvi profluviis ; valet in mictu cruento, cæteriſque hæmorrhagiis. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ; & ad manipulum unum pro quâque librâ decocti : ſuccus verò præſcribitur ab unciâ unâ ad duas. Cæterùm inter præſtantiora roborantia & vulneraria externa jure recenſetur ; ac nonnullos hernioſos, præter ſpem, priſtinæ valetudini reſtituit.

(3.) *Centidonia*, J. B. Polygonatum latifolium, C. B. pin. (*Renouée* ou *Trainaſſe*).

Vulgatiſſima hæc planta, neſcio quâ ratione, parvi habetur ; licèt variis adſtringentibus & vulnerariis uſitatioribus minime cedat. Laudem meretur in alvi fluxu : hæmoptyſicis ſuccurrit ; nec minùs proficua cenſetur in alis hæmorrhagiis. Ad manipulum unum & ultrà præſcribitur pro librâ unâ decocti ; vel ſuccus propinatur ab unciis duabus ad tres. Reperitur in officinis aqua diſtillata, ſed minimæ, ni fallor, efficaciæ. Inſuper vul-

heribus externis fauſtè admovetur ; ac commendatur in herniis, vel quovis alio viſcerum prolapſu.

ADSTRINGENTIA.

(4.) *Burſa paſtoris* major, folio ſinuato, Inſt. rei herb. (*Tabouret* ou *Bourſe à Berger*).

Ad adſtringentia & vulneraria jure refertur : hinc in ſputo & mictu cruentis laudem obtinet ; non ſecùs ac in aliis ſanguinis profluviis ; occurrit pollutionibus nocturnis ; & ipſi etiam tribuitur, nec immeritò, vis febrifuga. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ; & ad manipulum unum in decocto pro quâque librâ aquæ vel vini. Extùs admota hæc planta iiſdem viribus inſtruitur.

(5.) *Nummularia*, Ger. Lyſimachia humifuſa folio rotundiore flore luteo, Inſt. rei herb. (*La Nummulaire*).

Vix nota à clinicis hæc planta, rarò in uſum venit. Attamen inter adſtringentia & vulneraria haud infimum gradum obtinet ; ac proficua cenſetur adversùs hæmoptyſim & mictum cruentum ; non ſecùs ac in fluxu menſium & hæmorrhoïdum immodico, &c. Folia infunduntur ad manipulum unum in librâ aquæ. Porrò inter topica adſtringentia & vulneraria à nonnullis celebratur hæc planta.

(6.) *Urtica* urens maxima, C. B. pin. (*Grande Ortie*).

Urtica urens minor, C. B. pin. (*Petite Ortie* ou *Ortie grieche*).

Utraque ſpecies in adſtringentium mitiorum ordine numeratur : refrigerantium claſſem ſubit ; nec ipſi denegatur locus in pectoralium ſerie. Cur plurimùm deprædicatur in vomitu & mictu cruentis, cæteriſque ſanguinis profluviis : fauſtè etiam uſurpatur in hæmoptyſi ; non ſecùs ac in peripneumoniâ. Familiariſſimè adhibetur ejus ſuccus ab unciis duabus ad tres. Folia coquuntur vel infunduntur ad manipulum unum in juſculo vel aquæ librâ unâ. Radices verò recentes ad unciam unam, pro eâdem aquæ copiâ. Præſcribuntur demùm ſemina emulſionis formâ à drachmis duabus ad tres. Succus naribus immiſſus hæmorrhagiam cohibet ; idem præſtat radix. Prætereà è foliis & radicibus parantur gargariſmata repercutientia, ad anginam ſummè proficua ; vel ex hiſce coctis & ſubactis conficiuntur cataplaſmata reſolventia & digeſtiva, tumoribus pertinacioribus & ulceribus mali moris imponenda.

(7.) *Sophia Chirurgorum*, advers. Lobel. Siſymbrium annuum abſinthii minoris folio, Inſt. rei herb.

Sapore acri & pungente ad ſinapi accedens hæc planta, in adſtringentium & vulnerariorum ordine admittitur ; ſed rarò à noſtratibus coætaneis in uſum trahitur ; ſi excipias ſemen quod à nonnullis in ſubſtantiâ exhibetur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam ; in diarrhœâ, dyſenteriâ, hæmorrhoïdum fluxu immodico ; cæteriſque hæmorrhagiis reprimendis. Parvi tamen ducitur hoc præſidium.

(8.) *Sumach*, ſive rhus virginianum, C. B. pin. (*Sumach des jardins*).

Semen præbet hic frutex, inter adſtringentia exquiſitiora recenſendum : ideò fauſtè uſurpatur, præmiſſis præmittendis, in diarrhœâ & dyſente-

Adstringentia.

riâ : ſummè prodeſt in fluxu menſium & hæmorrhoïdum immodico : nec minorem vim obtinet ergà alias hæmorrhagias. Præſcribitur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ; & ad duplum in decocto. Cæterùm gargariſmata repercutientia anginæ dicata , ingreditur ; atque in alios uſus externos , jam pluriès decantatos , venit.

(9.) *Myrtilli* baccæ audiunt fruticis notiſſimi in regionibus meridionalibus , qui à Gaſp. Bauhin vocitatur Vitis idæa foliis oblongis , crenatis , fructu nigricante. Virgilius haſce baccas celebravit ſub nomine *vacciniorum nigrorum*. Myrtilli , ſive intùs vel extùs adhibeantur , conſtringunt & roborant. Rarò in ſubſtantiâ præſcribuntur ab ſcrupulo uno ad duos : ſed ex illis paratur ſyrupus uſitatiſſimus , de quo infrà. Commemorat Garidellus de quodam oleo è prædictis baccis expreſſo , cujus uſum externum ambiunt nonnullæ defloratæ , quæ virginitatem mentiri cupiunt.

(10.) *Galla* (*la Noix de galle*) , eſt , uti nemo neſcit , tuberculum è quercu , iliceve naſcens , vel excreſcentia quædam morboſa ; à morſu , uti fertur , quorumdam inſectorum ortum habens. In agmine adſtringentium adſcribitur ; atque pro febrifugo eximio habetur ; ubi febris cachexiæ ſociatur. Præſcribitur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ; & ad duplum in infuſo. Quoad uſum externum ; ex illâ parantur decocta adſtringentia , ad fotus & injectiones : porrò varia unguenta & emplaſtra officinalia ingreditur. Scitur poſtremò gallam colorem nigrum nonnullis aquis mineralibus impertiri , quo innoteſcit harum indoles ; & ad atramenti vulgatiſſimi confectionem , accedente vitriolo viridi , vel ferrugineo , uſurpari.

(11.) *Acacia vera* eſt ſuccus inſpiſſatus ſiliquarum immaturarum arboris cognominis ægyptiacæ ; quæ etiam genuinum gummi arabicum præbet : vel materia quædam firma & gummoſa , intùs rufeſcens , extùs fuſca , ſed tactu ſalivæ albicans ; ſapore non ingrato , vel ſubdulci & adſtringente : & in aquâ ſolubilis. Inter adſtringentia & roborantia recenſetur ; nec vi refrigerante deſtituitur. Idcircò conducit in vomitu , alvi fluxu & dyſenteriâ ; hæmorrhagias ſiſtit ; & valet in diabete. Datur ſicca in quovis liquore ſoluta à granis octo ad ſemi-drachmam. Si extùs admoveatur iiſdem viribus pollet. Alia occurrit in officinis ſpecies vulgatior , nempè *acacia noſtras* vel *germanica* ; materia extùs nigricans & intùs rubeſcens , ſaporis acerbi & auſteri , quæ emergit è prunorum ſylveſtrium ſucco , coctione concreto : acacia hæc ſpuria , & veræ ſuccedanea , eâdem virtute inſtruitur : imò & in familiarem uſum venit : paulò tamen majori doſi , etſi intenſiori aciditate pollet , præſcribitur ; nimirùm ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulos duos & ultrà : formâ ſiccâ , vel in quovis hauſtu diluta.

(12.) *Syrupus granatorum* è ſucco ritè defæcato horumce fructuum acidorum , cum ſaccharo , notiſſimâ arte cocto paratur. In tractu adſtringentium recipitur ; inter refrigerantia & antiputrida præſtantiora numeratur ; nec virtute cardiacâ deſtituitur : ideò prodeſt in alvi profluvio : occurrit hæmorrhagiis ; fauſtè uſurpatur in febribus ardentibus : ſitim

ſedat ;

ſedat : bilis effervescentiam compeſcit, &c. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis.

Adstringentia.

(13.) *Trochiſci de karabe*, præter ſuccinum, conflantur è cornu cervi calcinato, acaciâ, hypociſtide, balauſtiis, corallio, croco & opio; quibus accedunt maſtiches, gummi arabicum, tragacanthum, &c. quæ omnia, farraginem redolentia, cum mucilagine ſeminis pſyllii ſubiguntur ut in paſtam mollem coeant, è quâ finguntur trochiſci. Vi adſtringente præditi ſunt; & hypnoticorum gradum conſequuntur: quapropter fauſto ſucceſſu exhibentur ad ſputum cruentum, cæteraſque hæmorrhagias: proſunt in alvi fluxu & dyſenteriâ: laudantur in gonorrhœâ, &c. Doſis ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulos duos. Inſuper ingrediuntur injectiones, enemata, aliaque remedia adſtringentia externa.

(13.) *Aqua* vel *Eſſentia* Rabel. Nihil aliud eſt quàm oleum vitrioli digeſtione in ſpiritu vini edulcatum; haud verò juxtà proceſſum Authoris, qui in rebus chymicis parùm verſatus, longiorem ſed inutilem ſectabatur. Inter adſtringentia interna validiora primatum ducit: ideò egregiè ſe gerit, ubi confertim erumpit ſanguis : vomitum compeſcit : alvi profluvio opitulatur, &c. Doſis pluriès, ſi opus ſit, per diem iteranda, à guttis duabus ad octo. Cautè tamen cum illo remedio mercari expedit; nec ad illud confugere licet niſi in caſu urgentiori. Minori diſcrimine extùs uſurpatur; non modò veluti ſepticum & exſiccans præſtantiſſimum; ſed etiam tanquàm detergens & cathæreticum eximium.

(15.) *Sal martis* Riverii eſt ſal quoddam vitriolicum particulis martialibus imprægnatum, quod ſimpliciſſimo proceſſu paratur: reponendo ſcilicèt per plures dies oleum vitrioli cum ſpiritu vini in ſartagine ferreâ; donec concreſcat prædictum ſal. Pro adſtringente & roborante egregio habetur; nec vi aperiente, rationibus ſuprà allatis, defraudatur. Ideò fauſtè uſurpatur in gonorrhœâ & fluore albo : confert in menſibus immodicis, aliiſque ſanguinis profluviis; cachexiæ & obſtructionibus medetur, &c. Præſcribitur à grano uno ad quatuor; raro ultrà, ne nauſeam moveat : additur juſculis, apozematibus, aliiſve poculentis congruis.

(16.) *Crocus martis adſtringens* paratur è limaturâ ferri, per plures horas igni reverberii commiſsâ; donec abeat in pulverem ruffum, pluriès abluendum & exſiccandum. Ignem ipſi vim adſtringentem impertiri creditur: nec aliâ ratione pluriès immergitur ferrum candens in aquâ, ut eamdem virtutem contrahat. Ideò crocus martis hâc arte elaboratus, conducere videtur in alvi fluxu & hæmorrhagiâ; vires convaleſcentium è graviore morbo refocillat; egregiamque opem confert in habitu œdematoſo. Datur in ſubſtantiâ à granis octo ad viginti.

(17.) *Crocus martis antimoniatus*, vel antimonium diaphoreticum martiale, Authore Stahl, ex ſcoriis reguli martialis antimonii depromitur; quæ in loco frigido repoſitæ in pulverem faceſſunt; è quo ſubtiliores moleculæ variis lotionibus auferuntur : quæ dein ſubſidentes, æthiopis mineralis inſtar, crocum, de quo in præſentiarum, ſuppeditant. Adſtringentium

ADSTRINGENTIA.

& aperientium claſſem ſubit hoc remedium, fluxui menſium immodico præſertim dicatum : eamdem vim obtinet ergà hæmorrhoïdes plus æquo fluentes & lochia copioſiora. Nec inutilem opem confert in ſuppreſſis menſtruis, ſufflaminatis hæmorrhoïdibus, &c. Coronidis loco addere licet alium confici *crocum martis ſtählianum ;* qui è quâdam martis tincturâ, juxtà proceſſum Authoris paratâ educitur : ſubſidentiâ etiam ſeparatur hic crocus, & exſiccatur ſervandus ad uſum : ſed planè inutilis cenſetur hæc martis præparatio ; cùm cæteris vulgatioribus minimè præſtet.

VULNERARIA ET RESOLVENTIA.

MERÈ commentitias eſſe vires vulnerariorum, quæ prodit hæc claſſis, nonnulli haud inferioris ſubſellii cogitarunt ; hiſce ducti rationibus, quòd vulnerum agglutinatio naturâ potiùs quàm arte promoveatur ; cùm apud omnes in confeſſo maneat, proſperum vulnerum & ulcerum exitum præcipuè pendere à ſanguinis & humorum craſi ; quâ vitiatâ, incaſsùm plerúmque tentatur hæc medela. Si tamen experientiæ familiariſſimæ ſit fides ; haud prorsùs inutilem opem conferre prædicta remedia conjicere licet : hinc nil impedit quominùs, inter illa exhibenda, veterum & recentiorum veſtigia premamus. Itaque laudantur vulneraria interna in hæmorrhagiâ pulmonum, ſtomachi, inteſtinorum, renum, veſicæ, &c. Proficua cenſentur adversùs ulcera tàm interna, quàm externa ; & graviora cujuſvis ſortis vulnera, quocumque modo inflicta. Aliam iiſdem remediis ineſſe vim, nempè reſolventem, vulgatiſſima fert opinio ; & ideò commendantur in contuſionibus, præſertim poſt caſum ab alto ; de quâ virtute, nonnulli etiam dubitant ; nùm jure ? viderint practici qui hæc medicamina quotidiè felici ſucceſſu adhibent ; non ſolùm ad delendum livorem, & reſolvendam phlogoſim ; ſed etiam ad præcavendam gangrænam partium contuſarum. Nullus tamen ibit inficias noxios contuſionum effectus, non ſecùs ac vulnera cujuſcumque ſortis, ſæpiùs ſolis naturæ viribus ſuperari : ſed in hiſce muniis adimplendis, conducere prædicta remedia credere par eſt : adeò ut illa non ſolùm citrà periculum ; ſed etiam fauſtè adhiberi poſſe crediderim. Licèt ſingula medicamina hancce claſſem ſubeuntia utrâque vi ; nempè vulnerariâ & reſolvente pollere videantur : haud tamen indiſcriminatim uſurpari debent ; quin potiùs plura occurrunt quæ ad alterutrum ſcopum magis congruunt ; de quâ re fuſiùs in commentariis ; ad quorum elucidationem nonnulla generalia præmittere lubet circà *balſama*, quæ principem ſanè locum merentur in hâcce claſſi. Hæc ſunt duplicis ſortis, naturalia nempè, & officinalia : prima audiunt ſucci quidam liquidi, vel concreti, reſinoſi & aromatici ; qui, vel ſpontè difffluunt, vel arte eliciuntur, è variis fruticibus & arboribus regionum utriuſ-

que Indiæ calidiorum : cæteris præſtant balſamum judaïcum, tolutanum, peruvianum, &c. Sed nonnulli affines ſucci occurrunt, qui licèt balſamorum titulo haud ſuperbiant, illis tamen minime cedunt; uti terebinthinæ, benzoinum, ſtyrax, elemi, &c. Alterius verò ſunt naturæ hæc peculiaria remedia compoſita, quæ balſamorum officinalium nomen ſibi vindicant; quæ ſcilicèt multùm inter ſe diſcrepant; non ſolùm ratione faciei; ſed etiam reſpectu virium : quædam enim ſpirituoſa, atque ſubſtantiis balſamicis & aromaticis referta, balſama naturalia quaſi æmulantur : id genus ſunt balſamum apoplecticum, & nervinum; balſamum Fioraventi, Commendatoris, &c. Aliorum compoſitionem ingrediuntur olea, axungiæ, ceræ, gummi, reſinæ, terebentinæ, &c. è quorum miſcellâ prodeunt potiùs unguenta, quàm balſama : hujuſce indolis ſunt balſamum Arcæi, Lucatelli, tranquillans, viride, &c. de quibus ſuo loco.

VULNERARIA.

EMPORETICA.

RADICES rubiæ tinctorum, ariſtolochiæ rotundæ, ſucciſæ, ulmariæ, ſymphyti, aquilegiæ, filipendulæ, caryophyllatæ, ſigilli Salomonis, biſtortæ & tormentillæ.

Folia hyperici (1), alchymillæ (2), piloſellæ, ſaniculæ (3), verbenæ, veronicæ, bugulæ (4), pyrolæ (5), hederæ terreſtris, cardui benedicti, burſæ paſtoris, pervincæ, brunellæ (6), coronopi, plantaginis, jacobeæ, millefolii (7), nummulariæ, pentaphylli, virgæ aureæ, geranii robertiani, ſcordii, chamædryos, abſinthii, centaurii minoris, herbæ vulnerariæ (8)..... Flores hyperici, virgæ aureæ..... Semen aquilegiæ, ſophiæ Chirurgorum.... Balſamum Judaïcum (9), Peruvianum (10), Tolutanum (11), Copaiba (12), & terebinthinæ.... Myrrha, gummi ammoniacum, bdellium, aſſa fœtida.... Lac, mel Narbonenſe.... Sanguis hirci præparatus, ſperma ceti, lapilli cancrorum... Aquæ Baregienſes, Bonenſes, Montis Aurei, Balneolenſes, Granenſes.... Borax, ferrum.

VULNERARIA.

OFFICINALIA.

Aqua hyſſopi.... Aqua picea, aqua calcis ſecunda.... Oleum è ſeminibus lini.... Balſamum Lucatelli, Fioraventi, Commendatoris... Theriaca, trochiſci Gordonii (13).... Globulus martialis.... Oleum juniperi (14), ſuccini, terebinthinæ.... Balſamum ſulphuris terebinthinatum.... Sal volatile cornu cervi.... Terra foliata tartari. Diaphoreticum minerale, antihecticum Poterii.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ *Herbarum vulnerariarum* drachmas duas. Superaffunde aquæ ferventis libras quatuor. Infunde per horam, & cola pro uſu.

℞ *Folior. ſaniculæ & peryincæ* ana manip. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *liquiritiæ* raſæ & contuſæ drachmas duas. Fiat ptiſana.

℞ *Rad. ſiccarum bryoniæ* ſemi-unciam. *Fol. veronicæ & hederæ terreſtris* ana manip. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde *liquiritiæ* ſolitam doſim.

HAUSTUS.

℞ *Vulnerariarum Helvetiarum* pugill. duos. Bulliant leviter in aquæ unciis duodecim. Colaturæ adde *ſacchari* q. ſ. Capiat inſtar the.

℞ *Vini albi* unc. tres. *Olei lini* unciam unam. *Olei terebinthinæ* gutt. ſex. *Spermatis ceti* ſcrupulum unum. *Lapillorum cancrorum fluviatilium* ſemi-drachmam. Miſce pro hauſtu; cui adde tantillum *ſacchari*. Præſtantiſſimus ad graviores contuſiones à caſu ab alto.

LOOCH.

℞ *Amygdalarum dulcium* uncias duas. *Spermatis ceti* drachmam unam. *Syrupi de althæâ* uncias duas. Miſce. Fiat looch.

APOZEMA.

℞ *Folior. agrimoniæ & alchymillæ* ana manip. unum. *Summit. hyperici* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. In colaturâ dilue *ſyrupi de hederâ terreſtri* unciam unam & ſemis. Fiat apozema pro uſu.

℞ *Rad. ſiccarum ariſtolochiæ* & *gentianæ* ana drachmas duas. *Fol. bugulæ* & *ſaniculæ* ana manip. unum. *Summitatum hyperici* manipulum ſemis. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde *ſyrupi de abſinthio* uncias duas. VULNERARIA.

℞ *Rad. ſiccarum rubiæ tinctorum* ſemi-unciam. *Folior. veronicæ & cerefolii* ana manip. ſemis. *Roſarum rubrarum* pug. unum. Coque in ſ. q. aquæ ad libras duas. Colaturæ adde *mellis roſati* unciam unam.

℞ *Rad. ſymphyti* unciam unam. *Rad. ſiccæ helenii* ſemi-unciam. *Fol. agrimoniæ, piloſellæ,* & *ſaniculæ* ana manip. ſemis. *Florum hyperici* & *roſarum rubrarum* ana pug. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde cuique doſi *balſami ſulphuris terebinthini*, vel *peruviani*, guttas quatuor.

JUSCULUM.

℞ *Radicum ſymphyti* ſemi-unciam. *Foliorum agrimoniæ* & *millefolii* ana manipulum ſemis. *Summitatum hyperici* pugillum unum. Fiat ex arte juſculum cum fruſto *carnis vitulinæ*. Colaturæ adde *balſami peruviani* guttas decem.

℞ *Pullum hordeo infarctum. Radicum recentis rubiæ tinctorum* ſemi-unciam. Coque per horam in aquæ q. ſ. Deinde adde *foliorum hederæ terreſtris* & *plantaginis* ana manipulum ſemis. *Summitatum virgæ aureæ* pugillum unum. Fiat ex arte juſculum. Cui adde *balſami Fioraventi* guttas duodecim.

PULVIS.

℞ *Spermatis ceti; boracis* ana drachmas duas. *Salis volatilis cornu cervi* drachmam unam. Miſce. Fiat pulvis. Doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam.

Rad. caryophyllatæ drachmas tres. *Terræ ſigillatæ* drachmas duas. *Camphoræ* granum unum. Miſce pro pulvere. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos. Pluriès iteranda.

℞ *Rad. rubiæ tinctorum; lapillorum cancrorum fluviatilium* ana drachmam unam. *Spermatis ceti* ſemi-drachmam. *Salis volatilis cornu cervi* ſcrupulum ſemis. Miſce. Fiat pulvis pro tribus doſibus.

BOLUS.

℞ *Balſami Peruviani*; vel *Copahu*, ſcrupulum ſemis. Fiat bolus cum tantillo *ſacchari*.

℞ *Terebinthinæ venetæ* in ovi vitello ſolutæ à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam. Cum *pulpâ caſſiæ*, vel pulvere glycyrrhizæ, fiat bolus.

℞ *Sanguinis hirci præparati* grana quindecim. *Lapillorum cancrorum; ſpermatis ceti* ana grana decem. Miſce. Fiat bolus cum *extracto rhabarbari*.

VULNERARIA.

℞ *Spermatis ceti* ſcrupulum unum. *Salis volatilis cornu cervi* grana quatuor. *Balſami Peruviani* guttas ſex. *Theriacæ* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de papav. albo.*

OPIATA.

℞ *Medullæ caſſiæ* unciam unam. *Lapillorum cancrorum; rhabarbari* ana drachmas tres. *Diaphoretici mineralis* drachmas duas. *Succi præparati; balſami Judaïci ſicci* ana drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis ſiccis.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Terebinthinæ venetæ* ſemi-unciam. *Spermatis ceti* drachmas duas. *Terræ foliatæ tartari* drachmam unam. *Salis volatilis cornu cervi* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat opiata cum diacodio. Doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam.

COMMENTARIA.

(1.) HYPERICUM vulgare, C. B. pin. (*Mille-pertuis*).

Inter inſigniora vulneraria celebrantur hujuſce plantæ ſummitates floridæ : nec aliis deſtituuntur viribus ; quin potiùs ſedantium & antiſpaſmodicorum claſſem ſubeunt ; atque in aperientium, & diureticorum ordine recipiuntur. Ideò valent in exulcerationibus internis: conducunt in hæmoptyſi & mictu cruento : hyſtericis & hypochondriacis opitulantur : menſes & urinas movent, &c. Earum doſis ad manipulum unum accedit pro ſingulis decocti, vel infuſi libris ex aquâ vel vino. Hyperici latior eſt uſus externus. Non ſolùm tanquàm vulnerarium & reſolvens præſtantiſſimum laudatur ; ſed etiam pro roborante eximio habetur : quo circà fauſtè admoventur vulneribus & contuſionibus : enemata detergentia ingreditur : dolores arthriticos & rheumaticos demulcet : in tremore & membrorum debilitate laudem obtinet, &c. Proſtat in officinis oleum hyperici, de quo alibi.

(2.) *Alchymilla* vulgaris, C. B. pin. (*Pied de lion*).

Principem locum tenet hæc planta in traumaticorum adſtringentium ordine. Deprædicatur in omnibus ſanguinis profluviis & præcipuè ſub hæmorrhagiâ uteri ; laudatur in phthiſi, dyſenteriâ, fluore albo, &c. præſcribi ſolet ad manipulum ſemis pro quâque librâ decocti vel infuſi ; aut datur, rariùs verò, in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Extùs admota ſub quâlibet formâ iiſdem proprietatibus gaudet.

(3.) *Sanicula* officinarum, C. B. pin. (*Sanicle*).

Inter vulneraria & conſtringentia celebratur ; & ideò prodeſt in exulceratione internarum partium ; atque ſummam laudem meretur in ſputo cruento, cæteriſque hæmorrhagiis. Doſis à manip. ſemiſſe ad man. unum,

in infuſo pro ſingulis aquæ libris. Crebrò extùs uſurpatur tanquàm roborans; & ſub hoc conſpectu, hernioſis ſuccurrit.

VULNERARIA.

(4.) *Bugula* Dod. Conſolida media pratenſis cœrulea, C. B. pin. (*Bugle*).

Pro eximio vulnerario & reſolvente habetur hæc herba vulgatiſſima. Ideò fauſtè exhibetur in exulcerationibus internis, vel ipſiuſmet pulmonis: nonnullis aſthmaticis præſto eſt: nec minùs prodeſt ab alto devolutis. In infuſo vel decocto adhibetur ad manip. unum pro ſingulis aquæ libris; vel ſuccus propinatur ab unciis duabus ad quatuor. Inſuper lotiones & injectiones vulnerarias & detergentes; nec non gargariſmata ejuſdem ſortis ingreditur.

(5.) *Pyrola* rotundifolia major, C. B. pin. (*Pyrole*).

In vulnerariorum, adſtringentiumque claſſi admittitur hæc planta montana, & non ſecùs ac priùs traditæ, intùs & extùs, ſimili methodo adhibetur. Doſis in infuſo à manip. ſemiſſe ad manip. unum pro quâque librâ aquæ.

(6.) *Brunella* major folio non diſſecto, C. B. pin. (*Brunelle*).

Vix in uſum internum cedit hæc planta vulgatiſſima & pratenſis; licet ipſi haud denegetur locus in tractu vulnerariorum & adſtringentium. A quibuſdam tamen laudatur in dyſenteriâ: nec deſunt qui illam ſummè deprædicent in fluore albo. Folia & flores præſcribi poſſunt in decocto vel infuſo ad manip. unum pro ſingulis aquæ libris. Crebriùs extùs uſurpatur; præſertim in collutionibus anginoſis & ſcorbuticis; atque in injectionibus & enematibus detergentibus.

(7.) *Millefolium* vulgare album (& purpureum), C. B. pin. (*Millefeuille*).

Folia & flores ſapore ſubacri & amaricante, odorem quaſi balſamico-camphoratum ſpirant. Haud inferiorem gradum occupant in ordine vulnerariorum: nec vi detergente & adſtringente defraudantur: cæteris mitiùs & placidiùs actionem ſuam exerere videntur; cur ſit ut in ulceribus pulmonum tutiùs adhiberi queant. Inſuper hæmorrhagiam cohibent: alvi fluxui & dyſenteriæ medentur: ipſis demùm ineſt quædam vis ſedans & antiſpaſmodica: cur ſit ut hypochondriacis & hyſtericis auxilio ſint. A manip. ſemiſſe ad man. unum præcipiuntur pro ſingulis decocti vel infuſi libris. Cæterùm folia inter vulneraria & adſtringentia externa numerantur: reſolventium & anodynorum claſſem ſubeunt; cur ſit ut horum ope ſanentur vulnera recentia, & ſiſtantur hæmorrhagiæ: ſub eodem conſpectu enemata antidyſenterica ingrediuntur; mammis tumentibus admoventur; hæmorrhoïdes furentes cicurant. Prætereà ad otalgiam & dolorem dentium contuſa intruduntur in aures; & plures huicce præſidio, aliàs innocuo, confidentes fauſto beant eventu.

(8.) *Herbæ vulnerariæ* (*Vulnéraires de Suiſſe*), exhibent miſcellam variarum ſtirpium in montibus Helvetiis, Genevenſibus, & Arvernis, collectarum. Nonniſi fractæ & quaſi tritæ nobis afferuntur: quod tamen non

VULNERARIA.

impedit quominùs eniteſcant verbena, veronica, agrimonia, hiſpidula; pyrola, hypericum, herbæ capillares, piloſella, bugula, ſanicula, & aliæ ejuſdem indolis; inter quas tamen nonnulla conſpiciuntur fragmenta aliarum plantarum, quæ incolarum fraude vel incuriâ in hancce farraginem ſubrepſerunt. Hæc tamen, quæcumque venalis próſtat, farrago, inter uſitatiora vulneraria interna recenſetur; ideò laudem meretur in contuſionibus; conducit in exulcerationibus internis; imò & phthiſicis prodeſt; nec exiguam opem confert aſthmaticis. Inſtar the cum melle & ſaccharo adhibetur, & nonnullorum palato arridet hæc ſorbitio.

(9.) *Balſamum judaïcum*, vel opobalſamum, (*Baume de la Méque* ou *de Judée*), eſt ſuccus reſinoſus flaveſcens, ſapore & odore ad citrei corticem accedens; è frutice cognomine, cui ineſt lentiſci facies, teſtibus *Alpino* & *Bellonio*, ſponte fluit. Ex eâdem ſtirpe excerpuntur fruſtula lignea & fructus, quæ ſub nomine xyli & carpobalſami, in officinis proſtant. Balſamum Judaïcum, pro uſu interno, inter vulneraria & detergentia præſtantiora celebratur: analepticorum & alexiteriorum claſſem ſubit; & in aperientium ordine recipitur. Recens egregiè ſe gerit in ulcere pulmonum, renum & veſicæ: debilioribus prætereà ſuccurrit: veneno adverſatur: valet in febribus mali moris: obſtructiones reſerat: aſthmaticis opitulatur: & menſes promovet: ſed ſcire expedit quòd præclaris hiſce viribus orbetur annoſum. Intùs exhibetur à guttis decem ad viginti, ex ovi vitello, juſculo, ſyrupo, &c. vel boli, aut pilularum formâ præſcribitur. Per tranſennam notare juvat, balſama naturalia cum hauſtu aqueo nuſquàm miſceri, ni priùs diſſolvantur in ovi vitello; vel cum ſaccharo ſubigantur. Fumus opobalſami tubulo exceptus phthiſicis nonnihil prodeſt; ad quod opus hoc impregnantur tuſſilaginis vel betonicæ folia, nicotianæ inſtar, minutim conciſa. In alium uſum externum vix venit; cùm rariſſimum ſit, & nonniſi majori pretio comparetur; cur fit ut terebinthinâ, benzoino, ſtyrace, aliiſve mangoniis, ſæpiſſimè adulteretur: peculiaribus tamen notis diſtingui poteſt ſincerum opobalſamum ab adulterato: vehementiorem ſcilicet odorem ſpargit; & quo magis recens eſt acutiorem & gratiſſimum: ſaporem habet amaricantem, ſubacrem, cum nonnullâ adſtrictione: prætereà aquæ inſtillatum, tametſi parva ſit gutta, ſuprà totam aquæ ſuperficiem expanditur: in laneam veſtem poſtremò fuſum, eam non ſicut oleum inficit; etſi ei adhæret.

(10.) *Balſamum Peruvianum* (*Baume du Pérou*), triplex venale proſtat; nempè fuſcum, album, & ſiccum. Primum uſitatius, & ſæpiſſimè adulteratum, ratione conſiſtentiæ, terebinthinam æmulatur; & igni admotum fumum gratiſſimum præbet: coctione educitur è ramis & foliis arboris cujuſdam Americani, de quo Piso & Marcgravius. Album, vel ſtyrax alba, ejuſdem conſiſtentiæ haud ingratum odorem ſpirat; & ex eâdem, uti fertur, arbore, inciſo ſtipite, extrahitur. Siccum verò eſt reſina firma, ruffeſcens & pellucida, quæ fortè ex eâdem arbore prodit; & putamine majorum nucum, vel fructuum, coccos dictorum, reconditur.

ditur. Hæc triplicis ſortis balſama peruviana, iiſdem viribus pollere videntur; atque inter vulneraria & antiputrida exquiſitiora recenſentur: in roborantium & alexiteriorum ordine admittuntur: diaphoreticorum & diureticorum ſeriem ſubeunt. Doſis liquidorum à guttis octo ad viginti; ſiccum verò à granis quatuor ad duodecim, in liquore ſpirituoſo ſolutum, vel boli formâ præſcribitur. Alterutra extùs uſurpantur ad detergenda & agglutinanda vulnera: commendantur, uti oleum terebinthinæ, in puncturâ tendinum & nervorum, tumores contumaces reſolvunt, & partibus paralyticis auxilio ſunt. In ſpiritu vini ſolvuntur, vel miſcentur cum melle, linimentis, unguentis & emplaſtris. VVLNERARIA.

(11.) *Balſamum Tolutanum* (*Baume de Tolu*), ſic dictum ab urbe americanâ circà quam colligitur, eſt terebinthina tenax, vel glutinoſa, coloris ex pallido ad aureum tendentis, ſaporis ſubdulcis & aromatici, odoris ſuavis, quæ ſponte vel poſt factam inciſionem diffluit è quâdam pini pumilæ ſpecie; ac vetuſtate indureſcit. Raritate & præſtantiâ ad judaïcum accedit; iiſdem proprietatibus gaudet; ac ſimili methodo uſurpatur. Summè deprædicatur ad vulnera externa; atque dolores rheumaticos & iſchiadicos compeſcit: in ſpiritu vini diſſolvitur, ut pars affecta cum frictu illinatur.

(12.) *Balſamum Copaiba* vel *Braſilienſe* (*Baume de Copahu*), indole & colore proximè ad terebinthinam accedens, limpidum nempè, pallidi coloris, ſaporis acriuſculi & amaricantis, odoris terebinthinacei, ſed gratioris, ni, uti fertur, ipsâmet terebinthinâ adulteretur, diffluit è quâdam arbore Braſilienſi, de quo Piso & Marcgravius. Reſpectu virium tùm internarum, tùm externarum, vix ſuperioribus cedit; ſed peculiariter dicatur gonorrhϾ & fluori albo. Doſis à guttis decem ad viginti: ſumitur ex ovi vitello, juſculo, vino, lacte, &c. aut ſub formâ boli cum ſaccharo & pulvere liquiritiæ. Pro uſu externo, cæteris crebriùs uſurpatur, tanquàm vulnerarium, reſolvens & tonicum: ideò vulnera ſingularum partium, & præſertim nervorum ſanat; dolores rheumaticos compeſcit & debiliora membra poſt luxationem & fracturam roborat. Immiſcetur cum axungiâ humanâ ad partes paralyticas reſtituendas. Aliud eſt balſamum quod vocant *canadenſe*, de quo ſub diureticorum claſſi. De aliis verò balſamis, quæ magis ad hiſtoriam naturalem quàm ad materiam medicam pertinent, nil addimus. Subticendum non eſt quòd uſus balſamorum, cujuſcumque indolis, internus pro inauſpicato habeatur; ubi viget febris; vel levis phlogoſeos internæ adeſt ſuſpicio.

(13.) *Trochiſci Gordoni* è detergentibus, adſtringentibus & exſiccantibus conflantur; quibus prædominium obtinent demulcentia. Diù ſervari nequeunt ob amygdalas & ſemina frigida quæ facillimè rancorem contrahunt. Inter vulneraria demulcentia numerantur; ac ulceribus præſertim renum & veſicæ dicantur: ſed raro à noſtratibus uſurpantur. Intùs præſcribuntur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam; vel injectiones detergentes ingrediuntur.

VULNERARIA.

(14.) *Oleum juniperi*, æthereum ſupernatat ſpiritum ſolitâ diſtillatione è ligno juniperi eductum. Pro vulnerario detergente eximio habetur & præcipuè commendatur in exulcerationibus renum, veſicæ & uteri. Doſis à guttis duabus ad quatuor, in hauſtu congruo, vel boli formâ. Aliud proſtat oleum juniperi, in Gallo-Provinciâ, aliiſque regionibus meridionalibus notiſſimum, ſub nomine *Oli de Cade*, de quo GARIDELLUS.

SECTIO II.

DE MEDICAMENTIS, NONNULLIS PARTIBUS DICATIS, vel in eas actionem ſuam exerentibus.

EMETICA.

Vix diſcrepant hæc medicamina à catharticis, quorum effectus ſæpiùs æmulantur, ne leviſſimâ quidem excitatâ nauſeâ; dùm purgantia haud rarò vomitum inexpectatum movent Opportunè exhibentur *vomitoria*, quibus adſcribitur hæc claſſis, ubi ſtomachus ab ingeſtorum copiâ gravatur; ſi ſaburra cujuſcumque ſortis niduletur in primis viis, & poſt aſſumpta venena, conducunt ineuntibus febribus malignis & putridis, variolis, peripneumoniâ; aliiſque morbis herculeis; præcipuam opem conferunt inter curandas febres intermittentes & remittentes, quæ nonnunquàm hoc ſolo præſidio fugantur: multis demùm laudibus efferuntur ſub proſtrato appetitu, alvi fluxu & dyſenteriâ; in cachexiâ, ictero, vertigine, dolore capitis, &c. Præter evacuationem quam promovet emeticum, alios effectus exerit; & hinc in varium ſcopum præcipitur; ad concutiendum ſcilicèt corpus in affectibus ſoporoſis; vel ad reſtituenda organa, atoniâ, vel ſtupore correpta; ut foràs deturbentur fœtus mortuus, & ſecundinæ retentæ; ut reſerentur obſtructi renes in urgentiori inſultu nephritico; reſtituatur reſpiratio in anginâ atrociſſimâ; compeſcatur ſingultus pertinacior, &c. Poſtremò nonnunquàm evenit inter vomendum, ut diſrumpatur abſceſſus pectoris: adeò ut pus pleno gurgite per tracheam ad os irruat, cum maximo ægrotantium levamine: periculoſa tamen hæc cenſeri debet periclitatio ob metum ſuffocationis, quâ plures è vivis fuiſſe ſublatos tradiderunt practici. Emetica exulare debent in hæmoptyſi, cæteriſque hæmorrhagiis; non ſecùs ac in imi ventris inflammatione: hæc caveant plethorici; & febre ardente correpti: periculoſa exiſtimantur ſub affectibus ſpaſmodicis: minime congruunt aneuriſmate laborantibus, aſthmaticis, phthiſicis & debilioribus; cautè cum hocce remedio mercari debent mulieres gravidæ; vel quibus imminent catamenia, ſub quo poſtremo caſu, ipecacuanham duntaxat, cogente neceſſitate, præſcribere licet. Vetantur herniofis, iracundis, &c.

Plura exhibet hæc claſſis quæ nuſquàm ferè in uſum veniunt; illa tamen noſſe expedit ut in caſu urgentiori, deficientibus uſitatioribus, ad ea confugere liceat: nec tamen omnia, quæ vomitum movere valent, recenſemus; cùm neminem fugiat ſtomachum, præſertim nauſeantium, ſæpiùs ſubverti

EMETICA.

ab aquâ tepidâ, juſculo pingui, hydromelle, aut quovis poculento palato ingrato; à pharyngis titillatione ope digiti, vel pennæ, oleo illitæ, à motu maris æſtuoſi, &c. Ubi vomitus à quâcumque causâ ortus ſuprà modum protelatur, acidis mineralibus, ſpiritu nempè ſulphuris, vel vitrioli, compeſcitur. Illud notare expedit plures in eâ fuiſſe opinione, quòd acida, econtrà, vegetabilia emeticorum antimonialium vires acuant; imò & hanc proprietatem impertiantur diaphoretico minerali, aliiiſque ex ſtibio depromptis & ad alios uſus comparatis; quod tamen à nonnullis prioris ſubſellii planè negatur. Nemo demùm neſcit vomitum ſedari hypnoticis, cremore tartari, abſorbentibus, ſucco limonum fermentato, aquâ pulli, vino calido cum ſaccharo & cinnanomo, theriacâ, diaſcordio, &c. Inſuper ſolus odor aceti, vel mali citrei hæc munia ſæpiùs præſtare valet: quod ſanè quidem arguere videtur acida vegetabilia, hiſce muniis adimplendis haud minùs apta fore quàm acida mineralia: hinc minime mirum ſi utraque *antiemeticorum* claſſem ſubeant.

EMPORETICA.

RADICES ſcillæ, bryoniæ, aſari (1), cyclaminis, hellebori nigri (2). Ipecacuanha (3).... Folia gratiolæ, nicotianæ.... Turiones ſambuci.... Flores ebuli, perſicorum.... Semina cataputiæ, erucæ, raphani, cepæ... Cortex ebuli, ſambuci.... Oleum olivarum, butyrum.... Antimonium, vitriolum album.

OFFICINALIA.

OLEUM amygdalarum dulcium.... Oxymel ſcilliticum.... Syrupus Glauberi (4), de rhamno cathartico.... vinum emeticum (5).... Extractum hellebori.... Tartarus ſtibiatus (6), kermes minerale (7).... Turpethum minerale, pulvis algaroth (8).... Hepar antimonii (9), crocus metallorum (10), vitrum antimonii (11).... Regulus antimonii, quo conficiuntur pilulæ & pocula uſûs perennis.

Emetica.

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ Tartari *ſtibiati* à granis quatuor ad ſex. Diſſolve in aquæ tepidæ librâ unâ. Fiat aqua ſemi-cyathim exhibenda per duas horas & ultrà; vel donec effectum ſuum exerat.

DECOCTUM.

℞ *Theæ* ſemi-unciam. Leviter coque per horæ quadrantem in aquæ librâ unâ & ſemis. Fiat decoctum cyathim exhibendum ſingulis quadrantibus.

HAUSTUS.

℞ *Aquæ tepidæ* uncias ſex. *Olei olivarum*, vel *amygdalarum dulcium* aut *butyri* uncias duas. Miſce. Fiat hydroleum. Vomitorium mitiſſimum, ad venena corroſiva, &c. capiat uno hauſtu. Irritis nauſeis, digiti oleo illiti in fauces immittuntur.

℞ *Aquæ cichorii* uncias quatuor. Diſſolve *tartari ſtibiati* grana tria. Pro hauſtu.

℞ *Vini emetici* ab unciâ unâ, ad unciam unam & ſemis. Dilue in aquæ unciis duabus, pro hauſtu. Solum etiam propinare licet.

℞ *Syrupi Glauberi* guttas viginti. Dilue in aquæ aut vini unciis duab. pro hauſtu.

℞ *Vini emetici* unciam unam & ſemis. *Oxymellis ſcillitici* unciam unam. Miſce. Fiat hauſtus pro affectibus ſoporoſis.

℞ *Tincturæ ſennæ* uncias ſex. *Tartari ſtibiati* grana tria. *Syrupi florum perſicorum* unciam unam. Miſce pro hauſtu.

℞ *Sennæ* drachmas duas. *Rhei* contuſi; *tartari ſolubilis* ana drachmam unam. Coque in aquæ unciis octo. In colaturâ diſſolve *mannæ calabrinæ* uncias duas. Adde *kermes mineralis* grana duo. Fiat hauſtus.

℞ *Mannæ electæ* unciam unam & ſemis. Diſſolve in *tincturæ ſennæ* unciis ſex. Adde *vini emetici* unciam unam. Pro hauſtu.

℞ *Foliorum orientalium* drachmas duas. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum. *Summitatum centaurii minoris* pug. unum. Coque in aquæ unciis octo. In expreſſione diſſolve *mannæ* unciam unam & ſemis. Adde pulveris *ipecacuanhæ* grana quindecim. Miſce. Fiat hauſtus. Ad febrem intermittentem, & alvi fluxum.

℞ *Tartari ſtibiati* grana tria. Diſſolve in *aquæ ſcabioſæ* unciis ſex. Dilue *confectionis alkermes* drachmam unam; vel adde *lilii Paracelſi* guttas duodecim. Pro debilibus.

POTIO.

EMETICA.

℞ *Oxymellis ſcillitici* & *olei amygdalarum dulcium* ana uncias tres. Miſce, & cochleatim ſumatur, ad debitam evacuationem.

℞ *Mannæ calabrinæ* uncias duas. Diſſolve in *aquæ liliorum* unciis octo. Adde *tartari ſtibiati* grana duo; vel *ſyrupi Glauberi* guttas duodecim. Miſce. Fiat potio pro duplici doſi.

℞ *Terræ foliatæ tartari* drachmas duas. *Tartari emetici* grana quatuor. Diſſolve in *tincturæ ſennæ* unciis octo. Pro duabus doſibus.

PULVIS.

℞ *Ipecacuanhæ* à granis viginti ad triginta. *Nitri purificati* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat pulvis è juſculo exhibendus.

℞ *Tartari emetici* grana tria. *Tartari vitriolati* grana duodecim. Miſce. Fiat pulvis pro doſi.

℞ *Rhei* grana decem. *Tartari ſtibiati* grana duo. *Salis tartari* grana ſex. Miſce.

℞ *Tartari emetici* grana duo. *Lapillorum cancrorum* grana decem. *Nitri purificati* grana quatuor. Miſce.

℞ *Ipecacuanhæ* ſcrupulum unum. *Salis tartari* ſcrup. ſemis. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Radicis Braſilienſis* grana quindecim. *Tartari ſtibiati* granum unum. Miſce.

℞ *Ipecacuanhæ* grana viginti. *Tartari emetici* granum unum. *Tartari vitriolati* grana ſex. Miſce.

BOLUS.

℞ *Kermes mineralis* grana quatuor. *Spermatis ceti* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *oleo amygdalarum dulcium.*

℞ *Tartari ſtibiati* grana duo. *Diacrydii* grana ſex. Miſce. Fiat bolus. cum *catholico*; vel *extracto juniperi.*

℞ *Mercurii vitæ* à granis duobus, ad ſex. *Tartari vitriolati* ſcrupulum ſemis. Miſce. Fiat bolus cum *confectione alkermes*, in urgentiori caſu exhibendus, non ſecùs ac ſequens.

℞ *Pulveris Algaroth* grana quatuor. *Diacrydii* grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *confectione Hamec.*

Emetica.

COMMENTARIA.

(1.) Asarum, J. B. (*Cabaret* ou *Oreille d'homme*).

Radix ſicca & aromatica hujuſce plantæ vomitum & ſedes movet, ſi ſub formâ pulveris ſubtiliſſimi, vel infuſi & decocti vinoſi exhibeatur. Ubi verò in aquâ coquitur aliam virtutem obtinet; aperientem nempè & diureticam; ſub quo conſpectu, conducit in cachexiâ, chloroſi & hydrope. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam; & ad duplum in infuſo vel decocto. Cæterùm à pluribus decantatur aſarum adversùs febres intermittentes; vel ipſammet quartanam; in quem ſcopum infunditur hujuſce radicis ſemi-uncia in vini albi librâ unâ, partitis vicibus per diem exhibendâ. Folia ejuſdem plantæ, in pulverem redacta, ſternutationem promovent; & fauſtè uſurpari queunt in omnibus affectibus qui errhina expoſtulant. Raro tamen in uſum venit aſarum, cùm innumera alia proſtent remedia tutiora & vulgatiora quæ iiſdem proprietatibus gaudent.

(2.) *Helleborus niger* vulgaris flore viridi, C. B. pin. (*Ellébore noir*).
Helleborus niger flore roſeo, C. B. pin.

Utriuſque radix perperàm habetur pro helleboro legitimo Hippocratis qui dicitur à Turnefortio, Helleborus orientalis ampliſſimo folio, caule præalto, flore purpuraſcente. Alius ſubrepſit error in officinis; & in eo verſatur ut radices quæ pro helleboro veneunt ad aliud plantæ genus, Chriſtophorianam nempè, referri debeant: circà quæ vide Acta Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1739. Hinc patet quantùm à veri tramite recedant qui illum helleborum ſpurium pro vero exhibent. Nec tamen viribus deſtituitur Chriſtophorianæ radix, quam admittere licet in emeticorum & catharticorum numero; & à granis duodecim ad ſemi-drachmam in ſubſtantiâ, & ad duplum in decocto exhibetur. Extractum verò quod ex illâ parari ſolet à granis octo ad ſcrupulum unum præſcribitur: ſed parvi habetur apud noſtrates commentitius hic helleborus; & vix in uſum cedit; nec pluris æſtimatur à peritis legitimus, iiſdem fermè viribus inſtructus; cùm poſt varia & infauſta experimenta hunc planè inutilem vel noxium declararunt. Prǽterquàm quòd innumera emetico-cathartica tutiora & magis comprobata occurrant. Hæc ſunt quæ per tranſennam dicenda habebamus de plantâ ad maniam olim celebratiſſimâ, quam è remediorum albo expungere licet.

(3.) *Ipecacuanha* vel *Radix Braſilienſis*, quam ad tithymalorum genus refert Gronovius; triplex reperitur in officinis, cinerea nempè, fuſca & alba: nùm ex eâdem plantâ, prodeant hæ ſingulæ radices, viderint botanici, hactenùs de hâc diſſentientes. Præſtantior & uſitatior eſt cinerea, tortuoſa & quaſi annulatim corrugata, ſapore acri, ſubamaro & ingrato. Non

EMETICA.

ſolùm è Braſiliâ, ſed etiam à Peruviâ, aliiſque regionibus Americæ meridionalis ad nos affertur. Ad cineream proximè accedit fuſca: quæ vix ab illâ ratione virium diſcrepat. Utraque inter mitiora emetica celebratur, & infantibus tutò exhibetur, cujus vires intendunt nitrum, ſalia neutra, antimonium diaphoreticum, &c. alvum reſerat & dein comprimit: ſpecificum quaſi audit remedium in dyſenteriâ; variiſque etiam alvi profluviis medetur; præcipuè ſi teneſmo ſtipentur. De virtute alexiteriâ, quæ ipſi à nonnullis traditur, dubitare licet. Pulvis præſcribitur in juſculo vel vino dilutus, vel ſub boli formâ à granis duodecim ad triginta: in infuſo verò vinoſo vel aquoſo à drachmâ unâ ad duas. Si ſumatur minori doſi, infrà ſcilicèt grana decem, remedium eſt alterans; & eâ mente ſæpiùs exhibetur, ſub variis alvi profluviis, à granis quatuor ad octo; & pluriès repetitur. Minime tamen reticendum hanc refractam doſim nonnunquàm vomitum ciere; rectè notante clariſſ. GEOFFROY. In infantibus verò à granis duobus ad decem & ultrà, ratione ætatis præſcribitur. Notare juvat haud plus conterendum eſſe quàm uſus præſens expoſtulat; cùm aër ſubiens prædictum pulverem, emeticam vim infringat.

(4.) *Syrupus* GLAUBERI, vix notus extrà Galliam Narbonenſem, nil aliud eſt quàm tinctura vel extractum florum antimonialium, cum ſaccharo edulcata. Blandè vomitum movet & apprimè congruit delicatulis & debilioribus; necnon infantibus. Pro adultis præſcribitur à guttis quindecim ad triginta, ex aquâ vel vino; aut ſtimuli loco additur potionibus catharticis à guttis octo ad quindecim. Doſis verò infantum, habitâ ratione ætatis, à guttis quatuor ad duodecim. Alter paratur ſyrupus emeticus ex infuſione vitri antimonii in ſucco limonum, vel cydoniorum: atque etiam in vino; addito ſaccharo; qui ſimili ratione uſurpatur, ſed majori doſi; nimirùm à drachmis duabus ad unciam unam & ultrà.

(5.) *Vinum emeticum* multiplici modo paratur; ſed uſitatius nihil aliud eſt quàm infuſio croci metallorum, per plures dies in vino albo. Eximium audit emetico-catharticum à ſemi-unciâ ad unciam unam; imò & ultrà in urgentiori caſu. Nonnulli ad hoc opus adhibent vitrum antimonii; alii hepar: nec minùs diſſentiunt circà proportiones; cur fit ut in componendâ doſi hæreant exercitatiores clinici: etenim in nonnullis officinis haud ultrà drachmam unam accedit; in aliis verò ad ſemi-unciam; unciam unam; uncias duas, uſque ad tres præcipi debet: quod ſedulò animadvertere debent practici. Sunt quibus conſultiùs viſum fuit tartarum ſtibiatum in vino præſcribere; & vinum officinale pro uſu interno planè abjicere. Quoad externum; vinum emeticum turbidum ab unciis duabus ad tres ingreditur enemata ſtimulantia, quæ reſpiciunt apoplexiam, affectus comatoſos, &c. vel collyrii detergentis inſtar uſurpatur ad corneæ maculas & ſugillationes delendas; ad exſiccanda palpebrarum ulcera, &c.

(6.) *Tartarus ſtibiatus*, (*Tartre emétique*), conficitur è vitro & hepate antimonii, immiſſis aquæ cum cremore tartari in quâ bulliunt per duodecim horas;

horas; tùm trajicitur liquor & evaporationi traditur. Nonnulli, loco hepatis, adhibent crocum metallorum. Tartarus ſtibiatus, ob cremorem tartari ægrè ſolvitur in liquidis frigidis; ſed in ſubtiliſſimum pulverem redactus cum aquâ facilè miſcetur. Hoc vomitorium familiariſſimi usûs à grano uno ad quatuor præſcribitur in aquæ unciis circiter ſex pro hauſtu, vel ſub formâ boli, aut pilularum : ſed magis arridet potio quæ paratur diſſolvendo prædictum tartarum, à granis quatuor ad ſex, in aquæ tepidæ libram unam; intrà bihorium cochleatim exhibendam; vel donec ſolitum effectum exeruerit, aut ſaburram bilioſam expulerit; quo notato, haud ulteriùs propinatur. Si à grano uno ad duo catharticis, præſertim ſalinis, ſocietur, ſtimuli vices tantummodò gerere ſolet ergà alvum; ni tamen æger ad vomitum ſit proclivis. Caſſia demùm vires tartari emeticas, uti neminem practicum latet, infringit. Illud ſilentio premere minime debemus variam eſſe methodum parandi tartarum ſtibiatum, pro ſcilicèt cujuſque Pharmacopolæ mente & arbitrio : hinc ſequitur diverſam, extrà Lutetiam, eſſe doſim; quod poſthabere haud citrà piaculum licet.

EMETICA.

(7.) *Kermes minerale* (*Poudre des Chartreux*), eſt quidam crocus ſulphureus qui conficitur coctione antimonii crudi, & nitri fixi, in aquâ; quæ hiſce materiebus imprægnata quieti traditur, ut ſubſideat pulvis croceus, pluribus lotionibus ab omni ſale ſpoliandus; ac ſuperaffuſi ſpiritûs vini conflagratione iterùm edulcandus. Emetico-catharticorum claſſem ſubit, ſi exhibeatur à granis duobus ad quatuor in juſculo, formâ boli, &c. aliis catharticis, haud inconſultò, etiam ſociatur. Si refractâ doſi, ad dimidium ſcilicèt, vel quartam grani partem præſcribatur; vires inſtaurat; diaphoreſim movet; expectorationem juvat; urinam ciet : obvium fit hanc minimam doſim, cui additur tantillum ſacchari ne tactum fugiat, pluriès per diem iterari; nempè quater, ſexiès, &c. Quâ methodo ſub urgente morbo, grana ſex, octo, & ultrà, intrà nychthemeron abſumi poſſunt; felici plerúmque ſucceſſu, dummodò haud morbosâ rigiditate corripiantur organa. Prodeſt hoc remedium, inter præſtantiora recenſendum, ſi ſolerti manu tractetur; præmiſſis præmittendis, in inflammatione, vel quovis alio pulmonum infarctu; imò & in catarrho ſuffocante : valet in variolis & in febribus mali moris : conducit in hâc cachecticorum ſpirandi difficultate, quæ hydropis pectoris ſuſpicionem movet : ſed diù in hoc caſu protelari debet ejus uſus, cum cautelâ tamen, ne alvus plus æquo ſolvatur. Poſtremò inter aperientia & incidentia numeratur; ideò laudatur in chloroſi, cachexiâ & leucophlegmatiâ : nec inutilem opem præſtat in febre quartanâ, aliiſque pertinacioribus intermittentibus.

(8.) *Pulvis Algaroth*, ſive *Mercurius vitæ* ſubſidet è diſſolutione aqueâ butyri antimonii, ſub formâ pulveris albi, qui pluribus lotionibus ſubmittitur. Emeticum audit validiſſimum, quod nuſquàm, niſi ſub caſu urgentiori, in uſum trahi debet : dùm ſcilicèt ſtomachus cæteris emeticis obſurdeſcit; hujuſce præſtantiſſimi remedii beneficio plures ad

Emetica.

interitum vergentes, incolumes evaſerunt. Datur à granis duobus ad ſex in juſculo, aliove hauſtu; vel ſub formâ boli, ne palato & faucibus hæreat. Sunt qui eâdem mente hunc pulverem cum duplo diacrydii miſcent, haud infelici ſucceſſu.

(9.) *Hepar antimonii* exſurgit à miſcellâ antimonii crudi & nitri, ope detonationis ab injectis prunis candentibus paratæ. Pro emetico habetur; cujus doſis à granis duobus ad ſex: ſed vix in uſum cedit, ni ad confectionem tartari ſtibiati.

(10.) *Crocus metallorum* nil aliud eſt quàm pulvis tenuiſſimus prædicti hepatis, qui variis lotionibus ſubjicitur; donec inſipidus evadat: vomitum ciere fertur à granis duobus ad ſex. Sed nuſquàm, ni fallor, apud Noſtrates uſurpatur, niſi ad vini aut tartari emetici præparationem.

(11.) *Vitrum antimonii* è fuſione ſtibii igne violento, præviâ calcinatione emergit. Emeticum validiſſimum audit, ſi in pulverem tenuiſſimum redigatur; cujus doſis à grano uno ad quatuor. Pro ſpecifico in colicâ ſaturninâ à nonnullis habetur: ſed haud minoris ſunt efficaciæ cætera vomitoria; & præſertim tartarus ſtibiatus, qui omnia emetica antimonialia longè antecellit.

LAXANTIA ET CATHARTICA.

Neminem vel rudem & inexpertum fugit maximum eſſe diſcrimen, ratione gradûs, inter evacuantia per alvum, quæ ſub ſe habet hæc claſſis. Equidem mitiora & blandiora; oleum putà amygdalarum dulcium, caſſia, manna, tamarindi, &c. *laxantium* titulum ſibi vindicant. Cætera *cathartica* audiunt; quorum alia, quaſi intermedia, prioribus validiùs agunt; uti ſenna, jalapium, agaricus, diacrydium, &c. reliqua verò valentiora vel acuratiora, haud ſine moleſtiâ actionem ſuam exerunt; & *draſtica* vel *mochlica* vocitantur: id genus ſunt baccæ rhamni, colocynthis, aloe, gummi gutta, &c. alia eſt horumce medicaminum diviſio, ab omnibus Authoribus acceptiſſima; nempè in *phlegmagoga*, *cholagoga*, *melanagoga* & *hydragoga*, ab humorum quadrigâ ſic nuncupata; ſed ſunt mera commenta; cùm purgantia omnes obvios humores promiſcuè per inferiora exturbent; vel ſaburram cujuſvis ſortis per haſce vias eliminent. Catharſim efflagitant appetitus proſtratus; ructus fœtidi, dolor gravativus ſtomachi, vermes, variæ capitis læſiones, &c. Non ſolùm primarum viarum ſordes foràs deturbant cathartica; ſed etiam varios pravos ſuccos quibus ſcatet maſſa ſanguinea versùs hanc ſentinam communem derivant: apud omnes enim in confeſſo manet nonnullam catharticorum partem per vaſa lactea ad ſanguinem appellere; & hinc ſuam efficaciam ipſimet nutricum lacti impertiri: cur fit ut aperientium, diu-

reticorum, diaphoreticorum, &c. vires ſæpiùs æmulentur; vel alvo remanente ſiccâ. Nemo neſcit infida eſſe in pleriſque hæc medicamina; adeò ut minor doſis ſæpiùs alvum ultrà modum moveat; dùm integra, vel dupla, ne levem quidem evacuationem excitat.

Catharтica.

Simpliciora cathartica; folia nempè alexandrina, rheum, jalapium, caſſia, manna, ſalia, &c. pro tutioribus & ſalubrioribus haberi debent: haud eamdem laudem merentur præparata, vel compoſita: cum remediis chymicis præſertim cautè mercandum, tàm propter diverſam, pro cujuſcumque arbitrio, elaborandi methodum, quàm ratione imperitiæ nonnullorum artificum. Nec magis fidendum compoſitionibus officinalibus, confectionibus nempè & electuariis; quorum vires vetuſtate; quâdam ſcilicèt fermentatione; diſſipatione volatilium; vel ſubſidentiâ craſſiorum alterantur; præterquàm quòd haud accuratè quandóque peracta fuit ingredientium diverſæ indolis miſcella; adeò ut de genuinâ doſi haud conſtet. Intereà cathartica pro præſtantioribus artis præſidiis jure habentur; cùm nullum ſit dubium quin variorum morborum tùm acutorum, tùm chronicorum, fomes in primis viis hæreat. Haud tamen ſingulis ægris, nec ſub omnibus febrium temporibus congruunt: incaſsùm enim adhibentur reluctante naturâ; cùm requiratur ad hoc opus ut flexilia ſint organa; & humores prævià quâdam elaboratione ad hanc evacuationem ſint prona; hæc eſt *veterum coctio*, quam poſthabere, nonnullorum ſciolorum more, vix citrà piaculum licet. Neminem practicum fugit morbum tunc temporis ſpontaneo alvi fluxu nonnunquàm ſolvi: exhinc patet quanti ſit momenti hunc ſalubriorem motum æmulari; vel eò ducere, monente Hippocrate, quò natura vergit: præcipuè cùm fæcum alvinarum graveolentia, quoddam putriditatis præbet indicium. Nec in ſolis morbis acutis obſervare licet illud naturæ molimen; ſed etiam in nonnullis chronicis; quod apprimè norunt medicinæ proceres.

A catharticis abſtinendum, ſi vigeant animi pathemata graviora, ira nempè, triſtitia, &c. Plerúmque nocent hæc remedia poſt ſufflaminatam febrem intermittentem: angue pejus fugienda ſub febre ardente, & inflammatione abdominis; ſi tamen excipias laxantia blandiora: cum cautelâ exhiberi debent infantibus, ſenibus & debilioribus: hæc demùm caveant prægnantes. Catharticis, non ſecùs ac emeticis, nonnunquàm opportunè ſociantur hypnotica, & antiſpaſmodica, ut ſcilicèt placidiùs vel tardiùs, haud imminutâ ſolitâ evacuatione, agant. Eamdem opem præſtare valent nitrum, cremor tartari, aromatica, balſamica & ſpirituoſa: alterutrum præſertim proficua cenſentur, ſi metus ſit ne cathartico ſubvertatur ſtomachus; ſub quibus circumſtantiis ad bolos confugere mos eſt acceptiſſimus. De cardiacis, ſtomachicis, aliiſque remediis quæ pro vario ſcopo, unà cum purgantibus exhibentur; nil addimus.

CATHARTICA.

EMPORETICA.

RADICES polypodii ([1]), lapathi, eſulæ ([2]), aſari, bryoniæ, gratiolæ; ireos noſtratis & Germanicæ. Rheum ([3]), jalapa ([4]), mechoacanna ([5]), turpethum ([6]), hermodactyli ([7]).

Folia ſennæ ([8]), lapathi, mercurialis, gratiolæ, fumariæ, braſſicæ, ſpinaciæ, ſoldanellæ ([9]), epithymum.

Flores perſicorum, violæ, Roſæ pallidæ ([10]).... Semen carthami ([11]), violæ, cataputiæ ([12]), ricini ([13]).... Baccæ rhamni cathartici ([14]), laureolæ ([15]), folliculi ſennæ, pruna, ſebeſtena, fiſtula Alexandrina ([16]), tamarindi ([17]), myrobalani, colocynthis ([18]).... Cortex ebuli, ſambuci, frangulæ: agaricus ([19]).... Manna ([20]), ſcammonium ([21]), aloë, gummi gutta ([22]), euphorbium.... Mel Narbonenſe, ſerum lactis, urina vaccina.... Aquæ Sedlicenſes ([23]), Merienſes ([24]), Paſſiacæ, Cranenſes, Veſullenſes, Bellilucanæ, Mottenſes ([25]), Borbonienſes Anſelmienſes.... Sal catharticum amarum ([26]), Sedlicenſe ([27]).... Antimonium, hydrargyrus.

OFFICINALIA.

OLEUM amygdalarum dulcium.... Succus ireos noſtratis. Syrupus de roſis pallidis ([28]), roſatus compoſitus ([29]), de cichorio cum rheo ([30]), florum perſicorum, de pomis ([31]), violaceus, de rhamno cathartico ([32]), de gentianâ.... Pulvis Cornachini ([33]).... Extractum rhabarbari, hellebori nigri.... Elaterium ([34]). Diacrydium.... Fæculæ ari, bryoniæ, ireos noſtratis.... Diaprunum ſimplex ([35]), ſolutivum, electuarium lenitivum ([36]), diaphœnicum, catholicum duplicatum ([37]), confectio Hamec ([38]).... Trochiſci alhandal ([39]), de agarico ([40]).... Pilulæ hydragogæ Bontii ([41]), angelicæ ([42]), mercuriales.... Sal Glauberi, polychreſtum ([43]), rupellanum ([44]), vegetabile.... Cremor tartari, magneſia alba, arcanum duplicatum.... Reſina jalapæ ([45]), ſcammonii ([46]).... Aquila alba, turpethum minerale.... Kermes minerale, tartarus ſtibiatus.... Arcanum *Vinache*.

CATHARTICA.

MAGISTRALIA.

HYDROMEL.

℞ *Mellis Narbonenſis* uncias duas. Coque per horæ quadrantem in aquæ libris quatuor. Deſpuma & cola pro uſu. Cyathim exhibeatur intrà duas vel tres horas.

DECOCTUM.

℞ *Prunorum damaſcenorum* in aquâ tepidâ lotorum ſemi-libram. *Cremoris tartari* drachmam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colatura cyathim ſumatur, pro alvo adſtrictâ.

℞ *Prunorum* ſemi-libram. *Sennæ* unciam unam. Infunde calidè per noctem in aquæ libris duabus. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Tamarindorum* uncias duas. Coque in aquæ libris tribus ad duas. Colatura ſervetur ad uſum pro potu ordinario. Addi poſſunt paſſulæ ad uncias quatuor.

AQUA RHABARBARI.

℞ *Rhei* craſſiuſculè triti, in nodulo, drachmam unam. Infunde calidè per horam in aquæ librâ unâ. Colatura cyathim exhibeatur.

AQUA MINERALIS.

℞ *Salis cathartici amari*; vel *Sedlicenſis* ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam & ſemis. Solve in aquæ calentis libris quatuor. Cyathim capiat manè jejuno ventriculo, intrà bihorii ſpatium. Addere licet *macis* drachmam unam, priùs in aquâ leviter coquendam; vel infuſum meliſſæ adhibere.

PTISANA.

℞ *Radic. recentis lapathi* uncias duas. *Cremoris tartari* unciam unam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Fiſtulæ Alexandrinæ* contuſæ uncias quatuor. *Salis vegetabilis* drachmas duas. Bulliant in *decocto radicum althææ* ad libras duas. Fiat ptiſana.

℞ *Tamarindorum pinguium* ab unciis duabus ad quatuor. Coque in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *nitri purificati* à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Addere licet *paſſulorum* manip. unum.

PTISANA REGIA.

℞ *Foliorum orientalium* unciam ſemis; *ſeminum aniſi* & *ſalis vegetabilis* ana drachmam unam. Leviter bulliant cum *citreo* in taleolas ſecto in

CATHARTICA.

aquæ librâ unâ; cola pro duabus doſibus, quarum primæ adde *mannæ* uncias duas.

♃ *Sennæ* mundatæ unciam unam. Infunde per noctem cum *limone* in fruſtula ſecto in aquæ librâ unâ & ſemis. Fiat ptiſana cyathim ſumenda.

♃ *Tamarindorum* unciam unam. *Folior. orientalium* ſemi-unciam. *Tartari ſolubilis* & *liquiritiæ* ana drachmas duas. *Mali citrei* in taleolas ſecti partem dimidiam. Infunde per noctem in aquæ librâ unâ & ſemis. Bulliant leviter & cola pro uſu.

♃ *Folliculorum orientalium* drachmas ſex. *Cremoris tartari*; *ſeminis aniſi* ana ſemi-drachmam. *Malum renetium* in fruſtula diſſectum. Infunde per duodecim horas in aquæ librâ unâ. Colatura cyathim ſumatur.

SERUM LACTIS.

♃ *Medullæ caſſiæ* uncias duas. Diſſolve in ſeri lactis libram unam. Cola pro tribus doſibus, ſingulis horis propinandis.

♃ *Tamarindorum* recentium uncias duas. Bulliant in ſeri lactis librâ unâ. In colaturâ diſſolve *nitri purificati* drachmam unam. Fiat potio per vices ſumenda.

♃ *Siliquæ Ægyptiacæ* contuſæ uncias quatuor. *Tamarindorum* unciam unam. *Seminum lini* contuſorum pugill. unum. Bulliant in ſeri lactis librâ unâ. Addere licet ante coctionem *capitum papaveris albi* drachmam unam. Colatura cyathim exhibeatur.

EMULSIO.

♃ *Emulſionis ſimplicis* uncias ſex. *Syrupi violacei* unciam unam. Diſſolve ex arte *diacrydii* à granis octo ad quindecim. Pro hauſtu.

♃ *Reſinæ jalapæ* à granis ſex ad decem. *Amygdalarum dulcium* drachmas duas. Contunde in mortario, affundendo aquæ uncias quatuor. Colaturæ adde *ſyrupi de althæâ*, vel *de roſis pallidis* unciam unam.

♃ *Seminum carthami* unciam unam. *Mannæ* uncias tres. *Amygdalarum dulcium* uncias duas. Fiat ex arte emulſio cum aquæ libris duabus.

♃ *Seminum frigidorum* majorum; *ſeminis carthami* ana drachmas duas. *Reſinæ ſcammonii* à granis ſex ad decem. Contunde ſenſim affundendo aquæ uncias ſex. Colaturæ adde *ſyrupi florum perſicorum* unciam unam. Miſce. Fiat emulſio. Reſinæ ad prædictas emulſiones diſſolvuntur in tantillo ovi vitelli.

LOOCH.

♃ *Medullæ caſſiæ*; *olei amygdalarum dulcium*; *ſyrupi de althæâ* ana unciam unam. Miſce. Fiat looch cochleatim ſumendum.

♃ *Mannæ* electæ uncias duas. *Pulpæ caſſiæ* unciam unam. *Syrupi de roſis pallidis*; *olei amygdalarum dulcium* ana unciam unam & ſemis. *Sacchari candidi* q. ſ. Miſce. Fiat looch.

SUCCUS.

CATHARTICA.

℞ *Radicum iridis vulgaris* recentium probè raſarum uncias quatuor; parùm macerentur in *aquæ fœniculi* unciis duabus. Expreſſo ſucco addatur *ſacchari* drachmas duas, & tantillum *aquæ cinnamomi*, pro hauſtu ad aſcitem à febre quartanâ.

AQUA VITÆ.

℞ *Pulveris jalapæ* unciam unam. Infunde per viginti quatuor horas, calidè in aquæ vitæ librâ unâ, ſæpiùs agitando. Colaturæ adde *ſacchari* uncias quatuor. Doſis manè ad unciam unam vel alteram.

℞ *Radic. ireos Florentinæ; pulveris jalapæ* ana ſemi-unciam. Affunde aquæ vitæ libram unam. Stent per viginti quatuor horas in loco calido, & cola. Doſis ab unciâ unâ ad duas. Vulgò dicitur *Eau-de-vie Allemande.*

HAUSTUS.

℞ *Medullæ caſſiæ* unciam unam. *Mannæ calabrinæ* uncias duas. Bulliant leviter in ſeri lactis, vel *decocti radic. lapathi* unciis octo. Colaturæ adde *ſalis cathartici amari* drachmas duas.

℞ *Roris calabrini* unciam unam & ſemis. *Olei amygdalarum dulcium* uncias duas. *Spermatis ceti* ſemi-drachmam. Diſſolve in *juſculo pulli.*

℞ *Pulpæ tamarindorum* unciam unam. Infunde calidè per noctem in *ſeri lactis* unciis ſex. Colaturæ adde *mannæ* uncias duas.

℞ *Foliorum orientalium* drachmas duas. *Salis vegetabilis* drachmam unam. Infunde, ut artis eſt, in aq. unciis ſex. In colaturâ diſſolve *mannæ* uncias duas. *Syrupi de roſis pallidis* unciam unam.

℞ *Cremoris tartari* drachmas duas. Diſſolve in aquæ ferventis q. ſ. Dilue *mannæ calabrinæ* uncias tres. Colaturæ ovi albumini clarificatæ adde *ſucci limonum* unciam unam. Miſce. Fiat hauſtus, haud palato ingratus.

℞ *Folior. orientalium* drachmas duas. *Tamarindorum* ſemi-unciam. *Salis prunellæ* drachmam unam. *Summitatum thymi* pugill. unum. Infunde & coque ut artis eſt in aquæ unciis ſex. In colaturâ dilue *mannæ calabrinæ* uncias duas.

℞ *Tamarindorum pinguium; pulpæ caſſiæ* ana drachmas ſex. *Rhei* contuſi ſcrupulos duos. *Salis vegetabilis* drachmam unam. Bulliant in aquæ unciis octo. In colaturâ diſſolve *mannæ* unciam unam & ſemis.

℞ *Tamarindorum* ſemi-unciam. *Sennæ* drachmas duas. *Rhei* drachmam unam. *Cremoris tartari* ſemi-drach. Coque ex arte in aq. q. ſ. ad uncias quatuor. Cola & adde *ſyrupi de pomis* unciam unam.

℞ *Radic. polypodii* contuſarum ſemi-unciam. *Medullæ caſſiæ* unciam unam. *Florum perſicorum* pugill. duos. *Salis cathartici amari* drach. unam. Bulliant leviter in aq. unciis octo. In colat. dilue *electuarii lenitivi* unciam unam.

CATHARTICA.

℞ *Rhei* & *tartari ſolubilis* ana drachm. unam. Infunde per noctem; & colaturæ adde *mannæ calabrin.* unc. duas & ſemis.

℞ *Folior. oriental.* drachm. duas. *Rhei* contuſi & *tartari ſolubil.* ana drachmam unam. *Corticis Peruviani* ſemi-drachmam. *Summitatum abſinthii* pug. unum. Coq. in aq. q. ſ. ad unc. ſex. In colat. diſſolve *mannæ* unc. duas.

℞ *Fol. ſennæ*; *corticis medii ebuli* ana drachmas duas. *Rhei contuſi* drachmam unam. Coque in aq. unciis octo. Colaturæ adde *ſyrupi de roſis pallidis* unciam unam.

℞ *Tincturæ ſennæ* unc. ſex. *Jalapæ* grana duodecim. *Pulveris de tribus* ſemi-ſcrupulum. *Syrupi de cichorio cum rheo* unc. unam. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Folior. oriental.* drachm. tres. *Salis Ebſonienſis* drachm. unam. Infunde in aq. unc. ſex. In colat. diſſolve *electuarii diaphœnici* & *ſyrupi de rhamno cathartico* ana ſemi-drachmam. Fiat hauſtus ad colicam pictorum.

℞ *Sennæ* drachm. tres. *Salis rupellani* drachm. unam. Infunde in aq. unc. ſex. In colat. diſſolve *confectionis Hameç* ſemi-unciam. *Syrupi florum perſicorum* unciam unam.

℞ *Folior. oriental.* drachm. tres. *Trochiſcorum de agarico* drachm. unam. *Seminis aniſi* pug. unum. Bulliant in aq. q. ſ. ad uncias ſex. Colat. adde *ſyrupi de rhamno* ſemi-unciam.

℞ *Mannæ* unc. duas. Diſſolve in *hydromellis* unc. ſex. Adde *kermes mineralis* gran. duo. Fiat ex arte hauſtus.

POTIO.

℞ *Tamarindorum* pinguium unciam unam; *pulpæ caſſiæ* unciam ſemis; bulliant in aquæ unciis octo; adde ſub finem *florum violarum* manipulum ſemis. Colatura fiat pro tribus doſibus.

℞ *Roris calabrini* ab unc. duabus ad tres. *Olei amygd. dulc.* unc. duas. Dilue in *juſculo pulli* pro duplici doſi. Nauſeantibus ſeorſim exhibetur oleum, poſt horam integram à propinatâ ſecundâ doſi.

℞ *Medullæ caſſiæ* uncias duas. Dilue in *aquæ pulli* uncias duodecim. Diſſolve *mannæ calabrinæ* uncias duas. Fiat potio pro duabus doſibus, horâ intermediâ.

℞ *Fiſtulæ Alexandr.* contuſæ unc. tres. *Tamarindor.* unc unam. Bulliant in aq. unciis quindecim. In colaturâ diſſolve *mann.* unc. duas. *Syrupi violacei* unc. unam. Pro duplici doſi.

℞ *Medullæ caſſiæ* unc. duas. *Salis nitri* drachm. unam. Bulliant in *ſeri lactis* librâ unâ. In colaturâ diſſolve *mannæ calabr.* uncias tres. Fiat potio pro duplici doſi.

℞ *Tamarind.* unciam unam & ſemis. *Rhei* & *cryſtalli miner.* ana drachmam unam. *Florum violarum* pug. duos. Bulliant in *ſeri lactis vaccini* librâ unâ. Expreſſioni adde *mannæ* uncias duas, vel tres. Fiat potio pro duabus doſibus.

℞ *Folior. ſennæ* ſemi-unciam. *Tamarindorum* unciam unam. *Salis nitri* drachm.

drachm. unam. Coque in aq. unciis duodecim. In colat. diſſolve *mannæ* & *ſyrupi flor. perſicorum* ana unciam unam. Fiat potio pro duabus doſibus alternis horis ſumendis.

Cathartica.

℞ *Radic. polypodii* unciam unam. Bulliant in aq. q. ſ. ad uncias duodecim. In colaturâ infunde *rhei* craſſiuſculè triti drachmam unam. *Florum perſicorum* pugillum unum. Expreſſioni adde *mannæ* uncias duas. Pro duabus doſibus.

℞ *Sennæ* drach. duas. *Rhei* & *trochiſc. de agarico* ſemi-drachmam. *Tamarind.* unciam unam. Bulliant in aquæ uncias duodecim. Colaturæ adde *mannæ* uncias duas. *Salis Glauberi* drachmas duas. *Aquæ florum aurantiorum* q. ſ. ad gratum odorem. Fiat potio pro duabus doſibus.

℞ *Pulpæ tamarindorum* uncias duas; *nitri* drachmas duas. Tantiſper bulliant in aquæ unciis decem. In colaturâ diſſolve *roris calabrini* uncias tres. Fiat potio pro duplici doſi.

APOZEMA.

℞ *Radicum nymphææ* & *cichorii ſylveſtris* ana unciam unam. Bulliant in aquæ libris duabus. In colaturâ infunde per noctem *foliorum orientalium* ſemi-unciam. *Tamarindorum* unciam unam. *Foliorum pimpinellæ* manipulum ſemis; *liquiritiæ* drachmas duas. Colatura cyathim exhibeatur.

℞ *Radicum graminis* & *acetoſæ* ana manipulum ſemis. *Tamarindorum* ſemi-unciam. *Florum violarum* pugillum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. In colaturâ infunde ſennæ drachmas tres. *Rhabarbari* ſemi-drachmam. In expreſſione diſſolve *mannæ* & *ſyrupi de pomis* ana unciam unam.

JUSCULUM.

℞ *Roris calabrini* uncias duas. *Cremoris tartari*; *ſpermatis ceti* ana drachmas duas. Diſſolve ex arte in *juſculo pulli.*

℞ *Medullæ caſſiæ* unciam unam. *Olei amygd. dulc.* uncias duas. Diſſolve in *juſculo carnis vitulinæ.*

PULVIS.

℞ *Jalapæ* in pulverem tenuiſſimum redactæ à granis octo ad duodecim. Capiat manè ſuperbibendo hauſtum *aquæ pulli* vel *vitulinæ*. Iteretur hæc doſis ſingulis horis donec alvus ſolvatur.

℞ *Jalapæ* ab ſcrupulo uno ad ſemi drachmam. *Zingiberis* ſemi-ſcrupulum. *Cremoris tartari* grana quindecim. Miſce. Fiat pulvis ex *vino albo* ſumendus.

℞ *Jalapæ* & *rhei* ana ſcrupulum unum. *Diacrydii* grana decem. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Sennæ* & *cremoris tartari* ana drachm. unam. Miſce. Fiat pulvis,

Catharтica.

cujus ſcrupulus unus ſingulis horis datur, ſuperbibendo cyathum aq. pulli, donec alvus ſolvatur.

℞ *Sennæ* drachmas duas. *Rhabarbari* drachmam unam. *Reſinæ jalapæ* ſcrupulos duos. *Elaterii* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat pulvis, cujus doſis à ſemi-ſcrupulo ad ſcrupulum unum, & ultrà. Superbibendo juſculum.

℞ *Gummi-guttæ* à granis octo ad duodecim. *Salis prunellæ* ſcrupulum unum. Simul terantur in mortario. Fiat pulvis in juſculo pingui exhibendus.

℞ *Jalapæ* ſcrupulum unum; *rhei* & *cremoris tartari* ana drachmam ſemis. Probè miſceantur pro doſi.

℞ *Jalapæ*, *foliorum orientalium*, & *cremoris tartari*, ana grana triginta. In pulverem tenuiſſimum ſeorſim redigantur, & dein miſceantur pro unicâ doſi. Ad apoplexiam ſeroſam.

BOLUS.

℞ *Pulpæ caſſiæ*, vel *tamarindorum*, unciam unam. *Cremoris tartari* drachmam unam. Miſce, & fiant boli plures pro doſi. Superbibendo juſculum.

℞ *Pulveris de tribus* & *jalapæ* ana grana quindecim. Miſce. Fiat bolus cum *pulpâ caſſiæ*.

℞ *Reſinæ jalapæ* grana octo. *Cremoris tartari* ſcrupulos duos. Miſce. Fiat bolus cum *electuario lenitivo*.

℞ *Catholici duplicati* drachmas tres. *Jalapæ* grana quindecim. Miſce pro bolo.

℞ *Elaterii*, vel *reſinæ ſcammonii* à gran. ſex, ad octo. Fiat bolus cum *diapruno*.

℞ *Jalapæ*, & *trochiſcorum de agarico* ana ſcrupulum unum. *Aloës ſoccotrinæ*; *aquilæ albæ* ana grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de rhamno cathartico*.

℞ *Sennæ* & *rhei* pulveratorum ana ſcrupulum ſemis. *Diacrydii* grana octo. *Reſinæ jalapæ* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum pulpâ caſſiæ.

℞ *Diacrydii* grana duodecim. *Jalapæ* & *rhabarbari* ana grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *diapruno*.

℞ *Diacrydii* grana octo. *Aquilæ albæ* grana decem. *Reſinæ jalapæ* grana quatuor. *Trochiſcorum de agarico* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *pulpâ caſſiæ*.

℞ *Rhei* ſcrupulum unum. *Mercurii dulcis* grana decem. *Diacrydii* grana quatuor. *Caſſiæ ligneæ* grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *conſervâ roſarum*.

℞ *Rhabarbari* grana viginti. *Aquilæ albæ*; *diacrydii* & *trochiſcorum de agarico* ana grana duodecim. Fiat bolus cum *extracto caſſiæ*.

℞ *Diacrydii* à granis duodecim ad ſexdecim; *antimonii diaphoretici* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *medullâ caſſiæ*. Prodeſt arthriticis, extrà paroxyſmum.

Catharтica.

℞ *Gummi guttæ* grana octo. *Cremoris tartari; caſſiæ ligneæ* ana grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de papavere albo.*

℞ *Gummi guttæ* grana ſex. *Mercurii dulcis* grana quindecim. Miſce. Fiat bolus cum *diapruno.*

℞ *Trochiſcorum de agarico* ſemi-ſcrupulum. *Aquilæ albæ* grana decem. *Reſinæ jalapæ* grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum.*

℞ *Guttæ gambæ* grana duodecim. *Olei cinnamomi* guttam unam aut alteram. Miſce. Fiat bolus cum *conſervâ roſarum.*

℞ *Trochiſcorum alhandal; gummi guttæ; diacrydii* ana grana tria. *Gummi ammoniaci; mercurii dulcis* ana grana quindecim. *Tartari vitriolati* grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *extracto juniperi.*

OPIATA.

℞ *Pulpæ Tamarindorum*, & *caſſiæ* ana ſemi-unciam. *Rhabarbari* drachmas duas. *Salis vegetabilis* drachmam unam & ſemis. *Pulveris ſennæ* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo florum perſicorum.* Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam & ſemis.

℞ *Mannæ electæ; medullæ caſſiæ* ana uncias duas. *Syrupi de althæâ* unciam unam & ſemis. *Olei amygdalarum dulcium* ſemi-unciam. Miſce. Fiat opiata. Doſis pro libitu iteranda à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Hæc opiata, ſub electuarii titulo à Fullero tradita, ad uncias tres, & ultrà, partitis vicibus exhibita blandè alvum ſolvere ſolet.

℞ *Spermatis ceti* drachm. duas. Ovi vitell. n°. unum. Probè in mortario commixtis adde *mannæ* elect. & *pulp. caſſiæ* ana unc. unam. *Sacchari* drachm ſex. *Olei amygdalarum dulcium* q. ſ. ad tuſſim ſiccam.

PILULÆ.

℞ *Jalapæ* & *ſcammonii* ana ſemi drachmam. *Elaterii* & *trochiſcorum alhandal* ana ſcrupulum unum. *Reſinæ jalapæ* grana quindecim. Miſce. Fiat maſſa pilularum cum *ſyrupo de rhamno cathartico.* Doſis ab ſcrupulo ſemiſſe, ad ſcrupulum unum.

℞ *Sennæ Alexandrinæ* ſemi-unciam. *Rhei* drachmas tres. *Jalapæ* drachmas duas. *Diacrydii* drachmam unam. *Cremoris tartari* drachmas duas. Ex omnibus pulveratis & probè mixtis fiat maſſa pilularis cum *ſyrupo de cichorio cum rheo.* Doſis ad drachmam unam.

CATHARTICA.

COMMENTARIA.

(1.) POLYPODIUM vulgare, C. B. pin. (*Polypode*).

Cæteris præſtat quernum, cujus radix ſubdulcis, cum quâdam acredine, inter laxantia numeratur; temperantium etiam claſſem ſubit; ac in aperientium vel diureticorum ordine recipitur. Ideò conducit in affectu hypochondriaco & hyſterico; valet in obſtructionibus; aſthmaticis & tuſſientibus ſuccurrit; nec inutilem opem præſtat ſcrophuloſis. Datur ſicca in infuſo aut decocto à drachmis duabus ad ſemi-unciam: in ſubſtantiâ verò à drachmâ unâ ad duas. È polypodio, non ſecùs ac è ſennâ, paratur tinctura aquea, quæ crebrò uſurpatur pro vehiculo cæterorum catharticorum.

(2.) *Eſula minor*, Dodon. Tithymalus foliis pini, fortè Dioſcoridis pithyuſa, C. B. pin. (*Eſule*).

Singulæ tithymalorum ſpecies purgantia per alvum draſtica, & à ſanioribus Medicis inviſa ſuppeditant. Inter quas eſula, de quâ in præſentiarum, minùs noxia cenſetur. Raro tamen præſcribitur, niſi in apoplexiâ, hydrope, aliiſque caſibus urgentioribus, cæteris præſidiis domari neſciis. Radicis cortex ſiccus, præviâ per viginti quatuor horas maceratione in aceto, datur in ſubſtantiâ ab ſemi-ſcrupulo ad ſcrupulum unum, & ad duplum in infuſo.

(3.) *Rheum*, vel *Rhabarbarum* (*Rhubarbe*), radix craſſior, cui ineſt quædam amarities, cum levi adſtrictione, educitur è plantâ cognomine, quæ paucis abhinc annis in hortis colitur; de quo LINNÆUS. Sed longè diſcrepat, ratione virium, hortenſe ab orientali; quod ſcilicèt è Tartariâ, Chinâ & Perſide advehitur. Nemo neſcit colorem varium, & ex carneo dilutè rubentem referre prædictam radicem; cujus fruſta nodoſa, & minora cæteris præferuntur. Rheum, cui tribuuntur vires polychreſtæ, dummodò carie, cui obnoxia eſt, minime lædatur, alvum ſubducit, & blandè comprimit; vires inſtaurat: obſtructiones reſerat & vermes fugat: ſummè deprædicatur adversùs ſaburram ventriculi acidam, alvi fluxum, & dyſenteriam; ac nullum fortè præſtantius remedium excogitari poteſt. Valet in cachexiâ & ictero; laudatur in fluore albo. Inſuper eximium & uſitatiſſimum eſt catharticum pro infantibus; quorum etiam obſtructionibus medetur, & verminoſæ progeniei occurrit: cautè tamen exhiberi debet rheum iis quorum defervent viſcera, vel renes & veſica afficiuntur. Datur pulvis in ſubſtantiâ à granis duodecim ad drachmam unam; vel fruſtula maſticantur ut ſaliva imprægnata deglutiatur. Ad duplum præſcribitur in infuſo; quòd familiariſſimi eſt uſûs ſub nomine aquæ rhabarbari, eâ proportione ut ſit hujuſce radicis drachma una pro ſingulis aquæ libris. Notare juvat ejus vim catharticam ebullitione infringi. Proſtat

in officinis extractum, cujus doſis à granis octo ad ſcrupulos duos. Rhei pulvis, inſtar caffe, torrefactus majori vi comprimente pollet, & ſimili modo uſurpatur.

(4.) *Jalapium* eſt radix gummi-reſinoſa, ferè inſipida cujuſdam; uti fertur; jalapæ Americanæ, quam videre eſt in noſtris hortis; vel potiùs cujuſdam convolvuli exotici de quo RAIUS. Inter eximia cathartica, & mitiora hydragoga recenſetur; ideò egregriè ſe gerit in cachexiâ & hydrope; prodeſt in affectibus rheumatico-arthriticis; laudatur in morbis cutaneis, &c. Datur in ſubſtantiâ à granis duodecim ad ſcrupulum unum, & ultrà. Sed ſatius eſt illum pulverem partitis vicibus exhibere, nempè à granis octo ad duodecim, ſingulis horis, ſuperbibendo cyathum aquæ pulli, donec ſedes moveantur: ſic ſufficiente vehiculi copiâ diluitur, & optatiſſimum effectum, citrà moleſtiam, exerere ſolet: vota utplurimùm explent duo vel tres doſes; & rarò ad ſeptimam vel octavam protelatur hæc adminiſtratio: cautè tamen exhibendum eſt jalapium, haud innoxium, ubi ſub conſtitutione ſiccâ & calidâ, fibræ facilè convelluntur: ſingulis doſibus poſtremâ methodo exhibendis addere licet quartam vel ſextam grani opii partem pro iis quorum interanea facilè afficiuntur. Jalapium cum tantillo ſacchari, vel cremoris tartari mixtum, gratiſſimum & familiariſſimum præbet infantibus catharticum à grano uno ad grana octo; habitâ ratione ætatis: nimirùm exhiberi poteſt recèns nato, à grano uno ad duo; poſt annum integrum à granis duobus ad tria: in bienni à granis tribus ad quatuor; & ſic deinceps addendo granum pro ſingulis circiter annis. De reſinâ jalapæ alibi.

(5.) *Mechoacanna* eſt radix nullius ferè ſaporis particeps, cujuſdam convolvuli ex MARGRAVIO, vel bryoniæ Americanæ juxtà GASP. BAUHINUM; quæ ratione virium, ſed inferiori gradu, ad jalapium accedit. Datur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam; vel ad duplum infunditur in vini albi hauſtu: ſed rarò in uſum venit, ni quandòque infantibus exhibeatur, doſi congruâ, habitâ ratione ætatis.

(6.) *Turpethum* audit radix reſinoſa, ſapore acri & ingrato, cujuſdam convolvuli indici, de quo HERMANNUS. Inter purgantia mochlica recenſetur; ac rarò in uſum vocatur, niſi adversùs apoplexiam, affectus comatoſos, hydropem, alioſque morbos herculeos: aliàs ſummâ cautelâ exhiberi debet. Doſis in ſubſtantiâ à granis decem ad ſemi-drachmam; & ultrà, in caſu urgentiori: ad duplum verò in infuſo. Quoad uſum externum; ſternutationem promovet, & enemata ſtimulantia ingreditur. De turpetho minerali remedio quodam chymico, alibi.

(7.) *Hermodactyli* vocitantur radices bulboſæ, cordiformes, leves & friabiles, plantæ cognominis ex TURNEFORTIO; vel cujuſdam ireos orientalis, de quâ LINNÆUS. Inter blandiora purgantia locum habent: ſed vix in uſum veniunt; ſi officinalem excipias. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo.

(8.) *Senna* vel *Folia orientalia*. Alterutro nomine veniunt folia ab

CATHARTICA.

Ægypto, vel Alexandriâ allata, ſapore ſubamaricante nauſeoſo, cujuſdam fruticis, quam ad caſſiarum genus retulit LINNÆUS. Inter inſigniora cathartica numerantur, & in familiarem uſum cedunt. Præcipiuntur in infuſo à drachmâ unâ ad três, vel ad ſemi-unciam. Sed minime reticendum quòd inteſtinorum fibras nerveas nonnunquàm lancinent & irritent; imò & vomitum moveant. Hæc caveant tuſſientes & ad hæmorrhagiam proclives: hæc angue pejus fugiant, qui phlogoſi internâ corripiuntur. Summâ demùm cautelâ exhibeantur delicatulis; vel iis quorum æſtuant viſcera. Nitroſis & tartareis opportunè ſociatur ſenna; horum enim ope infringuntur ejus vires ſtimulantes: eumdem effectum præſtare videntur ſemina aniſi, feniculi, aliaque aromatica, vi quâdam anodynâ inſtructa, quâ delentur hujuſce cathartici noxiæ qualitates. Ejuſdem fruticis folliculos vel ſiliquas ſimili vi gaudere; ſed mitiori, & tutiùs eâdem doſi uſurpari vulgò fertur; pluresque tradiderunt Authores, quibus refragantur RIEDLINUS & TRILLERUS, qui experientiâ edocti aſſerere minime dubitarunt prædictos folliculos ipſis foliis flatulentiores eſſe, vehementiùs alvum movere, periculoſioremque hypercatharſim excitare; quod à vero minime alienum putamus. Paratur in officinis *tinctura ſennæ* ad baſim hauſtuum purgantium quæ crebrò præſcribuntur: ad quod opus infundi ſinunt per noctem prædicta folia ad unciam unam, cum nitri vel ſalis tartari drachmâ unâ & ſemiſſe in aquæ libris duabus, & ſervatur colatura: vel illa levi coctioni tradunt cum floribus thymi, alteriuſve plantæ aromaticæ; aut vulgatiſſimis ſeminibus carminantibus, quæ ſennæ optimè ſociantur. Scitur poſtremò vires ſennæ purgantes coctiones infringi.

(9.) *Soldanella* maritima minor, C. B. pin. Convolvulus maritimus noſtras rotundifolius, Moriſſon, hiſt. (*Chou marin*).

Hujuſce plantæ folia in purgantium hydragogorum claſſe locum obtinent: ſed raro apud nos in uſum veniunt. A nonnullis tamen laudantur in apoplexiâ, paralyſi, hydrope, hypochondriaſi, &c. Doſis in ſubſtantiâ, ab ſcrupulo uno ad duos: vel folia recentia ad unciam unam coquuntur in juſculo.

(10.) *Roſæ pallidæ*, quarum odorem, etſi gratiſſimum, nonnullæ pavent mulieres: ſed rariùs ſic adhibentur; cùm ſatiùs ſit præſcribere varios ſyrupos, ex hiſce paratos, de quibus infrà. Earum etiam proſtat in officinis *aqua* diſtillata ſuaveolens, inter pectoralia recenſenda; quæ additur variis cujuſcumque indolis medicaminibus nauſeoſis; vel ad ſuffimenta exquiſitiora uſurpatur. Illud per tranſennam notare expedit quòd inconſultò miſceatur prædicta aqua collyriis roborantibus; cùm hâc virtute duntaxàt polleat aqua, quæ è roſis rubris elicitur.

(11.) *Carthamus* officinarum, Inſt. rei herb. (*Saffran bâtard*).

Semen, quod avidè comedunt pſittaci; & hinc dicitur *Graine de perroquet*, pro cathartico habetur; atque in aperientium ordine admittitur. Datur, è cortice purgatum, in ſubſtantiâ à drachmâ unâ ad duas; vel rectiùs emulſionis formâ à drachmis tribus ad ſex; cui addere ſolent ſy-

rupum quemvis catharticum; vel nonnulla diacrydii grana. Sed rarò in uſum venit ; eò quòd plerorumque ſtomacho adverſatur.

CATHARTICA,

(12.) *Tithymalus* latifolius, *Cataputia* dictus, Inſt. rei herb. (*Epurge* ou *Catapuce*).

Non ſecùs ac aliæ tithymalorum ſpecies, inter cathartica vehementiora recenſetur: ſed nuſquàm in uſum medicum vocatur; ni caſus urgeat in nonnullis hydropicis, & cætera deficiant præſidia. Doſis ſeminum in ſubſtantiâ à granis duobus ad ſex accedit. Viri robuſtiores, de torminibus parùm curantes, hæc ſemina integra à numero ſex ad duodecim deglutire minime renuunt: vel quatuor aut quinque folia ejuſdem plantæ in juſculo infundunt; haud citrà ſeram quandóque pœnitentiam.

(13.) *Ricinus* vulgaris, J. B. Palma Chriſti, Cæſ. (*Ricin*).

Semina vel grana hujuſce ſtirpis in mochlicorum purgantium albo locum habent; & ideò ſolitis cautelis à granis quindecim ad triginta præſcribi poſſunt in infuſo: vel uti mos eſt ruſticorum deglutiuntur hæc ſemina integra à numero quatuor ad duodecim: ſed rariſſimè à clinicis uſurpantur prædicta ſemina; cùm haud deſint cathartica tutiora, & longiori experientiâ comprobata. Proſtant in officinis alia grana majora, *les Pignons d'Inde*, ricini cujuſdam procerioris americani, de quo Gasp. Bauhinus: quæ ſcilicèt vi carthartico-emeticâ pollent; & ſummam noxam inferre queunt; cur fit ut à ſapientibus planè rejiciantur, ni res urgeat, & hydrops omnibus aliis præſidiis obſurdeſcat.

(14.) *Rhamnus catharticus*, C. B. pin. (*Nerprun* ou *Bourg-épine*).

Baccæ hujuſce fruticis notiſſimi in eximiorum purgantium hydragogorum ordine recipiuntur. Agricolæ illas integras deglutiunt antè prandium à numero ſex ad viginti; vel ad duplum in juſculo coquunt. Hanc adhibendi methodum jure averſantur Medici, qui tutiùs præcipiunt ſyrupum ex hiſce baccis paratum, de quo infrà.

(15.) *Thymelæa* lauri folio ſemper virens; ſeu *Laureola* mas, Inſt. rei herb. (*Lauréole*).

Folia, cortex & fructus præbent catharticum draſticum, ſanioribus Medicis inviſum; ni urgentiori neceſſitate premantur. Doſis foliorum & corticis, præviâ maceratione in aceto præparatorum, in ſubſtantiâ à granis decem ad viginti, & ad duplum in infuſo. Ab agreſtibus deglutiuntur baccæ à numero duabus ad quatuor: ſed ſæpiùs ſtomachum ſubvertunt; tormina, hypercatharſim, vel dyſenteriam concitant. Folia contrita & extùs admota cauſticorum vires æmulantur.

(16.) *Caſſia*, vel *Fiſtula Alexandrina* ſic dicta ab urbe Ægypti, quam Alexandriam vocant, è quâ, tanquàm è variarum rerum exoticarum emporio, nobis affertur, eſt fructus arboris cognominis, qui creſcit non ſolùm in Ægypto, ſed etiam in utrâque Indiâ. Hujuſce ſiliquæ, longæ, rotundæ & nigricantis medullæ, rejectis putamine, diſſepimentis & ſeminibus, inter laxantia præſtantiora & benigniora recenſetur: hinc tutò exhibetur, ubi purgationi locus eſt, in inflam-

Catharτica.

matione pectoris & abdominis ; febre ardente , morbis renum & veſicæ , cæteriſque affectibus qui ab aliis catharticis exacerbari ſolent. Emeticorum vires infringit , & validiorum catharticorum ſtimulum obtundit. Haud tamen innocua eſt prædicta pulpa flatulentis , hypochondriacis & hyſtericis ; ni ſocietur aniſo , aliiſque ſeminibus carminantibus. Præſcribuntur ſiliquæ in decocto ab unciis duabus ad quatuor. Illud circà hanc doſim notare juvat quòd quatuor unciæ harum fiſtularum recentium , unam duntaxat pulpæ unciam & ſemiſſem ſuppeditent ; ex annoſis verò haud ultrà ſemi-unciam , vel drachmas ſex , extrahitur. Hæc medulla per ſetaceum trajecta à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis in ſero lactis , juſculo , &c. ſoluta exhibetur ; vel quod paucis arridet , boli formâ deglutitur. Proſtat in officinis *caſſia cocta* , quæ ſic paratur : pulpa ſcilicèt recèns extracta ad libram unam , diſſolvitur in aquæ calidæ q. ſ. Huicce diſſolutioni pèr cribrum trajectæ adde ſacchari libram unam. Dein vaporet balneolo ad extracti mollis conſiſtentiam , cui refrigerato additur aquæ eſſentialis florum aurantiorum ab ùnciâ ſemiſſe ad unciam unam. Alvum blandè laxat caſſia cocta & calculoſis apprimè congruit. Doſis etiam ab unciâ unâ ad unciam unam & ſemis , quæ partitis vicibus exhiberi ſolet. Datur verò pueris recèns natis ad meconium educendum , ab ſcrupulo uno ad duos. Diuturnus pulpæ caſſiæ utriuſque ſortis uſus , ad doſim drachmæ unius juvat alvo adſtrictâ laborantes. Inſuper fiſtula alexandrina ingreditur enemata laxantia & demulcentia ab unciis quatuor ad ſemi-libram ; vel pulpa in ipſis diſſolvitur ad uncias duas & ultrà.

(17.) *Tamarindorum* nomine intelligitur pulpa pinguis , acidula , odore vinoſo , quæ extrahitur è fructu ſiliquoſo arboris cognominis africani & orientalis , de quo *Alpinus*. Tamarindi inter laxantia mitiora eminent ; ac in refrigerantium numero adſcribuntur. Conducunt in febribus bilioſis & inflammatoriis : vomitum compeſcunt & diarrhœæ medentur. Doſis in decocto ab unciâ unâ ad duas. Si ad duplum coquantur in aquæ libris duabus ptiſanam præbent ad ſitim febrilem ſedandam ſummè proficuam. Sub formâ boli à drachmâ unâ ad ſemi-unciam etiam præſcribitur hæc pulpa , quæ utplurimùm aliis catharticis ſociatur , ut eorum vires noxiæ infringantur. Illud ſilentio premere minime debemus , quòd nonnulli exiſtiment ; haud citrà quoddam periculum exhiberi poſſe tamarindos , ob æruginem quam contrahunt , coctione in lebetibus æneis quibus Indi ad hoc opus uti ſolent ; nùm rectè ? viderint oculatiores.

(18.) *Colocynthis* fructu rotundo minor , C. B. pin. (*Coloquinte*).

Hujuſce plantæ cucurbitaceæ fructus , mole mali aurantii , inter amara intenſiora primatum ducit ; atque catharticorum mochlicorum vehementiorum claſſem ſubit : ideò laudatur in morbis comatoſis : fauſtè adhibetur ſub arthritide , aſthmate , hydrope , aliiſque affectibus contumacioribus. Nuſquàm ferè , niſi ab incautis per ſe uſurpatur : ſed varia præparata officinalia ſubingreditur ; inter quæ eminent trochiſci ab Arabibus alhandal dicti , & infrà recenſendi ; qui ex illâ pulpâ & mucilagine gummi tragacanthi

canthi parantur; & ſic hujuſce cathartici acriores & deleteriæ particulæ irretiuntur & emendantur. Aliàs nauſeam movet, ventriculum ſubvertit, tormina atrociſſima concitat, ſævamque hypercatharſim. Si tamen in caſu urgentiori deficiant trochiſci, præſcribi poteſt colocynthis in decocto, vel infuſo ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulum unum; & in ſubſtantiâ à granis duobus ad duodecim. Nec ipſi denegantur vires alterantes; cùm, teſte Boerhaavio, mira præſtet in languidis nervorum morbis, & ſaburrâ mucosâ primarum viarum: præſcribitur ſub hoc conſpectu à decimâ parte grani ad ſextam: ſed protelari debet, uti nemo non videt, ejus uſus: ſic datur omni bihorio, vel quadrihorio, ſub pallidis virginum coloribus. Quoad uſum externum, recipitur à drachmâ unâ ad duas, in nodulo, ad enemata ſtimulantia, quæ apoplexiam, paralyſim, &c. reſpiciunt. Si ſubigatur cum felle taurino; & umbilico infantum admoveatur, alvum reſerare, & vermes fugare valet.

Cathartica.

(19.) *Agaricus* ſive fungus laricis, C. B. pin. (*Agaric*).

È vetuſtiorum arborum, terebinthinæ diſpendio quaſi exhauſtorum, caudicibus erumpit hæc agarici ſpecies. È regionibus orientalibus nobis affertur hæc ſubſtantia candidiſſima, fungoſa & vegetabilis; quam etiam, ſed inferioris notæ, præbent larices Alpium. Agarici faciem referunt nonnullæ radices majores bryoniæ; quæ hinc pro genuino agarico à quibuſdam nebulonibus venditantur. Catharticorum claſſem ſubit hæc materia ſapore ſubdulci, amaricante & ingrato prædita: in anthelminticorum ordine haud infimum locum tenet: laudatur tanquàm aperiens in obſtructionibus, aſthmate, arthritide, &c. Doſis in infuſo à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ultrà; in ſubſtantiâ verò ab ſcrupulo uno ad duos. Sed raro per ſe datur, cùm in ſingulis officinis proſtent trochiſci uſûs familiarioris, de quibus infrà. Inſuper zingiberi, cinnamomo, aliiſque aromatibus ſociatur, quibus emendari aut corrigi creditur. Per tranſennam notare juvat, quòd agaricum antiquorum à noſtro planè fuiſſe diverſum nonnulli arbitrentur: ſed illud dubium in medio relinquimus.

(20.) *Manna* ſeu *Ros calabrinus*, à rore illô cœleſti Iſraelitis divinitùs conceſſo planè diverſus; eſt ſuccus notiſſimus è fraxini, aceris, aliarumve arborum caudice, ramis & frondibus exudans, in variis regionibus meridionalibus, Calabriâ ſcilicèt, Siciliâ & agro romano, qui calore ſolis in grumos concreſcit, quotannis colligendos. Pro præſtantiori habetur manna calabrina; pinguis verò majori efficaciâ pollere videtur; ni miſcellâ variarum rerum, uti nonnulli conjiciunt, adulteretur. Inter purgantia mitiora & tutiora primatum ducit, & ideò familiaris eſt uſûs in febribus acutis & morbis pectoris, ubi catharſi opus eſt. Solvitur in aquâ, juſculo, &c. ab unciâ unâ ad tres. Ipſi additur, ut diluatur ſapor nauſeoſus, cremor tartari, ſal epſonienſe, ſuccus limonum, &c. Notare juvat mannam efficaciorem & minùs nauſeabundam fore, ſi aquâ tepidâ, vel planè frigidâ ſolvatur; ſecùs verò evenire, ſi coctioni committatur.

CATHAR-TICA.

Larix, abies, nux, nonnullæque Alpium arbores mannam, quam vocitant brianconenſem, præbent, ſed inferioris ordinis.

(21.) *Scammonium* eſt gummi-reſina, levis & friabilis; nigricans, ab admotâ linguâ humidâ albicans, & quaſi lacteſcens, ſapore ſubamaricante, nauſeoſo, & odore virulento; quæ ab Smyrnâ & Alepo nobis affertur, & elicitur è radice cujuſdam convolvuli ſyriaci, de quo MORISSON. Alepenſe pro præſtantiori habetur. In purgantium ordine admittitur; & datur à granis quatuor ad octodecim. Sed raro per ſe exhibetur; quin potiùs aliis catharticis, calcaris inſtar, refractâ doſi ſociatur. Uſitatius eſt ejus extractum, *diacrydii* nomine notum, cujus doſis inter grana tria & quindecim continetur. Utrumque formâ ſiccâ præſcribitur; cùm ægrè diſſolvatur in poculentis aqueis. Hoc caveant debiliores; ad hæmorrhagiam proclives; quorum viſcera æſtuant, &c. etenim ſi importunè præcipiatur, tormina, hypercatharſim, teneſmum & dyſenteriam accerſere valet. De reſinâ ſcammonii infrà.

(22.) *Gummi gutta* vocitatur quoddam concretum gummoſo-reſinoſum, durum, friabile, colore luteo ſplendente; quod pro ſucco cujuſdam tithymali ſinenſis à nonnullis habetur: dùm alii illum fluere autumant è quibuſdam arboribus, de quibus in horto Malabarico. Inter cathartica draſtica vehementiora recenſetur: ideò celebratur in hydrope & affectibus arthriticis; non ſecùs ac in febre quartanâ, aliiſque intermittentibus pertinacioribus. In quovis liquido ſolvitur; vel ſub boli, pilularumve formâ exhibetur à granis duobus ad duodecim, imò & ſcrupulum unum. Sed cave ne vomitum, ſuperpurgationem, vel fluxum dyſentericum excitet. Ipſi plerúmque ſociatur ſal tartari, cujus ope emendari ejus noxias qualitates vulgò creditur. Sunt qui hanc reſinam exhibent ad drachmam unam, & ultrà, cum mannæ ſolutione, aut quovis alio hauſtu pingui; nùm rectè? viderint practici.

(25.) *Aquæ frigidæ Sedlicenſes*, (*de Sedlitz*), vici Bohemiæ, novem leucis à Pragâ diſtantis, versùs Auſtrum; ſcatent ſale neutro amaro, Epſonienſi ſimillimo; atque tanto proventu ut nonnulli Chymici, haud inferioris ſubſellii, fraudem ſuboluerint. Catharſim movent, alvo remanente humidâ; quo fit ut cæteris purgantibus præſtent. Ideò auxiliantur ſcorbuticis & hypochondriacis, qui de alvo adſtrictâ conqueruntur; atque conducunt in vertigine & cordis palpitatione, quibus prædicti ſunt obnoxii. Inſuper anthelminticorum claſſem ſubeunt; nec ipſis denegatur locus in ordine aperientium: proſunt denique mulieribus ad poſtremam menſtruæ purgationis periodum accedentibus. Propinantur à librâ unâ ad duas, ad alvum reſerandam: ſub alio ſcopo refringitur doſis; & uſus protelatur ad ſeptem vel octo dies. Adversùs progeniem verminoſam infantum, præcipi ſolent ab unciis quatuor ad ſex.

(24.) *Aquæ frigidæ Merienſes*, (*de Miers*), vici regionis Aquitaniæ, (*le Quercy*); à Cadurco (*Cahors*) novem leucis in Aquilonem recedentis

propè Dordoniam (*la Dordogne*); ſapore auſtero, ferrum quaſi ſpirant. Vi refrigerante catharticâ celebrantur; obſtructiones reſerant & diureſim movent. Ideò hypochondriacis & hyſtericis opitulantur; febres intermittentes diuturniores fugant; morbis renum & veſicæ occurrunt; laudem merentur in fluore albo, &c. Non ſecùs ac Sedlicenſes circumferuntur; ſed facillimè putreſcunt, ſi lagenæ haud ritè obturentur.

CATHARTICA.

(25.) *Aquæ thermales Motenſes* (*de la Motte*), pagi Delphinatûs, propè Gratianopolim, à quâ civitate abeſt ſex leucis, versùs Notum; haud longè à loco illo celebri, è quo prodeunt flammæ. Prædictæ aquæ intenſè calidæ, ſulphur & bitumen redolentes, inter cathartica recenſeri debent; ventriculum refocillant; diureſim movent; atque obſtructionibus & infarctibus ſkirrhoſis medentur. Extùs admotæ, balneo vel irrigatione ab alto, vi roborante, reſolvente, pſoricâ, & detergente inſtruuntur.

(26.) *Sal catharticum amarum*, & *Epſonienſe* (*Sel d'Epſom* ou *d'Angleterre*), haud unum & idem ſonant; licèt iiſdem fermè polleant viribus & à pleriſque non diſtinguantur. Sal Epſonienſe evaporatione aquarum Epſonienſium, ad ſcrupulum unum è quâque librâ aquæ, in Angliâ conficitur: hinc patet cur raròoccurrat in noſtris officinis; ubi proventu uberrimo proſtat ſal quoddam artificiale, ſal epſonienſe vel anglicum falsò dictum; quod rectiùs catharticum amarum vocitatur; & conficitur è ſalis culinaris lixivio, quâdam enkeireſi, & additione acidi vitriolici. Utrumque enim conſtare ſale marino, acidis vitrioli imprægnato, pro comperto manet apud Chymicos. Illud notare expedit quòd ſal catharticum amarum facillimè diſſolvatur in aquâ, ad proportionem anaticam. Inter præſtantiora cathartica numeratur; & præfertur ſali rupellenſi; imò & Glauberiano à quo, juxtà ſolertiorum Chymicorum mentem, vix diſcrepat; illud tamen caveant hydropici, phthiſici & paralytici. Exhibetur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis. Si imminuatur doſis alias vires acquirit: diureſim nempè movet & obſtructiones reſerat. Potionibus miſcetur, non ſecùs ac ſal vegetabile, ad extrahendam aliorum catharticorum tincturam: reſinis purgantibus ſociatur, ut emendentur earum noxiæ qualitates; & acuantur catharticæ; quod experientiæ conſonum eſſe videtur. Ingreditur demùm enemata purgantia ab unciis duabus ad tres. Haud abs re erit hùc adjicere quod in nonnullis officinis reperiatur ſal quoddam hiſpanicum, à prædictis vix diſſimile; quod ſcilicèt eâdem ratione uſurpatur.

(27.) *Sal Sedlicenſe*, (*Sel de Sedlitz* ou *de Bohême*), ex aquâ cognomine, de quâ ſuprà, extrahitur. Ab epſonienſe diſtinguitur minori pelluciditate & colore quaſi lacteo: intenſiùs præterea amaricat & crebriùs ſtomachum ſubvertit. Prædictis tamen minime cedit ratione virium catharticarum; ac eâdem methodo uſurpatur, paulò tamen minori doſi; à drachmis ſcilicèt duabus ad ſex. Notare expedit quòd alia proſtent ſalia cathartica affinia, ſal nempè egranum (*ſel d'Egra*); ſal thermarum carolinarum (*ſel de Carlsbad*); ſal eſteranum (*ſel d'Eſter*); ſal wisbadenſe, (*ſel de Wisbad*): quæ ſanè parùm diſcrepant à ſale ſedlicenſe.

Cathartica.

(28.) *Syrupus de roſis pallidis* è triplici infuſione horumce florum, cum ſaccharo ex arte coquendâ paratur. Pro mitiori laxante habetur, & ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam & ſemis præcipitur. Nuſquàm ferè, niſi infantibus, per ſe datur, ſed vulgò additur potionibus catharticis.

(29.) *Syrupus roſatus compoſitus*, cum ſennâ & agarico, ſic conficitur. Infunduntur per viginti quatuor horas ſenna & agaricus cum tartaro ſolubili, in ſucco ritè depurato roſarum pallidarum; & coquitur expreſſio cum ſaccharo, juxtà ſolitam methodum. Inter purgantia hydragoga jure recenſetur; ideò confert cachecticis & hydropicis. Plerúmque additur potionibus catharticis à ſemi-unciâ ad unciam unam: rarò ſolus propinatur.

(30.) *Syrupus de cichorio compoſitus* cum rheo; paratur miſcellâ infuſionis rhei & ſinapi de cichorio compoſiti, quem ſcilicèt ingrediuntur variæ plantæ hepaticæ, aperientes & diureticæ. In agmine blandiorum laxantium recipitur; atque vi temperante, aperiente & ſtomachicâ inſtruitur. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis in aquâ cichoriâ, cui addere licet tincturam martis; tartarum martialem ſolubilem, &c. Utplurimum etiam diluitur in hauſtibus catharticis. Familiariſſimè per ſe datur infantibus à drachmis duabus ad unciam unam.

(31.) *Syrupus de pomis* nil aliud eſt quàm ſuccus pomorum, borraginis & bugloſſi, in quo infunduntur folia orientalia, cum nonnullis aromatibus. Satis palato arridet & alvum blandè movet. Additur, inſtar ſuperiorum, potionibus catharticis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis. Crebriùs eâdem doſi per ſe uſurpatur pro infantibus.

(32.) *Syrupus de rhamno cathartico* paratur ſucco ritè depurato baccarum hujuſce fruticis, cum ſaccharo juxtà notiſſimam artem cocto. Inter hydragoga eximia celebratur; ideò conducit in cachexiâ & hydrope; occurrit arthritidi & rheumatiſmo; pluribus aliis affectibus chronicis opem fert. Præſcribitur ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam & ſemis Vulgò propinatur ante cibum, ut alimenta ejus nocivas vires infringant; quod haud malè ſuccedit, ubi ſolâ purgatione opus eſt.

(33.) *Pulvis Cornachini*, vel de tribus, conſtat diacrydio, cremore tartari & antimonio diaphoretico, anaticâ proportione receptis. In catharticorum exquiſitiorum tractu admittitur; & exhibetur à ſemi-ſcrupulo ad ſcrupulos duos; dilutus in juſculo, aliove liquido; vel ſub formâ boli. Haud diutiùs quàm par eſt ſervari debet in officinis prædictus pulvis ob antimonium diaphoreticum; quod vetuſtate correptum & nauſeoſum ſummam perniciem inferre valet, uti ſuprà notavimus.

(34.) *Elaterium* audit extractum; vel ſuccus inſpiſſatus, fructuum matureſcentium cucumeris ſylveſtris; contuſione, maceratione, expreſſione & evaporatione paratus. Inter purgantia draſtica numeratur; & raro uſurpatur niſi adversùs morbos herculeos, apoplexiam nempè, affectus comatoſos & hydropem, præſertim aſcitem. Præſcribitur à granis duobus ad decem vel duodecim. Ejus pulvis extùs nonnunquàm adhibetur ad ſternutationem ſcilicèt promovendam.

(35.) *Diaprunum ſimplex* malè ſic inſcribitur, cùm variarum rerum farragine conſletur; è floribus ſcilicèt violarum & roſarum rubrarum; è ſeminibus violæ, portulacæ & oxyacanthæ; è ſucco cydoniorum; è radicibus polypodii & liquiritiæ, è ſantalis, &c. inter quæ prædominium obtinent pruna damaſcena. Roſas rubras & ſantala ex hoc electuario reſecanda eſſe jure cenſebat Lemery; cui neſcio quâ ratione ducti; aſſenſum denegarunt codicis Pariſienſis Authores. Raro per ſe datur diaprunum; ſed plerùmque ſolvitur in hauſtibus catharticis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis. Si huic addatur ſcammonium ritè lævigatum; emergit, *diaprunum*, ut inquiunt, *ſolutivum*; cujus vires catharticæ hoc ſtimulo acuuntur; & doſis inter drachmam unam & drachmas ſex continetur.

(36.) *Lenitivum* vocitatur electuarium purgans uſitatiſſimum; quod exſurgit è miſcellâ blandiorum catharticorum, prunorum ſcilicèt, caſſiæ, tamarindorum & ſennæ; quibus accedunt emollientia & demulcentia varia. Præſcribitur ab unciâ unâ ad unciam unam & ſemis.

(37.) *Catholicum duplicatum rheo* paratur polypodii, cichorii, liquiritiæ, &c. decocto; quod iterùm ebullitioni traditur cum ſaccharo ad mellis conſiſtentiam: additis poſteà caſſiâ, tamarindis, ſennâ, rheo, ſeminibus frigidis, &c. ut hinc emergat electuarium purgans, quod cæteris catharticis utplurimùm ſociatur, à drachmis duabus ad unciam unam. In uſum familiariſſimum cedit; præſertim ſub alvi profluviis.

(38.) *Confectio Hamec*, præter variarum rerum, tàm laxantium, quàm adſtringentium inconcinnam farraginem; agaricum, ſcammonium & colocynthidem admittit. Cur fit ut inter purgantia mochlica numeretur hoc electuarium; & raro, niſi robuſtioribus exhibeatur, à drachmâ unâ ad ſex.

(29.) *Trochiſci alhandal*, ſic dicti ab Arabico nomine fructûs colocynthidis; cujus pulvis excipitur gummi tragacantho. Inter cathartica valentiora recenſentur; ac laudantur in apoplexiâ, affectibus comatoſis, paralyſi, hydrope, &c. Cautè exhiberi debent prædicti paſtilli, qui nonnunquàm tormina, hypercatharſim cruentam, aliave ſanguinis profluvia excitant. Earum doſis à granis duobus ad duodecim. Cæteris catharticis plerùmque ſociantur; doſi nempè congruâ; additorum habitâ ratione.

(40.) *Trochiſci de agarico*, è pulvere hujuſce ſubſtantiæ fungoſæ, albiſſimæ; & infuſione zingiberis in vino albo conficiuntnr. Inter cathartica media præſtantiora recenſentur; atque aperientium vel diureticorum claſſem ſubeunt: conducunt in affectibus ſoporoſis & paralyſi; laudantur in cachexiâ & hydrope; opportunè exhibentur adversùs febres intermittentes & præſertim quartanam; valent in arthritide, variiſque affectibus chronicis pertinacioribus. Doſis in ſubſtantiâ à granis octo ad ſemi-drachmam, & ab ſcrupulo uno ad drachmam unam in infuſo aut decocto. Notare licet prædictos trochiſcos debiliores vetuſtate evadere; & hinc minoris efficaciæ.

CATHARTICA.

(41.) *Pilulæ hydragogæ Bontii*, è gummi guttâ, aloë & gummi ammoniaco ſimpliciſſimâ arte parantur. Solvuntur enim prædictæ materies in aceto acerrimo; & colatura evaporationi ſubmittitur. Summè deprædicantur, nec immeritò, adversùs quamcumque colluviem ſeroſam; præſertim ab infarctu viſcerum prognatam. Doſis à granis duodecim ad quindecim.

(42.) *Pilulæ angelicæ*, à nonnullis *Grains de vie*, ex agarico, rheo, & cinnamomo, quæ excipiunt extractum cichorii, borraginis, lupuli, fumariæ & roſarum pallidarum, aloë imprægnatum, conficiuntur. Ante cœnam degluciuntur; ut edulia nocivas aloës particulas obvolvant. Hâc cautelâ catharſim blandè movent, ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Ipſis addere licet nonnulla grana diacrydii, ubi metus eſt ne ſolitum effectum minime exerant.

(43.) *Sal polychreſtum* conficitur è fuſione nitri in crucibulo; cui per vices injiciuntur flores ſulphuris, ut eorum conflagratione auferantur, ut inquiunt, ſpicula nitri acida; quæ aliàs quamdam pulmonibus labem inferre poſſent. In hydragogorum ordine, haud infimum gradum conſequitur prædictum ſal: ideò deprædicatur in hydrope, etiam pectoris. Doſis à drachmis duabus ad ſex: vel quot horis ad drachmam unam exhibetur, donec alvum ſolvat. Additur plerúmque potionibus catharticis à drachmâ unâ ad duas. Non ſecùs ac cætera cathartica vi aperiente & diureticâ gaudet, ſi refractâ doſi adhibeatur.

(44.) *Sal rupellanum*, vulgò *Sel de Seignette*, nil aliud eſſe videtur quàm cremor tartari, qui, proceſſu notiſſimo, ſolubilis evadit acceſſu cryſtallorum kali Alicantini. Nil ingrati præ ſe fert; & inter cathartica blandiora eminet. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis, in quovis poculento pro curantis arbitrio ad unum vel plures hauſtus. Aliorum ſalium inſtar inſervit ad extrahendam variarum rerum catharticarum, vel alterius indolis, tincturam ab ſcrupulo uno ad drachmam unam pro quâque aquæ librâ.

(45.) *Reſina jalapæ* eſt quoddam extractum illius radicis Mexicanæ, ope ſpiritûs vini, multiplici digeſtione & ſolitâ evaporatione paratum. In numerum purgantium hydragogorum adſciſcitur; hinc prodeſt cachecticis & hydropicis: ſed cavendum ne in grumos abeat, qui inteſtinorum rugis hærentes tormina concitant: ideò in pulverem tenuiſſimum redigi debet, quotiès in ſubſtantiâ exhibetur. A granis tribus ad duodecim, boli vel pilularum formâ præſcribitur. Familiaris eſt usûs, doſi congruâ, in opiatis purgantibus & incidentibus: ac nonnunquàm ingreditur emulſiones. Facilè diſſolvitur in oleo amygdalarum dulcium, ovi vitello, vel ope ſacchari; non ſecùs ac aliæ reſinæ. Scire expedit reſinam jalapæ ſæpiùs adulterari, variis materiebus nunc catharticis, nunc alterius naturæ; adeò ut pro infido remedio à ſolertioribus habeatur.

(46.) *Reſina ſcammonii* ſimili proceſſu paratur, & eaſdem fermè vires obtinet: ſed paulò minori doſi præſcribitur, à granis ſcilicèt duobus ad octo. Iiſdem cautelis, nec aliâ methodo, uſurpatur.

STOMACHICA ET CARMINANTIA.

PRIMATUM ducunt in ſerie ſtomachicorum balſamica & aromata; quæ excipiunt plantæ fragrantes indigenæ, quarum nonnullæ, ratione virium, materiebus exoticis minime cedunt. Utraque putredinem arcent; ſtomachi vires fractas in integrum reſtituunt; ejuſque motionibus ſpaſmodicis medentur: cur fit ut dolores ab hâcce causâ ortos compeſcant; hinc ſub hâc conditione jure dicuntur carminantia, quaſi carmine demulcerent. Inſuper ea fuit veterum, circà ſtomachica, mens; ut id genus remedia flatus diſcutiant. Nonnulli econtrà recentiores in eâ ſunt ſententiâ, ut ab horum acceſſu ulteriùs rareſcat inibi incarceratus aër; & ideò morbus exaſperetur: cui tamen poſtremæ opinioni aſſenſum denegat, multiplici experientiâ fretus, clariſſimus HALES. Si quid de hâc re conjicere liceat; facilè crediderim, diuturnâ praxi edoctus, quòd hæcce medicamina flatibus retentis egreſſum largiri queant; oppugnando ſcilicèt conſtrictionem illam ſpaſmodicam, quâ occluduntur ſtomachi & inteſtinorum aditus. Extrà enim dubii controverſiam poſitum eſſe videtur *flatulentiæ* obnoxios, hypochondriacos nempè, æquè ac hyſtericas, affectione ſpaſmodicâ proteiformi, in abdominis viſcera præſertim ſæviente, torqueri: quâ fit ut digeſtionis reliquiæ in ſtomacho & tubo inteſtinali diutiùs quàm par eſt nidulentur; à quâ morâ & calore loci emergit quædam fermentatio, ſit verbo venia, quâ moleculæ aëreæ extricantur, vel ab alimentorum compedibus ſolvuntur; & quaſi ſui juris factæ in bullas coëunt, quæ oſcula venarum lactearum nuſquàm ſubire valent; atque nonniſi laxatis oſtiis per ſuperiora vel inferiora exitum ſibi parant. Hæc munia præſtare videntur carminantia; dummodò, præmiſſis præmittendis, vel opportunè exhibeantur.

E quibus colligere datur præcipua ſtomachica & carminantia, quæ complectitur hæc claſſis, duplici modo ſuam actionem exerere in digeſtionis organa; debiliores nempè horum viſcerum fibras inſtaurando; haſque ſpaſmodicâ conſtrictione correptas laxando. Quænam ſit eorum agendi ratio viderint phyſici, quibus lampada tradimus. Licèt ſtomachica catharticis minùs ſint pertimeſcenda, cautè tamen exhiberi debent, ne ad ſanguinem appellendo, vehementiorem æſtum concitent. Notare expedit ſtomachica conſultò ſæpiùs purgantibus per alvum ſociari: atque etiam apprimè miſceri cum hypnoticis. Præter aromata & balſamica, quæ uti ſuprà innuimus primum ſanè locum in hâc claſſe merentur; alia diverſæ ſortis ſtomachica occurrunt quæ nonnunquàm primis palmam præripiunt, abſorbentia ſcilicèt, amara & acida quorum delectus à ſaburrâ acidâ, vel alkalinâ, in primis viis hoſpitante præcipuè pendet: de quibus ſatis ſuperque alibi.

Stomachica.

EMPORETICA.

Radices imperatoriæ, angelicæ, caryophyllatæ, ireos germanicæ, fraxinellæ, valerianæ hortenſis, gentianæ, & enulæ campanæ. Allium, rheum, zingiber, zedoaria, acorus, calamus verus [1], coſtus Arabicus, cyperus longus, galanga, ſerpentaria virginiana, nardus indica.

Folia botryos [2], abrotani [3], cerefolii [4], dracunculi [5], ſalviæ, majoranæ, mari [6], meliſſæ, rutæ, ocymi, origani, pulegii, ſatureiæ, tanaceti, abſinthii, chamædryos, centaurii minoris, ribes nigri, the... Flores aurantiorum, ſalviæ, roriſmarini. Crocus.... Fructus cydoniorum, kynorrhodontis.... Baccæ lauri [7], juniperi [8]... Cortex aurantiorum, limonum, citreorum.... Nux moſchata vulgaris, vel condita.... Piper. Caryophylli [9], cubebæ [10], cardamomum, amomum racemoſum [11], caffe, vanilla, cacao [12].... Semina aniſi [13], anethi [14], coriandri [15], ammeos [16], apii, carvi [17], cumini [18], dauci cretici [19], ſinapi, feniculi, erucæ, petroſelini; ſemen ſantonicum.... Kinakina, caſcarilla, caſſia lignea, cinnamomum, cortex Winteranus.... Simarouba, lignum lentiſci.... Catechu, maſtiches, aloë, myrrha, ambra cineritia.... Balſama naturalia.... Vinum Cyprienſe, Hiſpanicum, alterumve generoſum, aqua vitæ.... Chocolatum, cornu cervi.... Aquæ Forgienſes, Paſſiacæ [20], Cranenſes [21], Bellilucanæ [22], Plumberianæ [23], Luxovienſes, Vicienſes, Baregienſes, Vervonenſes, Borbonienſes Arcimbaldicæ, Granenſes, Cauterienſes [24], Bonenſes, Dinienſes, Montis Aurei.

OFFICINALIA.

Aqua florum & corticum aurantiorum, menthæ, nucum, ſalviæ, roſarum rubrarum, baccarum juniperi.... Aqua picea [25].... Vinum abſinthites.... Balſamum Fioraventi, Commendatoris [26].... Syrupus de abſinthio, de cichorio cum rheo, de ſtœchade, mercurialis, de roſis ſiccis, de cydoniis, myrtinus compoſitus.... Extractum juniperi, abſinthii, gentianæ, enulæ campanæ, rhabarbari... Conſerva florum aurantiorum, roſarum rubrarum, kynorrhodontis, radicum helenii.... Saccharum roſatum.... Opiata Salomonis [27], theriaca, orvietanum, diaſcordium, mithridatium, confectio de hyacintho, electuarium de baccis lauri... Tabellæ de terrâ japonicâ.... Sal abſinthii, centaurii minoris.... Aqua cinnamomi ſpirituoſa & hordeata, imperialis, meliſſæ compoſita, Reginæ Hungariæ,

Hungariæ, theriacalis, divina vel mirabilis.... Spiritus juniperi, tinctura abſinthii, caryophyllorum.... Elixirium Garuſi ([28]), proprietatis, Stoughton ([29]).... Quinta eſſentia abſinthii ([30]).... Guttæ anodynæ Sydenhami, anodynum minerale Hoffmanni ... Balſamum ſulphuris aniſatum, oleum cinnamomi, eſſentia corticum citrei ([31]).

STOMACHICA.

MAGISTRALIA.

HAUSTUS.

℞ *Elixirii proprietatis* à guttis quindecim ad triginta. *Aquæ florum aurantiorum*; vel *vini generoſi* unciam unam. Miſce pro hauſtu, ad cardialgiam.

℞ *Elixirii Garuſi* à drachmâ unâ ad duas. Miſce cum tantillo *aquæ meliſſophylli*, pro hauſtu Ad dolores ſtomachi.

℞ *Aquæ Reginæ Hungariæ* à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. *Aquæ cardui benedicti* uncias tres. Miſce. Fiat hauſtus tepidè exhibendus. In eumdem ſcopum.

℞ *Florum chamæmeli* & *ſeminum aniſi* ana pugillum unum. Infunde in *vini generoſi* unciis quatuor. Adde tantillum *pulveris nucis moſchatæ*; & *olei amygdalarum dulcium* unciam unam. Pro hauſtu. Ad flatulentiam.

℞ *Infuſi ſalviæ* uncias quatuor. *Opiatæ Salomonis* ſemi-drachmam. *Sacchari* drachmas duas. *Balſami Commendatoris* guttas decem. Miſce. Fiat hauſtus. Ad dolores compeſcendos.

℞ *Succi limonis* cochlear unum. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum, vel ſemi-drachmam. Miſceantur & peractâ fermentatione, exhibeatur hauſtus. Ad vomitum febrilem.

POTIO.

℞ *Aquæ cichorii* & *florum aurantiorum* ana uncias tres. *Seminum aniſi* pulveratorum ſcrupulum unum. *Corticis Peruviani* in alkool redacti ſemi-drachmam. *Confectionis de hyacintho*, *ſalis abſinthii* ana ſcrupulum unum. *Syrupi de gentianâ* unciam unam. Miſce. Fiat potio cochleatim ſumenda.

℞ *Aquæ menthæ* uncias ſex. *Salis tartari* drachm. duas. Fiat mixtura anti-emetica cochleatim exhibenda in juſculo.

℞ *Aquæ menthæ* & *baccarum juniperi* ana uncias duas. *Aquæ naphæ* unciam unam. *Catechu*, *ſeminis ſantonici*, *ſalis abſinthii* ana ſcrupulum ſemis. *Opiatæ Salomonis* drachmas duas. Miſce. Fiat potio cochleatim exhibenda.

℞ *Vini albi* unc. duodecim. *Spirit. vini* uncias duas. *Vitell. ovi* unum. *Sacchari albi* unciam unam. *Olei cinnamomi* drachm. unam. Miſce pro uſu. Doſis ad unum vel alterum cochlear.

EMULSIO.

Stomachica.

℞ *Semin. frigid. majorum* drachmas tres. *Amygdal. dulcium* paria tria. Contunde, ut artis eſt, in aquæ unciis ſex. Colaturæ coctæ adde *aquæ florum aurantiorum* ſemi-unciam. *Corallii præparati* ſemi-drachmam. *Syrupi cydoniorum* unciam unam. Miſce. Fiat emulſio.

INFUSUM.

℞ *Radicis gentianæ* minutim ſectæ drachm. duas. *Corticis recentis aurantiorum* ſemi-unciam. Superaffunde aquæ ferventis uncias duodecim. Infunde per horam & cola. Doſis ab unciâ unâ, ad duas.

℞ *Foliorum menthæ* & *florum chamæmeli* ana pugillum unum. Infunde calidè per ſemi-horam in aquæ unciis ſex. Colaturæ adde *ſyrupi papaveris rubri* unciam unam. Fiat potio cochleatim exhibenda infantibus torminoſis.

APOZEMA.

℞ *Rad. ſiccæ helenii* drachm. ſex. *Folior. fumariæ* & *dentis leonis* ana manip unum. *Summitatum centaurii minoris* pugillum unum. Coque in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrup. de cichorio cum rheo* uncias duas.

℞ *Radicis gentianæ* in taleolas ſectæ, drachmas duas. Bulliat per horæ ſemi-quadrantem in aquæ libris quatuor. Tùm adde *ſummitatum centaurii minoris* & *ſcordii* ana pugill. unum. *Corticis citrei recentis* ſemi-unciam. Infunde donec frigeſcant, & decanta pro uſu.

JUSCULUM.

℞ *Rad. enulæ campanæ* drachm. duas. *Fol. cichorii* & *fumariæ* ana manip. ſemis. *Summit. abſinthii minoris* pugill. unum. Coque ex arte in juſculo pulli.

℞ *Rad. gentianæ* drachm. unam. *Fol. tanaceti* & *ſcordii* ana manip. ſemis. *Raſuræ cornu cervi*, in nodulo, ſemi-unciam. Fiat ex arte juſculum cum fruſto carnis vervecinæ.

VINUM.

℞ *Kinækinæ tritæ* uncias duas. *Vini generoſi* libras tres. Infunde, & inſola per octiduum in lagenâ obturatâ, identidem agitando. Doſis ab unciis duabus ad quatuor.

℞ *Radic. gentianæ* incis. uncias duas. *Vini albi* libras duas. Digere per tres dies. Doſis ab unciâ unâ ad tres, bis in die.

℞ *Corticis Peruviani* triti unciam unam. *Baccarum juniperi* ſemi-unciam. Infunde calidè per noctem in vini albi libris duabus. Doſis ab unciis duab. ad quatuor.

STOMACHICA.

℞ *Radic. recentium enulæ campanæ* uncias duas. Infunde frigidè per quindecim dies. Vaſe ritè obturato in *vini generoſi* libris duabus. Doſis ab unciâ unâ, ad tres.

℞ *Summit. centaurii minoris* ana manip. unum. *Foliorum ſcordii* manip. ſemis. Infunde per viginti quatuor horas in *vini albi* libris duabus. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Acori* per taleolas ſecti unciam unam. *Corticis ſicci aurantiorum* drachmas duas. Infunde per biduum in vini libris duabus. Cola pro uſu. Doſis ab unciâ unâ, ad duas.

℞ *Radicum gentianæ* drachmas duas. *Summitatum abſinthii minoris* & *chamædryos* ana pugillum unum. *Baccarum juniperi* manipulum ſemis. *Cinnamomi* contuſi ſcrupulum unum. Infunde frigidè per biduum in *vini albi* libris duabus. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis duabus ad tres.

TINCTURA.

℞ *Radicis gentianæ*, *corticis ſicci aurantiorum* ana uncias quatuor. Infunde calidè per quatuor dies, vaſe ritè obturato in ſpiritûs vini libris duabus. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis à guttis duodecim ad viginti *in vini* unciis duabus.

℞ *Corticis Peruviani* in pulverem redacti uncias duas; *radicum gentianæ*, & *corticis aurantiorum* ana unciam unam. Infundantur balneolo per quatriduum in *aquæ vitæ* libris duabus. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis à drachmâ unâ ad duas in aquæ fontanæ unciis circiter duabus; ſemel vel bis in die. Valet in hyſteri & hypochondriaſi.

AQUA PICEA.

℞ *Picis liquidæ* menſuram unam. Superaffunde aquæ fontanæ menſuras quatuor. Agita ſpatulâ ligneâ per horæ ſemi-quadrantem. Sine ſubſidentiam per biduum. Oleum ſupernatans exime. Aquam dein decanta ut ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis quatuor ad ſex. De aquâ piceâ officinarum mox in commentariis.

PULVIS.

℞ *Zedoariæ*, *caſtorei* ana grana quindecim. Miſce. Fiat pulvis exhibendus in *aquâ naphæ*. Sedat dolorem ſtomachi.

℞ *Spermatis ceti* & *ſacchari* ana ſemi-drachm. *Caſtorei* grana duo. Fiat pulvis ex arte. Ad dolorem colicum.

℞ *Galangæ minoris* ſcrupulum unum. *Croci orientalis* grana quatuor. Miſce. Fiat pulvis exhibendus in vino, vel *aquâ cinnamomi*. Ad eumdem uſum.

℞ *Cremoris tartari* drachm. unam. *Semin. aniſi* ſemi-drachmam. *Caryophyllorum* ſcrupul. unum. *Sacchari roſati* drachm. duas. Miſce. Fiat pulv. pro ſex doſibus.

STOMACHICA.

℞ *Kinækinæ* ſcrup. unum. *Caſſiæ ligneæ* grana decem. *Caſtorei* grana octo. *Olei cinnamomi* guttam unam. Miſce. Fiat pulvis, eumdem effectum præſtans.

℞ *Radicum ariſtolochiæ rotundæ* & *gentianæ* ana unciam unam. *Fol. chamædryos* & *chamæpityos* ana manip. ſemis. Fiat ex arte pulvis. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Ad arthritidem.

℞ *Radic. ſerpentariæ virginianæ, gentianæ* & *enulæ campanæ*, ana grana ſex. *Olei nucis moſchatæ* guttam unam. Miſce. Fiat pulvis exhibendus ex *infuſo chamædryos*.

℞ *Corallii præparati, caſcarillæ, cornu cervi præparati* ana grana viginti. Miſce. Fiat pulvis pro tribus aut quatuor doſibus.

℞ *Seminis coriandri* uncias quatuor; *zinziberis albi* unciam ſemis; *croci orientalis* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat pulvis, cujus doſis ab ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.

℞ *Caſtorei* drachmas duas; *ſeminis aniſi* & *corticum aurantiorum* ana ſemi-unciam. Miſce. Fiat pulvis, cujus doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam.

B O L U S.

℞ *Extracti juniperi* & *abſinthii* ana ſemi-drachmam. *Salis abſinthii* grana decem. Miſce pro bolo, pane azymo involvendo.

℞ *Opiatæ Salomonis* ſcrupulos duos. *Extracti abſinthii* ſcrupulum unum. *Elixirii proprietatis* guttas quatuor. Miſce. Fiat bolus.

℞ *Acori* grana quindecim. *Radicum helenii* grana decem. *Ambræ cineritiæ* granum unum. *Sacchari candidi* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo cidoniorum*.

℞ *Pulveris kinækinæ* ſemi-drachmam. *Croci martis* grana octo. Miſce. Fiat bolus, cum *ſyrupo de abſinthio*.

℞ *Diaſcordii* drachm. unam. *Caſtorei* grana octo. *Laudani* ſemi-granum. Miſce pro bolo.

℞ *Theriacæ* ſemi-drachmam. *Caſſiæ ligneæ* ſcrupulum unum. *Olei cinnamomi* guttas duas. *Laudani* ſemi-granum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de papavere albo*. Ad vomitum & ſingultum.

O P I A T A.

℞ *Extracti juniperi* & *conſervæ enulæ campanæ* ana drachmam unam. *Rhei* & *ſalis abſinthii* ana drachmam ſemis. *Nucis moſchatæ* ſcrupulum unum. *Cinnamomi* grana quindecim. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio*. Pro quatuor doſibus.

℞ *Opiatæ Salomonis* unciam unam. *Extracti juniperi* & *abſinthii* ana ſemi-unciam. *Corticis citrei* & *foliorum abſinthii* ana drachmam unam. Miſce. Fiat opiata. Doſis à drachmâ unâ ad duas

℞ *Conſervæ kynorrhodon* ſemi-unciam. *Extracti juniperi* & *rhabarbari* ana drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo mercuriali*.

℞ *Radicum enulæ campanæ* ſemi-unciam. *Corticis peruviani* drachmas duas. *Corallii præparati* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio compoſito*. Doſis à drachmâ unâ ad duas. STOMACHICA.

℞ *Conſervæ radicum helenii* ſemi-unciam. *Extracti juniperi* drachmas duas. *Lapillorum cancrorum fluviatilium ; caſſiæ ligneæ* ana drachmam unam. *Nucis moſchatæ* ſemi-drachmam. *Caryophyllorum* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de gentianâ*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Corticis peruviani* unciam unam. *Corallii præparati* ſemi-unciam. *Extracti juniperi ; ſalis abſinthii* ana drachmas duas. *Balſami peruviani ſicci* ſcrupulos duos. Miſce. Fiat opiata cum *extracto enulæ campanæ*. Doſis à drachmâ unâ ad duas.

℞ *Electuarii de baccis lauri, extracti martis* ana ſemi-unciam. *Kinækinæ ; ſalis abſinthii* ana drachmas duas. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis ſiccis*. Doſis à drachmâ unâ ad drachmam unam & ſemis.

PILULÆ.

℞ *Concharum præparatarum* drachmas ſex. *Antimonii diaphoretici & caſcarillæ* ana unciam ſemis. Fiant ex arte pilulæ cum *ſyrupo de gentianâ*; quarum doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

TROCHISCI.

℞ *Terræ Japonicæ, Gummi Arabici* ana unciam unam. *Sacchari roſati* ſemi-libram. Contunde & cum aquæ q. ſ. fiant trochiſci. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

COMMENTARIA.

(1.) CALAMUS VERUS, ſive amarus, odore fragrantiſſimo, eſt ſurculus plantæ cujuſdam arundinaceæ orientalis, de quâ MORISON. Ritè diſtinguendus venit à quâdam radice cognomine, vel calamo aromatico, ſeu acoro; de quo ſuprà. Licèt calamus verus viribus ſtomachicis roborantibus, &c. non ſecùs ac alia aromata inſtruatur; nuſquàm ferè uſurpatur, niſi ad præparationes officinales. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad ſemi drachmam, & ad duplum in infuſo.

(2.) *Botrys* ambroſioïdes vulgaris, C. B. pin. Chenopodium ambroſioïdes folio ſinuato, Inſt. rei herb. (*Ambroſie* ou *Piment*).

Botrys mexicana ambroſioïdes, C. B. pin. Chenopodium ambróſioïdes mexicanum, Inſt. rei herb. (*Thé du Méxique*).

Folia utriuſque ſpeciei, ſuaveolentia, inter præſtantiora ſtomachica roborantia & antiſpaſmodica recenſentur, atque in aperientium ordine recipiuntur. Ideò ſtomachum refocillant; proſunt in affectibus hypochon-

STOMACHICA.

driacis & hyſtericis; deprædicantur in obſtructione viſcerum abdominis; conferunt in aſthmate humido, &c. Indiſcriminatim, inſtar the uſurpatur utraque ſpecies, prima tamen pro præſtantiori habetur.

(3.) *Abrotanum* mas anguſtifolium majus, Inſt. rei herb. (*Aurone mâle*).

Gratiſſimum odorem citreum ſpargit hæc planta, & nonnihil amaricat: ejus folia ſtomachicorum claſſem ingrediuntur & in anthelminticorum ordine recipiuntur. Inſuper ratione virtutis tonicæ, in numero aperientium, diureticorum & emmenagogorum adſcribuntur: ideò egregiè ſe gerunt in cachexiâ, ictero & chloroſi; laudantur ſub febre quartanâ cæteriſque intermittentibus contumacioribus; aſthmaticis ſuccurrunt; nec inutilem opem præſtant in fluore albo, &c. In infuso aquoſo vel vinoſo, à pugillo uno ad duos, viridia præſcribuntur; ſicca verò, inſtar the, exhibentur. Eorum decoctum aqueum ſale marino impregnatum, extùs admotum plurimùm valet adversùs gangrænam. Cæterùm pro ſuccedaneo à nonnullis habetur abrotanum femina, vel ſantolina foliis teretibus, TURNEFORTII; ſed nulla, præter nomen, eſt affinitas inter haſce ſtirpes aromaticas.

(4.) *Cerefolium* Matth. Chærophyllum ſativum, C B. pin. (*Cerfeuil*).

Hujuſce oleris folia inter ſtomachica roborantia recenſentur; in numerum diureticorum & emmenagogorum aggregantur; depurantium & aperientium ſeriem ſubeunt; hepatis præſertim morbis dicantur & conducunt in hydrope. Pro egregio demùm reſolvente interno poſt graviores contuſiones habetur cerefolium; atque fămliariori uſu in hunc præcipuè ſcopum adhibetur. Succus ab unciis duabus ad quatuor in vino albo aut juſculo propinatur: folia præſcribuntur ad manipulum unum, tàm pro juſculo, quàm infuſi vel decocti librâ unâ: dantur, ſed rarò, in ſubſtantiâ à ſemidrachmâ ad drachmam unam. Extùs admota vi reſolvente donantur; & fauſtè uſurpantur adversùs tumores mammarum ab hærente lacte in hiſce organis: paratur ad hoc opus cataplaſma ex hiſce contuſis, calefactis & oleo roſaceo irroratis, quod parti dolenti admotum nutrices fauſto, utplurimùm, beat eventu.

(5.) *Dracunculus* hortenſis, C. B. pin. Abrotanum mas lini folio acriori & odorato, Inſt. rei herb. (*Eſtragon*).

Hæc planta, in hortis olitoriis culta, folia præbet eſculenta, quæ in ſtomachicorum ſtimulantium ordine locum tenent; & ad antiſcorbuticorum gradum provehuntur. Neminem helluonem fugit quòd ab hiſce comeſtis appetitus promoveatur: raròaliàs in uſum medicum veniunt; niſi quandóque, inſtar the, adhibeantur.

(6.) *Marum*, Cortuſi, C. B. Chamædrys maritima incana fruteſcens foliis lanceolatis, Inſt. rei herb.

Odorem gratiſſimum ſpargit, qui undique feles allicit: ipſique ineſt ſapor ſubacris cum nonnullâ amaritie. Inter ſtomachica roborantia numeratur; cephalicorum claſſem ſubit; & ad aperientia vel diuretica refertur:

ideò ſoporoſis ſuccurrit; cachecticis & hydtopicis auxilio eſt. Folia in infuſo inſtar the uſurpantur: vel exhibentur in ſubſtantiâ à granis quindecim ad ſemi-drachmam. STOMACHICA.

(7.) *Laurus* vulgaris, C. B. pin. (*Laurier franc*).

Laurus, virtutis & audaciæ olim præmium, ſuppeditat ad uſus medicos baccas & folia; quæ in ſtomachicorum tonicorum numero adſcribuntur; carminantium claſſem ſubeunt; diaphoreſim, urinam, menſes & lochia promovent; nec ipſis denegatur locus in agmine ſedantium, præſertim uterinorum. Baccæ præſcribuntur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſemi-drachmam; & ad duplum in infuſo. Folia aromatica & ſubamaricantia, tanquàm gratiſſimum ciborum condimentum adhibita, exhibentur, inſtar the. Utraque pro uſu externo ad roborantia & reſolventia referuntur: ex illis coctis in vino parantur fomenta & cataplaſmata efficaciſſima. Baccæ à drachmâ unâ ad duas ingrediuntur enemata carminantia & anodyna. Nonnulli pluris faciunt cataplaſma è foliorum & baccarum pulvere, cum oleo olivarum ſubacto paratum, & umbilico admovendum, ut partus promoveatur. Proſtant in officinis electuarium & oleum, de quibus ſuo loco. Notare expedit aliam eſſe lauri ſpeciem elegantiorem, quæ *laurus regia*, C. B. pin. (*laurier royal*) audit; & ſolis coquis, inſtar alterius, uſurpatur; nùm tutò? dubitare licet. Sed nullum eſt dubium circà laurum quamdam ſpuriam, quæ *lauro-ceraſus*, C. B. pin. (*laurier-ceriſe*) vocitatur: arbuſculum aſpectu jucundum, & in hortis ſollicitè cultum; cujus folia ab incautis nonnunquàm uſurpata, ſaporem amygdalinum etiam cibis conciliant; in quibus tamen pernicioſum deliteſcit venenum; uti è nonnullis luctuoſis mortis repentinæ exemplis; innumeriſque experientiis in diverſis animalibus hoc toxico enectis.

(8.) *Juniperus* vulgaris fruticoſa, C. B. pin. (*Genievre ordinaire*).

Juniperus vulgaris arbor, C. B. pin. (*Grand genievre*).

Utriuſque baccæ inter ſtomachica, & vires inſtaurantia celebrantur: in incidentium, aperientium, & diureticorum ordine continentur; pectoralium claſſem ſubeunt; in ſedantium antihyſtericorum ſerie admittuntur; nec ipſis denegatur vis antiſcorbutica: quapropter adverſùs digeſtionis vitia crebrò uſurpantur; colicæ flatulentæ medentur; diaphoreſim movent, ipſiſque tribuitur vis alexiteria; proſunt in pulmonum infarctu pituitoſo; renes è muco & arenulis liberant; imò & lithiaſim præcavere queunt: ſed vetantur ſub æſtu viſcerum. Doſis à ſemi drachmâ ad drachmam unam, & ultrà, in infuſo aquoſo aut vinoſo. Sed familiariùs uſurpatur *extractum*, quod conficitur coctione prædictarum baccarum; quæ trajecta evaporationi committitur ad conſiſtentiam: à nonnullis audit *theriaca Germanorum* & à ſemi-drachmâ ad drachmam unam exhibetur. Paratur quoque aqua diſtillata; quæ propinatùr ab unciis duabus ad ſex: de oleo infrà. Vires guaiaci & ſaſſafras à nonnullis tribuuntur ligno juniperi; nùm rectè? viderint practici.

(9.) *Caryophylli aromatici*, (*Clous de geroſle*): ſunt flores, ſi peregri-

Stomachica.

natoribus ſit fides, cujuſdam arboris inſularum Moluccenſium; formâ & proceritate ad laurum accedentis; qui leguntur priuſquàm expandantur; non ſecùs ac capparæ à noſtratibus colliguntur. De arbore, quæ illos præbet, mentionem ſubjecit Caſp. Bauhinus. Ejus fructus etiam in officinis reperiuntur ſub nomine antophyllorum. Caryophylli, odore fragrantiſſimo, inter aromata præſtantiora primatum ducunt: exhinc minime mirum ſi horum vires tonicæ, ſtomachicæ, cardiacæ & cephalicæ multùm celebrentur. Inſuper antiſpaſmodicorum gradum aſſequuntur: in aperientium & diureticorum numerum veniunt; nec improſpero ſucceſſu cachecticis & hydropicis exhibentur; ut de uſu culinari nil addam. Caryophyllos aromaticos præſcribere licet in ſubſtantiâ à granis quatuor ad ſcrupulum ſemis; & ad duplum in infuſo vinoſo. Sed crebriùs uſurpantur tinctura ſpirituoſa, & oleum; de quibus alibi. Præterea in ore tenentur caryophylli ad arcendum contagium: ſi maſticentur, copioſam educunt ſalivam; nec inutilem opem præſtant in linguæ paralyſi: ſacculis demùm incluſi & ſcrobiculo cordis admoti, vomitum compeſcere ſolent.

(10.) *Cubebæ* formâ & viribus ad piper accedentes, ſapore aromatico mitiori; prodeunt racematim diſpoſitæ è plantâ quâdam orientali, ſmilacis inſtar, ſarmentoſâ; quæ hactenùs parùm innotuit. Nonnullas compoſitiones pharmaceuticas ſubingrediuntur; & hâc ratione in officinis ſervantur; aliàs in uſum minime veniunt. Inter ſtomachica tamen & tonica locum merentur; & præſcribi queunt in ſubſtantiâ à granis ſex ad ſcrupulum unum; & ad duplum in infuſo. Cum nicotianâ nonnunquàm miſcentur, ut utriuſque fumus ore excipiatur, ad eliciendum majorem ſalivæ proventum; vel adversùs linguæ paralyſim; quod à practicis minime poſthabetur.

(11.) *Amomum racemoſum* (*Amome en grappe*), eſt fructus è decem circiter acinis vel folliculis, racematim diſpoſitis, conflatus, ſapore acri & odore fragrantiſſimo, nonnihil camphorato, plantæ cujuſdam cognominis & orientalis; viribus tonicis reſpectu ſtomachi, cordis & cerebri inſtruitur, amomum racemoſum; & nonnunquàm uſurpatur adversùs vertiginem, ſuppreſſionem menſium, &c. Sed potiùs ſervatur ad uſus duntaxàt officinales. Illud tamen præſcribere nil impedit, non ſecùs ac alia aromata, in ſubſtantiâ à granis decem ad ſemi-drachmam; & ad duplum in infuſo.

(12.) *Cacao*. Hoc nomine veniunt nuclei, ad piſtacia accedentes, qui in fructu cucumeriformi continentur. Hi nuclei, exempto putamine, nonnil amaricant cum quâdam adſtrictione. Vix inter ſtomachica recenſeri queunt, ni aromatis ſocientur; ſed gradum obtinent in ſerie pectoralium demulcentium; cur fit ut ex hiſce, numero ſex vel octo, torrefactis paretur emulſio tuſſientibus exhibenda. Sed vix in alium uſum, ni ad chocolatæ, de quâ infrâ, confectionem veniunt. Si in aquâ bulliant prædictæ amygdalæ, decoctum frigidum ſupernatat oleum, axungiæ inſtar, quod colligitur ſub titulo *butyri de cacao*; cui ineſt vis anodyna & pectoralis;

ralis ; atque utplurimùm ſubigitur cum ſaccharo ad conficiendos paſtillos, qui in ore volutantur ad tuſſim ſedandam ; vel ab ſcrupulo uno ad drachmam unam exhibentur. Hoc butyro excipiuntur pulveres pectorales, alteriuſve ſortis, ſub formâ boli, præſcribendi. Variorum præterea pomatorum coſmeticorum & demulcentium baſim præbet, quæ labiorum, mammarum & pudendorum fiſſuris fauſtè admoventur ; nec herpeti & hæmorrhoïdibus tumentibus inutilem opem præſtant. Illud notatu dignum occurrit, quòd hoc oleum vel butyrum, ingratum odorem, vel rancorem tardiùs contrahat.

Stomachica.

(13.) *Aniſum* herbariis, C. B. pin. Apium Aniſum dictum ſemine ſuaveolente, Inſt. rei herb. (*Anis*).

Semen vulgatiſſimum, cui ineſt ſapor ſubdulcis & aromaticus gratiſſimus, pro eximio ſtomachico habetur, & inter præſtantiora carminantia celebratur. Vi quâdam anodynâ antiſpaſmodicâ actionem ſuam exerere videtur ; quâ fit ut ſtomachi & inteſtinorum dolores à flatibus oriundi compeſcantur ; & ſedato ſpaſmo aër cohibitus foràs erumpat. Rerum phyſicarum ignari Veteres, ſed experientiâ edocti, addere ſolebant aniſi, anethi & feniculi ſemina infuſionibus catharticis ; nec infelici ſucceſſu. Inſuper aniſum vi quâdam aperiente & diureticâ præditum cenſetur, ac quamdam fœtiditatem urinis impertitur : nec inutilem opem præſtat ad menſes ſuppreſſos, vel ad promovendam lactis ſecretionem. Datur in ſubſtantiâ à granis decem ad drachmam ſemis, & ad duplum in infuſo aquoſo vel vinoſo. Opportunè præbent nutrices cum pulte pulverem aniſi lactentibus ob tormina ejulantibus. Vulgò demùm maſticatur illud ſemen ad oris fœtorem.

(14.) *Anethum* hortenſe, Inſt. rei herb. (*Anet*).

Semen compreſſum & ſtriatum hujuſce plantæ aromaticæ & umbelliferæ, ratione virium ſtomachicarum & carminantium, ad aniſum proximè accedit ; imò & illud ſuperare videtur virtute anodynâ ; cùm ſæpiùs fauſtè uſurpetur adversùs cardialgiam, colicam flatulentam, & ileum & ſingultum. Diureſim præterea movet, & lac nutricum auget. Datur in ſubſtantiâ à granis decem, ad ſemi-drachmam ; & ad duplum in infuſo. Fronti vel temporibus admotum, ſomnum conciliat infantibus.

(15.) *Coriandrum* majus, C. B. pin. (*Coriandre*).

Semen hujuſce ſtirpis aromaticum eaſdem, ac ſuperiora, obtinet vires, ſtomachicas & carminantes : nec aliâ ratione purgantibus per alvum nonnunquàm immiſcetur, ad cephalicorum gradum etiam promovetur ; & pro abigendâ vertigine, vel memoriâ inſtaurandâ à quibuſdam uſurpatur. Præſcribitur in ſubſtantiâ ad ſemi-drachmam ; & ad duplum in infuſo : vel ſaccharo conditum manditur ; nemo non enim novit bellaria, & trageas quas conficiunt conditores. Nonnulli coriandrum in ore recondunt ad corrigendum oris fœtorem. Poſtremò enemata carminantia ſæpiùs ingreditur à drachmâ unâ, ad tres.

(16.) *Ammi* parvum foliis feniculi, C. B. pin. Feniculum annuum origani odore, Inſt. rei herb. (*Ammi de Crete*).

Stomachica.

Semen aromaticum & ſubamarum, non ſecùs ac alia, locum meretur in claſſe ſtomachicorum & carminantium : ſed nuſquàm, ni fallor, uſurpatur à noſtratibus ; licèt nonnulli, penès quos ſit fides, illud prædicent adversùs ſterilitatem & fluorem album. Doſis in ſubſtantiâ à granis quindecim, ad ſemi-drachmam ; & ad duplum in infuſo.

(17.) *Carvi*. Cæſalpini, Inſt. rei herb. (*Carvi*).

Aliorum aromaticorum inſtar ſtomachi vires inſtaurat ; & flatulentis ſuccurrit hujuſce plantæ ſemen : ſed rarò præſcribitur, niſi quandóque ſub tympanitide, cui obviam ire fertur. Doſis in ſubſtantiâ à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam ; & ad duplum in infuſo vinoſo. Sunt qui illud tumentibus mammis imponant ; ad lac, ut inquiunt, coagulatum reſolvendum.

(18.) *Cuminum*, Dioſc. Feniculum orientale, Cuminum dictum, Inſtit. rei herb.

Semen odore aromatico, aliquantiſper viroſo, formâ ad ſemen feniculi proximè accedit. Ipſi tribuuntur vires ſtomachicæ & tonicæ ; non ſecùs ac diureticæ & emmenagogæ : ſed à paucis in uſum trahitur ; cùm haud deſint alia remedia efficaciora. Doſis in ſubſtantiâ ad ſemi-drachmam ; & ad duplum in infuſo : ſæpiùs extùs admovetur tanquàm reſolvens.

(19.) *Daucus creticus* ſemine hirſuto, J. B. Myrrhis annua ſemine ſtriato, villoſo, incana, Moriſ. hiſt.

Semen præbet aromaticum, quod proprietatibus jam ad nauſeam recenſitis gaudet. Rariſſimus eſt ejus uſus, ſi excipias officinalem. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo.

(20.) *Aquæ Paſſiacæ*, (*de Paſſi*), propè Lutetiam, frigidæ & martiales ; atque juxtà Chymicos nonnihil vitriolicæ, ſtomachicorum vires aſſequuntur ; inter refrigerantia & aperientia numerantur ; catharſim & diureſim movent. Ideò laudantur in anorexiâ ; proſunt hyſtericis & hypochondriacis ; conducunt in cachexiâ & chloroſi ; juvamen præſtant in menſium fluxu inordinato, cæteriſque ſanguinis profluviis. A libris duabus ad ſex propinari ſolent. Sunt qui has mentiri autumant cum vitriolo martis ; ratione ſemi-drachmæ pro ſingulis aquæ libris ; quod ad experientiæ incudem revocandum eſſe cenſemus. Coronidis loco addere lubet, quòd occurrant circà viciniam prædicti loci aliæ aquæ ferrugineæ à Paſſiacis vix diſſimiles ; quales ſunt aquæ dictæ *de Bievres*, juxtà amniculum ejuſdem nominis ; illæ de *Porche-fontaine* loci cujuſdam Verſalienſis, &c.

(21.) *Aquæ Cranenſes* (*de Cranſſac*), vici Rhutenorum (*de Rouergue*), quinque leucis versùs Caurum à Segoduno (*Rodez*), diſtantis ; pro ferrugineo-vitriolicis, cum tantillo ſulphuris, habentur. Stomachi vires refocillant, & catharſim blandè movent. A Paſſiacis parùm diſcrepare videntur ; cur fit ut ſub eodem ſcopo, & ſimili modo exhibeantur.

(22.) *Aquæ Bellilucanæ* (*de Balaruc*), vici Occitaniæ, quatuor leucis ad occaſum ab urbe Montepeſſulanâ (*Montpellier*) quibus ineſt calor intenſus, ſed remiſſior vigente ſyrio; atque ſapor ingratus vel ſubſalſus; inter ſtomachica tonica celebrantur; alvum ſolvunt; diureſim movent & obſtructiones reſerant: ac demùm ipſis tribuitur virtus anthelmintica: ideò vomitui & diarrhœæ occurrunt; cachecticis, ictericis & chloroticis juvamen præſtant; conducunt in affectibus ſoporoſis & paralyſi; valent in morbis renum & veſicæ, in fluore albo, febribus intermittentibus, &c. Per triduum & ultrà propinantur, à libris duabus ad ſex. Inſuper ex his parantur balnea, irrigationes ab alto, & injectiones quæ firmitatem partibus conciliare, hærentes ſuccos reſolvere, vulnera cutiſque defœdationes detergere valent. Stomachica.

(23.) *Aquæ Plumberianæ* (*de Plombieres*), oppiduli in Lotharingiâ, propè Romaricum Montem (*Remiremont*) & ſeptemdecim leucis versùs Euro-notum à Nanceio (*Nancy*); quarum ſapor pinguis & ſaponaceus haud leve ſulphuris, quo ſcatent, præbet indicium; inter ſtomachica tonica præſtantiora recenſentur: catharticorum vires ſæpiùs æmulantur: in numerum depurantium eximiorum adſciſcuntur; principem locum merentur in agmine incidentium, aperientium & diureticorum: nec ipſis denegatur vis quædam anodyna. Ideò digeſtionis organa refocillant, & saburram præſertim acidam infringunt: vertiginoſis & ſoporoſis ſuccurrunt: renes & veſicam à muco & arenulis liberant: valent in aſthmate: cachecticis & hydropicis opitulantur: dyſenteriæ medentur: ſummam opem conferunt in fluore albo: jure demùm celebrantur adversùs infarctus skirrhoſos, imò & ſcrophuloſos, aliis remediis domari neſcios. Propinantur à librâ unâ ad ſex. Quod verò ad uſum externum attinet; vi roborante, reſolvente, detergente & pſoricâ gaudent: hinc fauſtè uſurpantur contrà paralyſim & tremorem, rheumatiſmum & contracturam, tumores artuum, ulcera mali moris, herpetem, ſcabiem, &c.

(24.) *Aquæ Cauterienſes* (*de Coterès*), pagi in agro Bigerrenſi (*Bigorre*), à Valletriâ (*Barege*), ſeptem leucis, versùs favonium recedentis; calidæ, ſulphureo-ſaponaceæ, & juxtà quoſdam tantiſper ferrugineæ, vires obtinent ſtomachicas & abſorbentes: in tonicorum numero recipiuntur: pro aperientibus & incidentibus habentur: alvum blandè laxant. Idcircò in uſum veniunt contrà ventriculi colluviem acidam: vomitum & alvi fluxum compeſcunt: obſtructiones reſerant; & infarctibus œdematoſis medentur: menſes movent; horumque exceſſui opitulantur: nec inutilem opem præſtant aſthmaticis & phthiſicis. Dantur gradatim à libris duabus ad ſex; vel pro potu ordinario præſcribuntur: opportunè ſæpiùs cum lacte miſcentur. Cautè tamen exhiberi debent; cùm nonnunquàm caput afficiant, & quamdam ebrietatem impertiantur. Balnea, irrigationes ab alto, vel ipſummet lutum crebrò admoventur tanquàm roborantia & reſolventia præſtantiora.

(25.) *Aqua picea* (*eau de goudron*), paratur infundendo aquæ libras

STOMACHICA.

octo in picis navalis libram unam : agitantur per horæ quadrantem cum ſpatulâ ligneâ ; & per biduum quieti traduntur. Sublatâ demùm ſupernatante pelliculâ, decantatur aqua ad uſum ſervanda. Tantis infulatâ auctoritate, præconiis, haud multis abhinc annis celebratur hæc aqua, ut nil ſuprà ; quæ tamen progreſſu temporis, ut mos eſt, ſenſim exolevit, ac demùm ab uſu fermè receſſit. Haud tamen planè iners cenſeri debet ; quin potiùs tonicis viribus pollet, ergà ſtomachum, cæteraque viſcera. Inter vulneraria balſamica etiam recenſeri debet ; ideò nonnunquàm conducit in phthiſi, aliiſque exulcerationibus internis. Scorbuticis demùm prodeſt, necnon ſcabie inquinatis ; adeò ut inter depurantia locum mereatur. Sed conticere minime debemus quod ab hocce remedio nauſeoſo ſæpiùs ſubvertatur ſtomachus, venterque cum ſævis torminibus plus æquo ſolvatur ; nec raro excandeſcat febris. Hæc aqua à pice liquidâ parata quotidiè exhibetur ab unciis ſex ad libras duas : à minori doſi incipiendum, donec ſenſim ad ultimum terminum accedat ; ſi tamen ſtomachi vires ferant. Sunt qui velint aquam piceam parùm diſcrepare ab aquis Vervonenſibus ; quod fortè haud procùl à vero recedit. Inſuper aſſerere licet hoc remedium à BERKLEY fortè plus æquo celebratum, inter eximia locum mereri, adversùs morbos chronicos : ſed diù protelari debet uſus.

(26.) *Balſamum Commendatoris* (*Baume du Chevalier* ou *du Commandeur*), vel à nonnullis, *Baume univerſel*, eſt tinctura ſpirituoſa radicum angelicæ & florum hyperici ; in quâ peractâ digeruntur primò myrrha & olibanum ; dein ſtyrax, benzoinum, balſamum tolutanum, aloë & ambra cineritia. Crebrò in uſum venit illud balſamum ; ac pro exquiſitiore ſtomachico & carminante habetur ; roborantium, & præſertim cephalicorum claſſem ſubit. Idcircò confert in cardialgiâ ; dolores à flatulentiâ compeſcit ; ſomnolentiam arcet ; diureſim movet, &c. Doſis à guttis quatuor, ad viginti, in juſculo, vino, ſyrupo, aliove hauſtu. Inſuper eximium vulnerarium & antiputridum externum cenſetur ; nec infimum locum tenet inter reſolventia : ideò fauſtè admovetur vulneribus recentibus, contuſioni & gangrænæ : nec minùs auxiliatur partibus paralyticis.

(27.) *Opiata Salomonis* è ſimplici miſcellâ aromatum, amarorum & adſtringentium ; inter quæ eminent macis, caryophylli, & cinnamomum ; gentiana & ſemen ſantonicum ; balauſtia, roſæ rubræ, &c. Syrupo limonûm excepta exſurgit. Stomachicum & tonicum cenſetur hoc electuarium ; cardiacorum & alexiteriorum ordinem ingreditur ; virtute comprimente inſtruitur ; nec ipſi denegatur locus in ſerie anthelminticorum. Ad drachmam unam exhibetur.

(28.) *Elixirium Garuſi* tinctura audit ſpirituoſa & chymica myrrhæ & aloës, croci, cinnamomi, nucis moſchatæ & caryophyllorum ; ſyrupo capillorum veneris edulcata. Hinc patet merum eſſe elixirium proprietatis Paracelſi, mitius & blandius ; quapropter antiſpaſmodicorum claſſem ſubit. Vi roborante & ſtomachicâ gaudet ; atque ad cardiacorum gradum

provehitur : ideò vires refocillat ; concoctionem alimentorum juvat ; vomitum compeſcit & alvi profluvio medetur. A drachmâ unâ, ad duas præſcribitur. Illud caveant hæmoptyſici, vel ad hæmorrhagiam quamcumque proclives. STOMACHICA.

(29.) *Elixirium Stoughton* nil aliud eſt quàm tinctura ſpirituoſa abſinthii, gentianæ, chamædryos, corticis aurantiorum amarorum, rhei & aloës. Inter præſtantiora ſtomachica amara recenſetur ; ſed cautè etiam exhibendum hæmorrhagiæ obnoxiis ; vel quorum interanea æſtuant. Doſis à guttis duodecim ad viginti, & ultrà.

(30.) *Quinta eſſentia abſinthii.* Hoc inſulſo nomine ſalutatur ſpiritus vini utroque abſinthio, & caryophyllis aromaticis, digeſtione quindecim dierum imprægnatus. Stomachi vires refocillat ; concoctionem alimentorum juvat ; & cibi faſtidio medetur. Cum cautelâ etiam exhibeatur à guttis ſex ad quindecim in infuſo meliſſæ, aliove hauſtu.

(31.) *Eſſentia corticum citri* audit tinctura ſpirituoſa hujuſce corticis recenſitis, quæ paratur digeſtione igne leni per dies octo & ultrà ; vel ad ſaturationem. Dein percolatus liquor ſaccharo edulcatur. Stomachicorum & carminantium ordinem ſubit ; nec ipſi denegantur cæteræ proprietates, ſuprà ſatis ſuperque indicatæ. Sumitur à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam. Similis obtinetur eſſentia è cortice aurantiorum, haud aliis viribus prædita, & eâdem methodo exhibenda.

VERMIFUGA.

UBERRIMUS eſt *anthelminticorum*, vel vermifugorum proventus ; ſed ex illâ ampliſſimâ ſegete, ſelectiora, & magis comprobata, duntaxàt in hâc claſſe exhibebimus ; quæ è materiebus diverſæ ſortis deſumuntur. Hydrargyrus nempè nativus, vel multiplici arte elaboratus, vermes brevi interimit, & citrà omne dubium cæteris palmam præripit ; mercurialia excipiunt olea quæ horumce inſectorum reſpirationis ſpiracula occludere videntur : accedunt dein amara & abſorbentia vermibus & putredini adverſa : quibus addere licet cathartica, fortè cæteris efficaciora ; cùm horum ope foràs deturbentur moleſti illi tubi inteſtinalis hoſpites. Inſuper varia occurrunt medicamina, quorum vires vermifugæ, haud inconſultò celebrantur ; quæ tamen in ſuprà addictis claſſibus adſciſci nuſquàm valent : id genus ſunt, inter acria & ſtimulantia, cepa & allium ; inter fœtida, ruta ; inter acida, ſuccus limonum ; inter inſipida & inodora, gramen & portulaca, &c. Nec ſingula eumdem effectum exerunt ; nonnulla enim ſaburram verminoſam, vel horum inſectorum ſeminium, aggredi ; alia vermes confodere & liquare ; plura ipſos fugare, vel per podicem foràs eliminare, &c. videntur. Hinc obvium, delectu opus eſſe,

VERMIFUGA.

pro variâ rerum conditione. Potior medicaminum infrà recenſendorum pars reſpicit vermes teretes, vel lumbricos: nonnulla aſcaridibus dicantur: cætera ad tæniam & cucurbitinos ſpectant; uti fuſiùs exponemus in Commentariis: præhabitis ſubnectere lubet, ne præpoſterè exhibeantur hæc medicamina, præcipua *vermium ſigna:* halitus nimirùm acidus, pruritus narium, oculi flammei, pavores & dentium ſtridor inter dormiendum, cardialgia, tormina, borborygmi, ſedes mucoſæ & albicantes; febris, horror, convulſio, &c. produnt lumbricorum germinationem; aſcarides ex autopſiâ dejectionum in apricum veniunt; præter teneſmum & ani pruritum qui ab hiſce inſectis excitantur. Cucurbitinorum ejectio, nauſeæ, cibi faſtidium, fames canina, fœtor oris, ſputatio frequens, facies pallida, dolor gravativus abdominis, ſtercora mucoſa, &c. haud levem ſuſpicionem movent latentis ſolii. Hæc eſt præcipuorum ſignorum ſyndrome, quâ innoteſcit verminoſa progenies, quæ nonnunquàm horrenda poſt ſe trahit ſymptomata; quibus præcavendis vel compeſcendis multa occurrunt præſidia, quæ opportunè adhibita curantium vota explere valent. De variis topicis, & enematibus vermifugis, ſuo loco.

EMPORETICA.

RADICES mori (1), filicis (2), gentianæ, graminis, fraxinellæ, gratiolæ; rheum, allium, cepa.

Folia cichorii ſylveſtris, portulacæ, abſinthii majoris (3) & minoris, chamædryos, centaurii minoris, ſcordii, gratiolæ, fumariæ, abrotani, tanaceti (4), ſantolinæ (5), rutæ, ſabinæ.

Flores perſicorum (6), tanaceti, agerati... Amygdalæ amaræ; nuclei perſici.... Succus limonum, citreorum.... Cortex aurantiorum; kinakina; agaricus.... Semen ſantonicum (7), tanaceti, portulacæ... Aloë, myrrha, galbanum... Corallina (8), ebur... Sal ammoniacum... Petroleum; ſapo, ſal gemmæ... Hydrargyrus.

VERMIFUGA.

OFFICINALIA.

AQUA graminis, portulacæ, cichorii, ſcordii, florum aurantiorum.... Syrupus de abſinthio ([9]), de limonibus, de cichorio cùm rheo, florum perſicorum ([10]).... Oleum olivarum, amygdalarum dulcium & amararum.... Vinum abſinthites ([11]).... Extractum abſinthii; opiata Salomonis, confectio de hyacintho.... Saccharum vermifugum ([12]).... Pulvis contrà vermes ([13]).... Cornu cervi præparatum, corallina & conchæ præparatæ.... Tinctura abſinthii ([14]), ſpiritus juniperi, elixirium proprietatis.... Æthiops mineralis, aquila alba, panacea.

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ *MERCURII vivi* ſemi-libram. Infunde per viginti quatuor horas in *aquæ graminis* libris duabus; probè agitentur in lagenâ vitreâ: vel coquatur per horam. Poſt ſubſidentiam decantetur aqua ſervanda ad uſum, pro potu ſcilicèt ordinario.

PTISANA.

℞ *Mercurii crudi*, in nodulo, ſemi-libram. *Radic. filicis maris* & *graminis* ana unciam unam. Bulliant in aquæ ſ. q. ad libras duas. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Radic. graminis* uncias duas. Bulliant cum *hydrargyri* librâ unâ in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *raſuræ cornu cervi*, in nodulo, ſemi-unciam. Colatura ſervetur ad uſum.

HAUSTUS.

℞ *Aquæ portulacæ* uncias ſex. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum. *Syrupi florum perſicorum* drachmas ſex. Miſce pro hauſtu.

℞ *Aquæ ſcordii* uncias ſex. *Corallinæ præparatæ* grana quindecim. *Syrupi limonum* unciam unam. Miſce ad hauſtum.

℞ *Aquæ graminis* uncias quatuor. *Aquæ florum aurantiorum* unciam unam. *Confectionis de hyacintho* ſemi-drachmam. *Cornu cervi præparati* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Olei rutæ* uncias tres. *Pulpæ colocynthidis*, *corallinæ* & *radicum bryoniæ* ana ſcrupulum unum. Coque ad tertiæ partis conſumptionem. Cola ad hauſtum pro tæniâ.

POTIO.

VERMIFUGA.

℞ *Aquæ cichorii* & *portulacæ* ana uncias tres. *Confectionis de hyacintho* drachmam unam. *Seminis ſantonici* ſemi-drachmam. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. *Syrupi de abſinthio* drachmas ſex. Miſce pro duabus doſibus.

℞ *Aquæ ſcordii* uncias octo. *Corallinæ præparatæ*, *ſeminis ſantonici* ana ſcrupulos duos. *Theriacæ* & *extracti juniperi* ana ſemi-drachmam. *Salis ammoniaci* & *gemmæ* ana ſcrupulum unum. *Syrupi de cichorio cum rheo* unciam unam & ſemis. Miſce pro duplici doſi.

INFUSUM.

℞ *Foliorum orientalium* drachmas duas. *Seminis ſantonici* ſcrupulos duos. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum. Infunde in *aquæ graminis* unciis octo. In colaturâ diſſolve *mannæ* & *ſyrupi florum perſicorum* ana unciam unam. Adde *rhei* grana duodecim. Miſce pro hauſtu.

℞ *Rhabarbari* drachmam unam. *Seminis contrà* pugillum unum. *Salis cathartici amari* drachmas duas. Infundantur calidè per noctem in *aquæ portulacæ* unciis octo. In colaturâ diſſolve *confectionis Hamec* ſemi-unciam. *Syrupi florum perſicorum* unciam unam. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Folior. ſennæ* drachmas duas. *Rhei* & *ſeminis ſantonici* ana ſemi-drachmam. Infunde calidè per noctem. Colaturæ adde *ſalis alkali tartari* grana quindecim. Pro hauſtu ad tæniam.

APOZEMA.

℞ *Folior. cichorii* & *ſcordii* ana manip. unum. Coquantur in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde ſub finem *ſummitatum centaurii minoris*; *ſeminis ſantonici* ana manip. ſemis. Colaturæ adde *corallinæ præparatæ* drachmas duas; *ſalis ammoniaci* drachmam unam; *ſyrupi florum perſicorum* uncias duas. Fiat apozema pro uſu.

℞ *Mercurii crudi*, in nodulo ſuſpenſi, ſemi-libram. *Rad. filicis maris* unciam unam. *Radic. enulæ campanæ* drachmas duas. *Summitatum tanaceti* & *abrotani* ana manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de abſinthio* uncias duas. Pro apozemate.

VINUM.

℞ *Radic. gentianæ* & *filicis maris* ana ſemi-unciam. *Baccarum juniperi* drachmas ſex. *Foliorum abſinthii* & *tanaceti* ana manip. ſemis. Infunde frigidè per viginti quatuor horas in vini rubri libris ſex. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis ad uncias quatuor.

PULVIS.

℞ *Seminis ſantonici* ſemi-drachmam. *Corallinæ præparatæ* ſcrupulum unum. Miſce pro doſi.

℞ *Dictamni*

℞ *Dictamni albi* ſemi-drachmam. *Cornu cervi præparati*; *pulveris florum tanaceti* ana ſcrupulum unum.

℞ *Aquilæ albæ* grana viginti. *Jalapæ* grana duodecim. Miſce. Pro pulvere cum *pulpâ mali cocti* exhibendo.

VERMIFUGA.

℞ *Rhei* drachmam unam. *Seminis contrà* & *corallinæ* ana ſcrupulos duos. *Mercurii dulcis* ſemi-drachmam. Miſce. Doſis pro pueris ad drachmam ſemis.

℞ *Seminis tanaceti* ſemi-drachmam. *Corallinæ* drachmam unam & ſemis. *Aquilæ albæ* ſcrupulum unum. *Myrrhæ* & *reſinæ jalapæ* ana grana quindecim. Miſce. Fiat pulvis, cujus doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

℞ *Trochiſcorum de agarico* ſcrup. unum. *Cornu cervi præparati*; *æthiopis mineralis* conflagrati ana grana quindecim. Miſce pro doſi.

℞ *Corallinæ præparatæ* & *æthiopis miner.* ſine igne parati ana drachmam ſemis. *Olei abſinthii* guttas duas. Miſce pro adulto.

℞ *Diacrydii* & *cremoris tartari* ana ſcrup. ſemis. *Antimonii diaphoretici* grana decem. *Radicum filicis maris*; *corticis radicis mori* ana ſemi-drachmam. Miſce. Fiat pulvis. Pro tæniâ.

BOLUS.

℞ *Rhei* & *mercurii dulcis* ana ſcrupulum unum; *diacrydii* grana quindecim. Fiat bolus cum *ſyrupo de abſinthio* ad tæniam, aliamque progeniem verminoſam.

℞ *Pulveris Cornachini* ſemi-drachmam. *Aquilæ albæ* grana duodecim. *Seminis ſantonici* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio compoſito*.

℞ *Rhei* & *corallinæ* ana grana decem. *Seminis tanaceti* grana octo. *Myrrhæ*; *aquilæ albæ* ana grana quatuor. Fiat ex arte bolus cum *ſyrupo de abſinthio*.

℞ *Hydrargyri* & *ſacchari rubri* ana drachmam unam. Terantur in mortario, donec intimè uniantur. Adde *olei amygdalarum dulcium* guttas duas, *diacrydii* grana octo. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio compoſito*.

℞ *Pulveris Cornachini*; *ſalis rupellenſis* ana ſemi-drachmam. *Aquilæ albæ* grana decem. *Trochiſcor. alhandal* grana duo. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo florum perſicorum*.

℞ *Radic. filicis maris* ſemi-drachmam. *Rhabarbari* ſcrupulum unum. *Mercurii dulcis* grana quindecim. Fiat bolus, ut artis eſt, cum *ſyrupo de rhamno cathartico*. Ad tæniam.

℞ *Radicum filicis maris* drachmam unam. *Mercurii dulcis* grana duodecim. *Rhei* & *corallinæ* ana grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de abſinthio*. Ad tæniam.

℞ *Foliorum ſabinæ* & *ſeminum rutæ*, in pulverem redactorum, ana grana octo; *olei eſſentialis tanaceti* guttas ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo perſicorum*. Capiat manè ſuperbibendo *infuſi vinoſi nucleorum perſicorum* uncias ſex. Bis per diem exhiberi debet adversùs tæniam.

OPIATA.

VERMIFUGA.

℞ *Radic. gentianæ* & *ariſtolochiæ rotundæ* ana drachmam unam & ſemis. *Folior. centaurii minoris* & *ſcordii* ana drachmam unam. *Seminis ſantonici* drachmam unam & ſemis. *Aquilæ albæ*, *tartari vitriolati* ana ſcrupulos duos. *Extracti aloës* ſemi drachmam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio.* Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

COMMENTARIA.

(1) MORUS fructu nigro, C. B. pin. (*Meurier*).

In hortis & vinetis colitur hæc arbor, cujus fructus menſe Auguſto maturus, gratiſſimus, ſitim ſedat, appetitum movet, alvum nonnihil ſolvit; & ipſiſmet febre decumbentibus conceditur. Sed crebriùs in uſum medicum venit prædictus fructus immaturus, qui inter adſtringentia ori dicata numeratur; è quo ſcilicèt paratur ſyrupus, de quo infrà. Cortex verò è radicibus detractus alvum laxat, & ſpecificè lumbricum latum enecare creditur, de quâ tamen vi vermifugâ ulteriùs inquirendum eſſe cenſemus.

(2.) *Filix* non ramoſa dentata, C. B. pin. (*Fougere mâle*).

Filix ramoſa major pinnulis obtuſis non dentatis, C. B. pin. (*Fougere femelle* ou *commune*).

Utriuſque radix nonnihil amaricans cum levi adſtrictione, tanquàm ſpecifica celebratur adversùs lumbricum latum: nec ipſi denegatur locus in ſerie aperientium & diureticorum. Ideò plurimùm laudatur ſub hypochondriaſi & liene tumido. Fœtum inſuper mortuum expellere dicitur; hinc cautè gravidis eſt exhibenda. Sicca præſcribitur in decocto à drachmis duabus, ad ſemi-unciam. Pro ſingulis aquæ libris, & ad drachmam unam & ultrà in ſubſtantiâ.

(3.) *Abſinthium* vulgare majus, J. B. Abſinthium romanum officinarum, Dioſcoridis, C. B. pin. (*Abſinthe ordinaire*).

Abſinthium minus, J. B. abſinthium ponticum tenuifolium incanum, C. B. pin. (*Petite abſinthe*).

Inter plures ſpecies, hæ binæ, amaritie aromaticâ præditæ, in uſum veniunt medicum: ſed notare expedit quòd abſinthium majus intenſiùs amaricet, & hinc efficacius cenſeatur. Inter vermifuga primatum quaſi ducunt; ſtomachicorum claſſem ſubeunt; in febrifugorum numero adſcribuntur; tonicorum gradum aſſequuntur; obſtructiones reſerant; diureſim movent, &c. Utrumque viride abſinthium præſcribitur in infuſo ad pugillum unum vel alterum pro juſculo vel librâ apozematis: ſiccum verò adhibere licet, inſtar the. In ſubſtantiâ verò exhibetur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Proſtat in officinis extractum abſinthii, cujus doſis

à granis decem ad ſemi-drachmam accedit. Paratur è cineribus lixivium ab illo cinerum geniſtæ vix diſſimile, & ejuſdem proprietatis. Sal lixiviale, ne levi quâdam amaritie præditum, non ſecùs ac alia diverſarum plantarum ſalia, ad aperientia, incidentia & diuretica refertur. Sal verò eſſentiale amaritiei, & virium abſinthii particeps, inter vermifuga & ſtomachica recenſetur: utrumque datur à granis ſex ad viginti. De conſervâ, ſyrupo, vino, tincturâ, quintâ eſſentiâ, &c. ſuo loco. Quoad uſum externum, principem locum meretur inter detergentia & antiputrida; nec ipſi denegatur locus in ſerie reſolventium. Vapor decocti à nonnullis deprædicatur adversùs ſurditatem. Coronidis loco addere licet aliam eſſe minorem abſinthii ſpeciem montium Helvetiorum, quæ GENEPI apud Sabaudos audit; & ab incolis in eumdem uſum trahitur.

VERMIFUGA.

(4.) *Tanacetum* vulgare luteum, C. B. pin. (*Tanaiſie*).

Folia & flores, odore fragrantiſſimo, cum quâdam amaritie, inter anthelmintica numerantur: ſtomachicorum ordinem ingrediuntur; vi anodynâ & antihyſtericâ gaudent; atque febres intermittentes fugant. Inſuper obſtructionibus medentur & urinam cient; ideò laudantur in cachexiâ & hydrope. Non ſecùs ac matricaria, quam ſuperat, in familiarem uſum venit tenacetum adversùs morbos uterinos. Præſcribuntur ſummitates floridæ in infuſo vinoſo aut aquoſo ad pugillum unum vel alterum. Succus propinatur ad drachmas duas & ultrà. Semen crebriùs uſurpatur tanquàm vermifugum eximium; & eâ ratione ſemen ſantonicum europæum audit. Decoctum foliorum in vino, pro roborante & reſolvente externo habetur; atque fauſtè admovetur tumori crurum œdematoſo.

(5.) *Santolina* foliis teretibus, Inſt. rei herb. (*Santoline*).

Vermifugorum ordinem ingreditur hæc planta humilis; & pro aperiente hepatico habetur. A nonnullis, penès quos ſit fides, deprædicatur pro morſu animalium venenatorum. Exhibentur folia & flores in infuſo vel decocto ad pugillum unum, & ultrà, pro hauſtu: pulvis verò in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam.

(6.) *Perſica* molli carne vulgaris viridis, & alba, C. B. pin. (*Pêcher*).

Nemo neſcit flores hujuſce arboris vi anthelminticâ inſtrui; non ſecùs ac catharticâ. Sunt qui recentes ad manipulum ſemis infundunt in juſculo; ſed inconſultò, cùm vomitum & tormina ſæpiùs excitent. Rectiùs ſicci uſurpantur ad ſemi-unciam in infuſo, quod, tincturæ inſtar ſennæ, aliis catharticis baſim præbet. Succum præſcribere licet ad unciam unam vel alteram. Pulvis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam quandòque miſcetur cum pulte, infantibus exhibendâ. Sed familiarior eſt uſus ſyrupi, de quo infrà. De nucleis perſicis alibi.

(7.) *Semen ſantonicum* (*Graine barbotine*), ſapore amaro nauſeoſo & odore ingrato, ad quamdam abſinthii, vel artemiſiæ ſpeciem, in Perſide & Tartariâ naſcentem refertur. Inter vermifuga, infantibus præſertim dicata, celebratur: ſtomachicorum roborantium gradum conſe-

quitur ; nec virtute antihyſtericâ & emmenagogâ defraudatur. Silentio premere minime debemus quòd haud deſint , nonnullis experimentis phyſicis freti, qui de hujuſce ſeminis vi vermifugâ planè dubitent: nùm jure? viderint practici, qui hoc remedium fauſtè in quotidianum uſum trahunt. Datur in ſubſtantiâ à granis duodecim ad ſemi-drachmam ; & ad duplum in infuſo aut decocto. Semen tanaceti nomine ſeminis ſantonici europæi inſigniti , jam ſuprà notavimus.

VERMIFUGA.

(8.) *Corallina*, J. B. (*Coralline* ou *Mouſſe de mer*).

Hæc planta marina (pace illuſtrium Phyſicorum qui illam ad animalium claſſem referunt) præparatione quâdam indiget , ut in uſum medicum veniat : pluriès nempè in aquâ calidâ lota , & exſiccata , in tenuiſſimum pulverem redigitur , cum aquâ ſubigendum , ut conficiantur trochiſci. Inter vermifuga præſtantiora numeratur : nec minùs deprædicatur ejus vis abſorbens. Familiaris eſt usûs ergà infantes verminoſos ; & nonnunquàm etiam fauſtè uſurpatur adversùs alvi fluxum , & saburram ventriculi acidam. Doſis pro adulto ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Imminuitur pro infantibus ratione ætatis , juxtà proportionem notiſſimam.

(9.) *Syrupus de abſinthio* paratur ſimplici infuſione utriuſque abſinthii in aquâ communi vel diſtillatâ ejuſdem plantæ ; quæ demùm coquitur cum ſaccharo , aut melle notiſſimâ methodo. Tanquàm eximium vermifugum uſurpatur : ſtomachi vires redintegrat ; cæteriſque abſinthii proprietatibus pollet. Datur à drachmis duabus, ad drachmas ſex , in aquâ florum aurantiorum ; vel quovis alio hauſtu.

(10.) *Syrupus florum perſicorum* parari ſolet è triplici infuſione horumce florum expreſſioni ſubjiciendâ , & per ſubſidentiam depurandâ. Dein ſolito more cum ſaccharo coquitur. Haud infimum locum tenet in anthelminticorum claſſe ; & inter cathartica numeratur. Hunc addere ſolent hauſtibus purgantibus ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam : vel per ſe datur infantibus ad eamdem doſim.

(11.) *Vinum abſinthites* duplici modo conficitur. 1°. Tempore vindemiarum immittitur herba ſicca in doliolum , muſto implendum ut fermentationi committatur ; eâ proportione ut ſit abſinthii libra una , pro viginti circiter muſti libris. 2°. Infunditur per viginti quatuor horas in vino albo eadem planta ſicca ad unciam unam & ſemis , pro vini libris duabus ; illudque extemporaneum vulgò in officinis reperitur. Prius debilius cenſeri debet , cùm plantarum vires fermentatione infringantur ; adeò ut vinum primâ methodo confectum vix abſinthii ſaporem referat : quod etiam intelligendum de omnibus vinis medicatis. Vinum abſinthites , infuſione ſimpliciſſimâ paratum , eximium vermifugum cenſetur ; ſtomachum refocillat ; obſtructiones reſerat ; diureſim & menſes movet. Fauſtè demùm ſæpiùs uſurpatur contrà colicam flatulentam & hypochondriorum intumeſcentiam. Doſis ab unciâ unâ ad quatuor.

(12.) *Saccharum vermifugum* nil aliud eſt quàm hydrargyrus in ſacchari duplici pondere extinctum ; additis nonnullis guttis olei amygdalarum

dulcium. Infantibus dicatur. Et habitâ ratione ætatis à granis ſex ad ſcrupulos duos præſcribitur.

Vermifuga.

(13.) *Pulvis contrà vermes* è miſcellâ corallinæ, ſeminis ſantonici, ſennæ, rhei & nonnullorum aliorum vermifugorum exſurgit. È titulo, & ingredientium conſpectu ſat abundè patent vires. Datur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam.

(14.) *Tinctura abſinthii* audit ſimpliciſſima ſummitatum abſinthii infuſio per plures dies, in ſpiritu vini; donec ſcilicèt intensè amaricet. De proprietatibus nil addimus cùm è ſuprà habitis illas eruere liceat. Doſis à guttis ſex, ad triginta.

ANTI-ACIDA ET ABSORBENTIA.

Medicamina diverſæ indolis ſub hâc claſſe colligere cogit inſtituti ratio; cùm alterutra in eumdem ſcopum à clinicis uſurpari ſoleant. Illud diſcrimen occurrit inter antiacida & abſorbentia, quòd prima acidorum germinationem præcaveant; & quaſi ex ovo ſuffocent; ſecunda verò ſalia extricata intrà ſinum recondunt; vel quovis alio modo infringunt. Subſtantiæ amaræ; martialia; antimonialia; aqua quæcumque; emetica, cathartica, &c. proficua cenſentur ad impediendam acidorum geneſim: terrea; & alkalina, tàm fixa quàm volatilia, alteram opem præſtant. È terreorum abſorbentium ſerie reſcindi debent boli, terræ ſigillatæ, creta Brianconenſis, & id genus alia, quæ hâcce proprietate plane defraudantur: hinc intelligitur cur mineralium abſorbentium parcior ſit proventus, quàm vulgò fertur. Pauca ſuppeditant vegetabilia, ſi excipias ſalia lixivialia: ſed uberiori copiâ ex animalibus eruuntur; hâc ſcaturigine gaudent ſalia volatilia; teſtacea; plantæ marinæ, ad animalium familiam juxtà recentiores phyſicos referendæ; putamina ovorum, oſſa & cornua: illud notandum circà hæc poſtrema quòd materia gelatinoſa, coctione, aliâve arte, ex illis educta, nullâ vi abſorbente ſit prædita; & hâc proprietate duntaxàt polleant oſſa & cornua, ſi in ſubſtantiâ exhibeantur. Ab acceſſu vel luctâ materierum acidarum & abſorbentium emergere ſubſtantiam neutram, neminem phyſicum fugit: ſimili modo ſe rem habere in primis viis haud falsò conjicitur. Prætereà haud ſola acida excipiunt abſorbentia; ſed eumdem effectum exerunt ergà ſubſtantias pingues & oleoſas, quæ ob rancorem, quem morâ & calore contrahunt, ſtomachum & œſophagum ſæpiùs moleſtè afficiunt. Illud notatu dignum occurrit quòd è connubio acidorum & alkalinorum nonnunquàm in primis viis emergat ſal catharticum, quo alvus infantum ſolvitur. Aliàs abſorbentia particulas aqueas quaſi exſugendo vomitum compeſcere, & alvi profluvio mederi valent.

ANTI-ACIDA.

Ultrà omne dubium poſitum eſſe videtur materies terreas craſſiores nuſquàm ad ſanguinem appellere, ob difficiliorem lacteorum ingreſſum; cur fit ut earum evacuatio quâvis arte ſit molienda, ne ob diuturniorem moram, in tubo inteſtinali concreſcant: quod ex autopſiâ anatomicâ ſat abundè patet; quæ, præter corpora lapidea numeroſiſſima, quibus ſcatet ventriculus, prodit etiam infarctum meſenterii ab eâdem causâ oriundum; ab intromiſſis ſcilicèt moleculis nonnullis in vaſa lactea, è quorum obſtructione emergunt alvi fluxus, & quædam atrophiæ ſpecies nullis remediis domanda. Luſtrato cadavere cujuſdam tabidi poſt diuturniorem & immodicum abſorbentium uſum extincti, tunicas ventriculi nigras & corruptas vidit Hoffmannus. Hos pravos effectus exceſſui duntaxàt ſubſtantiæ terreæ adſcribendos cenſemus: cùm haud dubitare liceat quin moleculæ terreæ tenuiſſimæ, acidis impræegnatæ, hinc ſolubiles; vel aliis materiebus ſociatæ unà cum chylo ad ſanguinem appellant. Neminem ſanè, vel rudem & inexpertum, latet humores & præſertim urinam particulis terreis ſcatere; nec hiſce orbatur ſuccus nutritius, cùm ſolida & præſertim oſſa ex hâc ſubſtantiâ præſertim exſurgant.

EMPORETICA.

Radices gentianæ, enulæ campanæ, ariſtolochiæ, bryoniæ; rheum. Folia abſinthii, centaurii minoris, chamædryos, abrotani, cardui benedicti, fumariæ, tanaceti, agerati.

Flores chamæmeli, calcitrapæ.... Semen carthami.... Baccæ lauri, & juniperi. Colocynthis.... Cortex Peruvianus.... Aloë. Myrrha.... Terra Japonica. Sapo.... Corallina. Corallium (1).... Os ſepiæ. Chelæ cancrorum. Oſtreum (2), & alia teſtacea.... Putamina ovorum. Lapilli cancrorum fluviatilium (3).... Cranium humanum. Cornu cervi. Ebur... Aquæ Forgienſes, Paſſiacæ, Vicienſes, Plumberianæ, Bellilucanæ, Selteranæ.... Sal nitrum, gemmeum, Sedlicenſe, catharticum amarum.... Creta alba (4). Lapis hæmatites.... Ferrum. Antimonium.

OFFICINALIA.

Anti-acida.

Aqua florum aurantiorum... Aqua calcis ſecunda. Crocus martis... Spodium (5). Cornu cervi præparatum (6). Conchæ præparatæ (7)... Pulvis cancrorum fluviatilium, è chelis cancrorum... Extractum abſinthii, gentianæ, rhabarbari, juniperi.... Diaſcordium. Confectio de hyacintho. Electuarium de baccis lauri.... Vinum abſinthites. Quinta eſſentia abſinthii.... Elixirium Garuſi, proprietatis, Anglicanum.... Oleum tartari per deliquium.... Sal tartari (8), rupellanum, abſinthii, centaurii minoris, geniſtæ, tamariſci.... Sal volatile, cornu cervi, viperarum.... Magneſia alba (9). Kermes minerale.

MAGISTRALIA.

DECOCTUM.

℞ *Cretæ albæ* pulveratæ ſemi-libram; coque in aquæ libris tribus ad duas. Poſt craſſioris partis ſubſidentiam, tenuis liquor inſtar lactis effundatur. Adde *ſacchari roſati* uncias duas. Pro uſu: ad ſodam.

HAUSTUS.

℞ *Aquæ cichorii* uncias ſex. *Corallii rubri præparati* drachmam unam. *Syrupi de cichorio cum rheo* unciam unam. Miſce. Pro hauſtu.

EMULSIO.

℞ *Seminum frigidorum* majorum drachmas duas. *Amygdalas dulces* excorticatas numero quatuor. Contunde, ut artis eſt, in *aquæ cichorii* unciis ſex. Colaturæ adde *ſyrupi de gentianâ* unciam unam. *Lapillorum cancrorum fluviatilium* grana quindecim.

POTIO.

℞ *Corallii præparati* drachmam unam. *Syrupi de abſinthio; aquæ florum aurantiorum* ana unciam unam. *Aquæ papaveris rhœados* uncias ſex. Miſce. Fiat potio cochleatim ſumenda.

℞ *Aquæ cichorii* uncias ſex. *Lapillorum cancrorum* drachmam unam. *Spodii* & *cornu cervi* præparati ana ſemi-drachmam. *Syrupi mercurialis* unciam unam. Miſce. Fiat potio ex cochleari.

PULVIS.

℞ *Corallii* & *lapillorum cancrorum* præparat. ana grana quindecim. *Cornu cervi præparati* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat pulvis.

ANTI-ACIDA.

℞ *Cretæ albæ* ſcrupulum unum. *Antimonii* in tenuiſſimum pulverem redacti grana duo; vel *nitri* grana ſex. Miſce.

℞ *Cretæ* ſemi-drachmam. *Rhei* ſcrupulum unum. *Croci martis* grana octo. Miſce.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi; corallii præparati* ana ſemi-unciam. *Cremoris tartari* drachmas tres. *Sacchari candidi* ſemi-unciam. Miſce. Fiat pulvis. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Corticis Peruviani* ſemi-unciam. *Corallii* & *lapillorum cancrorum* ana drachmas duas. Miſce. Fiat pulvis ad drachmam unam exhibendus.

℞ *Lapillorum cancror. ſucci præparati*, & *nitri* ana drachmam unam. *Caſcarillæ* ſemi-drachmam. Miſce pro pulvere, cujus doſis ad ſcrupulum unum vel alterum.

℞ *Corallii* grana quindecim. *Terræ Japonicæ; diaphoretici mineralis* ana grana decem. Miſce.

BOLUS.

℞ *Lapillorum cancrorum fluviatilium; corallii præparati* ana ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *conſervâ roſarum.*

℞ *Diaſcordii* drachmam unam. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus.

℞ *Confectionis de hyacintho* drachmam unam. *Lapillor. cancrorum* ſcrupulum unum. *Salis tartari* grana duodecim. Miſce. Fiat bolus.

℞ *Conſervæ kynorrhodon* drachmam unam. *Oſſis ſepiæ* ſcrupulos duos. *Salis cathartici amari* ſcrupulum ſemis. Fiat bolus cum *ſyrupo de roſis ſiccis.*

℞ *Concharum præparatarum; cornu cervi præparati* ana ſemi-drachmam. *Antimonii diaphoretici* grana duodecim. Fiat bolus cum *conſervâ kynorrhodon.*

OPIATA.

℞ *Lapillorum cancrorum* unciam unam. *Corticis Peruviani; rhabarbari* ana drachmas duas. *Salis Rupellenſis* drachmam unam. Fiat ex arte opiata cum *ſyrupo de cichorio cum rheo.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Cornu cervi præparati; corallii rubri; kinækinæ* ana ſemi-unciam. *Corallii præparati; ſalis abſinthii* ana drachmam unam. Fiat opiata cum *ſyrupo cydoniorum.* Doſis ad drachmam unam.

COMMENTARIA.

ANTI-ACIDA.

COMMENTARIA.

(1.) CORALLIUM eſt quædam planta marina, rupibus, conchis, aliiſque obviis corporibus adnata, quæ in mari mediterraneo, ad littora præſertim Gallo-Provinciæ, naſcitur: haud ſeorsùm, uti cæteræ plantæ, ſed deorsùm in cavernis creſcens. Nùm ad vegetabilium, vel ad animalium claſſem pertineat? plures dubitant; ſed illud dubium in medio relinquimus. Non ſecùs ac corallina, præparatione quâdam indiget corallium, ut in uſum medicum veniat. Inter abſorbentia efficaciora & uſitatiora recenſetur; atque ad compeſcendum hunc ſtomachi ardorem, ab aceſcente bile ortum, quem ſodam nuncupant, nulli ſecundum; nec ipſi denegatur vis comprimens: virtute demùm anodynâ & antiſpaſmodicâ pollere videtur; ubi dolores & convulſiones à ſaburrâ primarum viarum acidâ ſcaturiunt; quod ſæpiùs in infantibus evenire nemo neſcit. A variis commendatur; ſed huic præſidio parùm fidendum eſſe cenſemus. Doſis à granis quindecim ad drachmam unam accedit.

(2.) *Oſtreorum conchæ*, non ſecùs ac alia teſtacea in pulverem rediguntur; vel calcinationi committuntur. Priore proceſſu, accuratè lotæ in aprico collocantur: teruntur demùm & ſolis radiis exponuntur, ut probè exſiccatæ in pulverem tenuiſſimum faceſſere valeant; qui aquâ dein ſubigitur, ut conficiantur trochiſci, *concharum præparatarum* nomine noti: quæ inter præſtantiora abſorbentia numerantur, & exhiberi ſolent à granis quindecim ad drachmam unam. Secundus proceſſus verſatur in ſimplici & notiſſimâ calcinatione, è quâ emergit ſubſtantia quæ materierum calcariarum vires poſſidet; præter quas decantantiſſimum præbet remedium contrà rabiem, quod vix mercurio cedit; ideò dantur cane rabido demorſis hujuſce calcis drachmæ quatuor in vini albi unciis octo; & iteratur hæc doſis poſt viginti quatuor horas. Aliâ methodo exhibetur jam hydrophobiâ correptis; eadem ſcilicèt doſis immiſcetur cum duobus vel tribus ovis in ſartagine frigendis ad intritam, ab ægrotante vorandam, abſque potu: quod bis iteratur, interjecto duodecim horarum ſpatio. *Vide* conchæ præparatæ, & calx.

(3.) *Lapilli cancrorum fluviatilium*, qui, errore craſſiſſimo, pro oculis habebantur, intrà caput, vel potiùs ſtomachum horumce animalculorum, inſtar bezoard, reperiuntur. Sunt lapilli cruſtacei, duri, albi, orbiculati; piſorum vel lentium magnitudine; unâ parte compreſſi & ſinuati, in modum acetabuli; alterâ convexi, ex aſtacis fluviatilibus collecti; quorum demùm ſapor eſt terreus. Præter terram alkalinam quâ præcipuè exſurgunt hæc corpora, materiam quamdam gelatinoſam continent, non ſecùs ac alia abſorbentia ex animalibus deprompta. Corallii inſtar, in trochiſ-

Anti-acida.

cos rediguntur, qui primatum quaſi ducunt inter abſorbentia; & in ſerie comprimentium numerantur. Quapropter egregiè ſe gerunt in cruditatibus acidis; & convulſiones hinc oriundas compeſcunt; nec inutilem opem præſtant ſub vomitu & alvi profluvio. Haud deſunt qui ipſis tribuunt virtutem diaphoreticam, dummodò largâ manu exhibeantur; nùm tutò? practicis examinandum tradimus. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam accedit; hanc ratione ætatis refringi obvium fit.

(4.) *Creta* ſic vocitata ab Inſulâ Cretenſi, è quâ olim tranſvehebatur, pro abſorbente eximio habetur; & ideò ſodæ, aliiſque morbis à ſaburrâ acidâ oriundis opitulatur. Inſuper haud debilem opem præſtat in alvi profluvio, ab æſtuante bile. A nonnullis etiam proficua cenſetur adversùs hæmorrhagiam. Datur in ſubſtantiâ à granis quindecim, ad drachmam unam. Extùs verò uſurpatur tanquàm exſiccans & adſtringens. Alia eſt Cretæ ſpecies, nempè Brianconenſis, quæ ad talci indolem accedens, nullius eſt vis abſorbentis particeps, & ideò ex hocce albo expungenda.

(5.) *Spodium* nil aliud eſt quàm ebur ad albedinem, igne reverberii, combuſtum; & trochiſcorum formâ ſervandum. Abſorbentium claſſem ingreditur, & inter adſtringentia numeratur. Nonnunquàm lacti immiſcetur, ne aciditatem contrahat in ventriculo; & fauſtè uſurpatur in alvi fluxu. A granis quindecim, ad drachmam unam præſcribi ſolet.

(6.) *Cornu cervi* philoſophicè, ut inquiunt, præparatur coctione ex aquâ, in vaſe ritè obturato, ad mollitiem: exſiccatur demùm, ut in pulverem redigi queat. Hic eſt proceſſus qui philoſophicus audit apud veteres Chymicos. Abſorbentium ordini adſcribitur; in vermifugorum numerum aggregatur; in diaphoreticorum tractu recipitur & depurantium gradum obtinet. Datur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Familiaris eſt usûs pro infantibus refractâ doſi. Alia eſt cornu cervi præparatio, calcinatio nempè ad albedinem. Sic uſtum inter comprimentia numeratur; & à ſemi-drachmâ ad drachmam unam præſcribitur.

(7.) *Conchæ* oſtreorum, muſculorum, cochlearum, buccinorum, muricum; aliaque teſtacea indiſcriminatim ſumpta, probè exſiccata, in tenuiſſimum pulverem rediguntur, & cum aquâ ſubiguntur; ut exhinc conficiantur trochiſci; qui, non ſecùs ac è ſolis oſtreis parati, *conchæ præparatæ* audiunt; quæ in abſorbentium ordine admittuntur; inter comprimentia numerantur; nec ipſis denegatur vis diuretica. Exhibentur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

(8.) *Sal tartari* è lixivio tartari ad albedinem calcinati prodit. Ratione naturæ alkalinæ inter abſorbentia eximiora recenſetur: nec inutilem opem præſtat ergà venena corrodentia: ac demùm ad aperientium & incidentium ſeriem refertur. Additur infuſis, decoctis, alteriſve hauſtibus, à granis ſex ad viginti, pro ſingulis doſibus. Rarò formâ ſiccâ uſurpatur, cùm facillimè liqueſcat.

(9.) *Magneſia* olim notiſſima; ſed ſucceſſu temporis, vel Chymico-

rum incuriâ, oblivioni tradita; donec in lucem prodiit, operâ cujuſdam empirici itali, nomine Sentinelli; qui illam pro arcano divenditabat; hinc dictam *la Poudre de l'Italien*; eſt materia ſuperſtes ab evaporatione ad ſiccitatem aquæ, ut inquiunt, matris nitri; quæ ſcilicèt calcinationi ſubjicitur, ad demùm in pulverem redigitur, pluriès aquâ calidâ abluendum; vel donec nullius ſaporis ſit particeps. Tandiù pro remedio eximio, vel polychreſto, celebrata fuit magneſia, quandiù pro arcano, uti fieri ſolet, venditabatur: ſed ubi innotuit; & in apricum venit; ſenſim exolevit & quaſi eviluit. Suas tamen laudes meretur hoc remedium: præter enim vim abſorbentem, pro catharticâ habetur magneſia; nec infimum locum tenet inter aperientia & incidentia mitiora. Ideò ſodæ occurrit: confert in ſcrophulis, aliiſque morbis chronicis qui ab infarctu viſcerum pendent. Haud alvum ſolvit, ni ter exhibeatur ad drachmam unam, interjecto duodecim horarum ſpatio: hunc effectum præcipuè exerit, ubi viget colluvies acida in primis viis; hinc minime mirum ſi faciliùs moveat hypochondriacos, & infantes: quod de cæteris abſorbentibus jam ſuprà notavimus. Tanquàm alterans datur à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam; ſingulis vel alternis diebus. Quoad infantes, ſi à granis quatuor ad duodecim ipſis exhibeatur, vi abſorbente & aperiente gaudet: ad duplum verò catharſim excitare valet.

Anti-acida.

ALVUM COMPRIMENTIA ET ANTI-DYSENTERICA.

Varia eſſe alvi profluvia, cruenta & incruenta, atque à multiplici causâ oriunda, neminem vel rudem & inexpertum fugit: hinc minime mirari ſubit, ſi medicamina diverſæ & contrariæ indolis, in hâcce comprimentium & antidyſentericorum claſſi recipiantur; qualia ſunt acida, demulcentia, refrigerantia, anodyna, adſtringentia, abſorbentia & ſtomachica; quibus addere licet emetica & cathartica, quæ cauſam morbum foventem eradicando cæteris palmam ſæpiùs præripiunt. Omnia remedia hiſce viribus pollentia in medium adducere vetat inſtituti ratio; ſelectiora igitur duntaxàt exhibebimus; cùm reliqua pro curantium nutu & arbitrio ab enumeratis claſſibus depromi queant: notare expedit quòd adſtringentia, abſorbentia & ſtomachica tonica, quæ potiori jure alvum comprimentium titulo gaudent, majori copiâ hanc ſeriem ſubeant: licèt tamen cæteris medicaminibus rariùs uſurpentur: cùm tantummodò congruere videantur, ubi præmiſſis præmittendis, alvi fluxus ab atoniâ ſtomachi & tubi inteſtinalis pendere videtur: aliàs haud citrà periculum in uſum revocari poſſunt; quod ſedulâ mente expendere debent ægrorum ſaluti conſulentes, ne intempeſtivis præſidiis, vel ſalubriorem evacuationem inhibentibus, gravius ſibi faceſſant negotium. Haud abs re erit

Compri-mentia.

prædictis ſubnectere, quod alimenta adſtringentia, uti malum cydonium & granatum; ſorba, ribeſia, &c. antè prandium vel cœnam ſumpta, alvo ſolutiori medentur; at econtrà poſt paſtum comeſa alimentorum deſcenſum juvant & ructus præcavent; conſtringendo ſcilicèt orificium ſuperius ventriculi. Hæc, rationi aliàs conſona, docuit experientia.

EMPORETICA.

Radices anchuſæ, tormentillæ (1), biſtortæ, fragariæ, ſymphyti; rheum. Rhabarbarum monachorum (2), rhaponticum (3), ipecacuanha.

Folia linguæ cervinæ, plantaginis, coronopi, equiſeti, centinodii, piloſellæ, ſophiæ Chirurgorum, acetoſæ, pimpinellæ, cynogloſſi, pervincæ, millefolii, urticæ.... Roſæ rubræ (4), balauſtia.... Semen ſumach, ſophiæ Chirurgorum. Oryza.... Fructus ſorbi (5), punicæ (6), cornûs (7), cydonii (8), kynorrhodon, meſpili (9). Ribeſia: myrobalani (10). Nux moſchata vulgaris & condita. Nuces conditæ. Galla. Nux cupreſſi.... Capita papaveris albi. Malicorium.... Simarouba (11). Cortex ſuberis.... Lignum lentiſci. Hypociſtis (12)... Succus limonum. Vinum cyprienſe.... Sanguis draconis. Acacia. Catechu (13), maſtiche. Opium.... Lac. Ova.... Cornu cervi. Ebur. Os ſepiæ. Lapilli cancrorum.... Corallium. Corallina.... Aquæ Forgienſes, Paſſiacæ, Borbonienſes Anſelmienſes & Arcimbaldicæ, Bellilucanæ, Cauterienſes, Amandinæ.... Bolus armena (14). Terra ſigillata. Creta. Ferrum. Lapis hæmatites.

OFFICINALIA.

Aqua roſarum rubrarum.... Syrupus cydoniorum (15), ribeſiorum, berberis, granatorum, de roſis ſiccis (16), myrtinus compoſitus (17), magiſtralis adſtringens (18), de nymphæâ, de papavere albo.... Spodium, cornu cervi calcinatum, conchæ præparatæ. Laudanum.... Conſerva kynorrhodon, roſarum rubrarum; extractum juniperi... Diaſcordium (19); opiata Salomonis, confectio de hyacintho.... Crocus martis. Tabellæ de terrâ japonicâ.... Trochiſci de karabe. Pilulæ de cynogloſſo.... Spiritus ſulphuris & vitrioli. Aqua Rabel.... Tartarus ſtibiatus. Vitrum antimonii ceratum (20).

Compri-
mentia.

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ Oryzæ lotæ uncias duas. Coque ad crepaturam in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Cola pro potu, qui aqua oryzæ vulgò dicitur.

℞ *Maſtiches* unciam unam. Coque in aquæ libris ſex, ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura ſervetur ad uſum.

PTISANA.

℞ *Corticis ſuberis*, tenuiſſimè inciſi, in nodulo, uncias duas. Coque per horam in aquæ q. ſ. ad libras duas.

℞ *Oryzæ* lotæ unciam unam & ſemis. *Raſuræ cornu cervi* in nodulo unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Radic. tormentillæ* & *biſtortæ* ana unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *roſarum rubrarum* manip. unum. Pro potu.

TINCTURA.

℞ *Roſarum rubrarum* exungulatarum à ſemi-unciâ ad unciam unam. *Olei vitrioli* ſemi-drachmam. Superaffunde aquæ ferventis libras duas & ſemis. Infunde per trihorium. Colaturæ adde, ſi lubeat, *ſaccharum*, vel *ſyrupum cydoniorum*. Hæc eſt tinctura roſarum vulgatiſſima.

INFUSUM.

℞ *Radicis Braſilienſis* craſſiuſculè tritæ drachmas duas. Infunde calidè per noctem in *aquæ cardui benedicti* unciis ſex, pro hauſtu. Secundâ & tertiâ die; cùm reſiduo iteretur infuſum. Primum vomitum ciet; ſecundum alvum ſolvit; tertium comprimit. Deprædicatur in dyſenteriâ.

DECOCTUM.

℞ *Cornu cervi calcinati*; & *micæ panis* albiſſimi ana uncias duas. Coque in aquæ libris tribus, ad tertiæ partis conſumptionem. Colaturæ adde *ſacchari* q. ſ. pro potu, qui decoctum album audit.

℞ *Hordei mundati* uncias duas. *Raſuræ cornu cervi*; *radicum ſcorſoneræ* ana unciam unam. Micæ panis uncias tres. Bulliant in aquæ libris quatuor ad duas. Adde ſub finem *liquiritiæ* q. ſ. Cola pro potu.

℞ *Simaroubæ* craſſiuſculè tritæ drachmas tres. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libram unam. Cola pro tribus doſibus, alternâ quâque horâ exhibendis.

COMPRI-MENTIA.

℞ *Cornu cervi uſti* unciam unam; *gummi arabici* unciam ſemis; *ſacchari* unciam unam. Bulliant in aquæ libris quatuor ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura albicans, cui addere licet tantillum *aquæ florum aurantiorum*, ſervetur ad uſum.

℞ *Corticis ſimaroubæ* drachmas duas; coque in aquæ fontanæ libris duabus ad dimidiæ partis exhalationem. Cola pro tribus doſibus ſingulis trihoriis ſumendis.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias ſex. *Terræ ſigillatæ* ſemi-drachmam. *Syrupi cydoniorum* unciam unam. Fiat julepus. Cui addere licet *tincturæ anodynæ* guttas duodecim.

℞ *Aquæ roſarum* uncias ſex. *Aquæ cinnamomi hordeatæ* drachmam unam. *Diaſcordii* ſemi-drachmam. *Syrupi cydoniorum* unciam unam. *Laudani* gran. unum. Miſce pro julepo anti-dyſenterico.

HAUSTUS.

℞ *Tincturæ roſarum* uncias ſex. *Diaſcordii* vel *confectionis de hyacintho* drachmam unam. *Syrupi de roſis ſiccis* unciam unam. Miſce.

℞ *Terræ Japonicæ* drachmam unam. Bulliat per horæ quadrantem in aquæ unciis ſex. Per ſubſidentiam depura; & adde *ſyrupi cydoniorum* unciam unam.

℞ *Rhei* & *Myrobalanorum citrinorum* contuſorum ana drachmas duas. Infunde per noctem in *decocti cichorii* unciis octo. In expreſſione diſſolve *mannæ* unciam unam & ſemis. *Syrupi de cichorio compoſito* unciam unam.

℞ *Tamarindorum* unciam unam. *Roſarum rubrarum* pug. unum. Coque in aq. q. ſ. In colaturâ infunde *rhabarbari* drachmam unam. Expreſſioni adde *ſyrupi de cichorio cum rheo* unciam unam. *Ipecacuanhæ* grana quatuor.

℞ *Rhapontici triti* drachmas duas. *Myrobalanorum citrinorum* drachm. unam. *Summit. abſinthii minoris* pug. unum; coque in aquæ unciis octo. In colaturâ dilue *catholici duplicati* unciam unam, pro hauſtu.

℞ *Decocti plantaginis* uncias tres; *diaſcordii* drachmam unam; *ſyrupi papaveris albi* drachmas tres. Miſce. Fiat hauſtus horâ ſomni exhibendus.

POTIO.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias octo. *Aquæ flor. aurantiorum* unciam unam. *Diaſcordii* drachmam unam: *terræ ſigillatæ* & *corallii præparati* ana ſemi-drachmam. *Syrupi magiſtralis adſtringentis* unc. unam. *Laudani liquidi* gutt. quindecim. Miſce. Fiat potio, pro duplici doſi.

℞ *Aquæ roſarum* unc. ſex. *Corallii & ſanguinis draconis* ana ſcrupulum unum. *Confectionis de hyacintho* ſemi-drachmam. *Syrupi cydoniorum* uncias duas. Miſce. Fiat potio, cochleatim ſumenda.

℞ *Aquæ meliſſophylli* uncias ſex. *Boli armenæ* & *terræ ſigillatæ* ana ſemi-drachmam. *Theriacæ* ſcrupulos duos. *Syrupi de roſis ſiccis* unciam unam. Fiat potio è cochleari.

℞ *Tincturæ roſarum* uncias octo. *Diaſcordii* drachmas duas. *Catechu* gran. viginti. *Ipecacuanhæ* gran. duodecim. Miſce pro potione, cochleatim exhibendâ. COMPRIMENTIA.

APOZEMA.

℞ *Oryzæ* lotæ ſemi-unciam. *Raſuræ cornu cervi*, in nodulo, drachmas ſex. *Radicum conſolidæ majoris* ſemi-unciam. *Corticis granatorum*; *radicum tormentillæ* ana drachmas duas. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libr. duas. Colaturæ adde *ſyrupi granatorum* uncias duas. Fiat apozema ad uſum.

℞ *Radic. biſtortæ* & *tormentillæ* ana ſemi-unciam. *Foliorum plantagin.* & *acetoſæ* ana manip. unum. *Roſarum rubrarum*, & *balauſtiorum* ana pug. unum. Bulliant, ut artis eſt, in aq. q. ſ. ad libras duas. In colaturâ diſſolve *ſucci urticæ* ritè defœcati uncias quatuor, & *ſyrupi cydoniorum* uncias duas. Fiat apozema.

GELATINA.

℞ *Raſuræ cornu cervi* ſemi-libram. Coque igne lento in aq. libris ſex, ad libras duas. Colaturæ clarificatæ adde *ſacchari* uncias ſex. *Vini albi* uncias quatuor. *Succi citrei* unciam unam. Iterùm coque ad debitam conſiſtentiam. Calens effundatur in patinis. Addere licet *eſſentiam corticum citrei.*

PULVIS.

℞ *Rhei electi* à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam. *Pulveris cinnamomi* grana decem. Miſce pro pulvere.

℞ *Ipecacuanhæ*, *rhabarbari* ana grana duodecim. Miſce. Fiat pulvis, pro doſi.

℞ *Vitri antimonii cerati* à granis quatuor, ad duodecim. *Catechu* grana decem. Miſce.

℞ *Semin. ſumach* ſemi-drachmam. *Acaciæ*, *hypociſtidis* ana grana decem. Miſce.

℞ *Cremoris tartari* drachmas tres; *radicis braſilienſis* drachmam unam. Miſce pro ſex doſibus, ad dyſenteriam mali moris.

BOLUS.

℞ *Conſervæ roſarum corallii præparati* ana ſemi-drachmam. *Syrupi granator.* q. ſ. Fiat bolus.

℞ *Conſerv. roſarum rubrarum* drachmam ſemis. *Laudani* gran. unum vel alterum. Miſce. Fiat bolus.

℞ *Conſerv. ſymphyti* drachmam unam. *Lapid. hæmatit.* & *croci martis adſtringent.* ana ſcrupulum ſemis. Miſce. Fiat bolus cum ſaccharo.

℞ *Diaſcordii* ſcrupulum unum. *Ipecacuanhæ*, *corallii* & *catechu* ana grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de papavere albo.*

℞ *Conſervæ kynorrhodon* & *radicum helenii* ana ſemi-drachmam. *Terræ*

COMPRIMENTIA.

Japonicæ grana quindecim. *Cinnamomi* gran. ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de abſinthio.*

℞ *Corticis ſimaroubæ*, *corallii præparati* ana ſcrupulum unum. *Nucis moſchatæ* grana ſex. *Pilulæ de cynogloſſo* grana duo. Miſce. Fiat bolus cum *conſervâ kynorrhodon.*

℞ *Theriacæ veteris* ſemi-drachmam. *Cornu cervi præparati*, *catechu* ana grana duodecim. *Laudani* granum unum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo magiſtrali adſtringente.*

℞ *Confectionis de hyacintho* ſemi-drachmam. *Corticis granatorum*; *myrobalanorum citrinorum* ana ſcrupulum unum. *Tincturæ anodynæ* gutt. decem. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de gentianâ.*

℞ *Rad. Braſilienſis* grana octodecim. *Diaſcordii* ſcrupulos duos. *Croci* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio cum rheo.*

OPIATA.

℞ *Conſervæ roſarum* ſemi-unciam. *Ipecacuanhæ* ſemi-drachmam. *Catholici duplicati* unciam unam. *Diaſcordii* drachmas duas. Miſce. Fiat opiata pro tribus doſibus, per totidem dies ſumendis.

℞ *Conſervæ kynorrhodon* unciam unam. *Terræ ſigillatæ* & *ſanguinis draconis* ana ſemi-unciam. *Pilulæ de cynogloſſo* grana viginti. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de roſis ſiccis.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Extracti juniperi* unciam unam. *Catechu* & *rhabarbari* ana drachmas duas. *Ipecacuanhæ* drachmam unam. *Laudani* grana octo. Accuratè miſce & fiat opiata cum *ſyrupo magiſtrali adſtringente.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Confectionis de hyacintho* ſemi unciam. *Terræ ſigillatæ*, & *catechu* ana drachmam unam. *Sanguinis draconis* ſcrupulos duos. *Ipecacuanhæ* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de papavere albo.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Diaſcordii* drachmas duas. *Trochiſcorum de karabe* ſcrupulos duos. *Spodii* & *Terræ Japonicæ* ana ſemi-drachmam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo cydoniorum.* Pro tribus doſibus.

℞ *Conſervæ roſarum rubrarum* drachmas ſex. *Diaſcordii* ſemi-unciam. *Pulveris rhabarbari* drachmas duas. *Olei cinnamomi* guttas quatuor. *Laudani liquidi* guttas octoginta. *Syrupi cydoniorum* ſemi-unciam. Probè miſceantur. Doſis ad drachmas duas vel unc. ſemis.

PILULÆ.

℞ *Terræ Japonicæ* uncias duas. *Olei cinnamomi* guttas quatuor. *Syrupi de roſis ſiccis* q. ſ. ad efformandam maſſam pilularem. Doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam.

TABELLÆ.

℞ *Catechu* unciam unam. *Sacchari* uncias quatuor. Miſce cum ſ. q. *Mucilaginis gummi tragacanthi* & *aquæ florum aurantiorum.* Fiant ex arte tabellæ. Doſis à drachmâ unâ ad drachmam unam & ſemis.

COMMENTARIA.

COMPRIMENTIA.

COMMENTARIA.

(1) Tormentilla ſylveſtris, C. B. pin. Heptaphyllon, Fuchs. (*Tormentille*).

Alpina & pyrenæa hæc planta radicem præbet ſaporis acerbi, quæ inter præſtantiora comprimentia recenſetur; nec minùs virtute adſtringente & vulnerariâ celebratur. Hinc opportunè uſurpatur, præmiſſis præmittendis, contrà vomitum & alvi fluxum; ac laudem haud exiguam, in quovis ſanguinis profluvio, meretur. Datur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam; & ad duplum in infuſo. Nonnulli quotidiè fruſtulum hujuſce radicis maſticant, ut dyſenteriæ epidemicæ contagium arceant.

(2) *Rhabarbarum Monachorum*, J. B. Lapathum hortenſe latifolium, Inſt. rei herb. (*Rhubarbe des Moines*).

Hæc lapathi ſpecies, quæ in noſtris hortis vulgò colitur, ad genuinum rheum, ratione virium, accedere dicitur; cum eo tamen diſcrimine, quod vix catharſim moveat, & magis alvum comprimat. Aliàs multùm diſcrepat hæc planta, ratione faciei, à rheo & rhapontico, de quibus ſuprà. Rarò in uſum apud noſtrates trahitur, licèt proficua cenſeatur in diarrhœâ & dyſenteriâ. Ad drachmam unam vel alteram præſcribitur in ſubſtantiâ; & ad duplum in infuſo, vel decocto.

(3.) *Rhaponticum*, Proſp. Alpin. Rhabarbarum fortè Dioſcoridis & Antiquorum, Inſt. rei herb. (*Rapontic*).

Hæc planta hortenſis & latè virens, ampliſſimâ florum albicantium paniculâ, & latitudine foliorum ſummè conſpicua, radicem habet à vero rhabarbaro parùm diſcrepantem. Nulla tamen ipſi ineſt vis purgans: ſed jure inter comprimentia numeratur, & ſtomachicorum claſſem ſubit. Nihilominùs vix in uſum venit. Doſis ad drachmam unam, & ultrà: ad duplum verò in infuſo, vel in decocto.

(4.) *Roſa rubra* multiplex, C. B. pin. (*Roſe de Provins*).

Inter comprimentia uſitatiora numerantur roſæ rubræ; nec infimum gradum tenent in adſtringentium & detergentium ſerie: ideò vomiturientibus ſuccurrunt: deprædicantur in alvi fluxu & dyſenteriâ; atque utiles cenſentur in hæmorrhagiâ. Siccæ dantur in infuſo à ſemi-unciâ ad drachmas ſex, pro libris duabus aquæ. Huic tincturæ addi ſolet ſpiritus vitrioli; non ſolùm ad ipſi conciliandum colorem rubrum; ſed etiam ut vis adſtringens intendatur. Ex illis paratur conſerva cujus doſis ad drachmam unam vel alteram accedit. Proſtat quoque in officinis aqua diſtillata pro utroque uſu; ſed crebriùs extùs uſurpatur pro collyriis roborantibus, vel injectionibus detergentibus: inſuper roſæ rubræ ingrediuntur enemata detergentia, dyſenteriæ & teneſmo dicata. Coquuntur demùm in vino rubro pro fotubus & cataplaſmatibus roborantibus & repercutientibus,

quæ in familiarem uſum veniunt adversùs contuſiones & diſtorſiones variarum partium. *Vide* ſyrupus, mel, oleum, unguentum, &c.

COMPRIMENTIA.

(5.) *Sorbus* ſativa, C. B. pin. (*Cormier*).

Hujuſce arboris fructibus edulibus ineſſe vim comprimentem neminem fermè latet: ideò proficui cenſentur adversùs vomitum & alvi fluxum. In hunc ſcopum ſæpiùs, tempeſtate congruâ, vel tempore maturitatis, haud improſperè vorantur ab agricolis. Aliàs rarò in uſum medicum cedunt. A nonnullis ſaccharo conditi ſervantur, ut illos ſingulis anni tempeſtatibus præ manibus habeant. Sumuntur à numero quatuor ad duodecim, & ultrà pro ægrorum arbitrio.

(6.) *Punica* flore majore pleno, Inſt. rei herb. (*Grenadier à fleur*).

Punica quæ malum granatum fert. Cæſ. Inſt. rei herb. (*Grenadier à fruit*).

Flores, qui *Balauſtia* apud Pharmacopœos audiunt, in comprimentium & adſtringentium ordine continentur, & ad tonicorum gradum promoventur. Hinc occurrunt alvi profluvio & dyſenteriæ; valent in hæmoptyſi; conducunt in gonorrhœâ, aliiſque variæ ſortis fluxibus morboſis. Dantur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam, & ad duplum in infuſo. Nonnunquàm extùs uſurpantur, & præcipuè ad gargariſmata antiſcorbutica. *Cortex*, vel putamen *granatorum*, quod MALICORII nomine ſalutatur in officinis, cui ineſt ſapor auſterus, iiſdem gaudet proprietatibus; imò & efficacior cenſetur; ac in ſubſtantiâ præſcribitùr à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & à drachmis duabus ad ſemi-unciam pro ſingulis decocti vel infuſi libris. In uſum externum etiam venit prædictus cortex: ingreditur nempè collyria, gargariſmata & enemata adſtringentia: ſuccus mali granati, tùm dulcis, tùm acidi, pro refrigerante præſtantiſſimo habetur; nec ipſi denegatur vis cardiaca. Vulgò ſuguntur grana, vel acini hujuſce fructûs dulcis, ab ægris qui ſiti moleſtantur: ſuccus verò acidi ad ſyrupum, de quo alibi, adhibetur.

(7.) *Cornus* hortenſis mas, C. B. pin. (*Cornouillier*).

Hujuſce arboris fructus, ad olivæ formam accedens, & nucleo donatus, acerbus & ſubdulcis, quem edunt ruſtici, ſtomachum refocillat; & alvum comprimit. Sicci coquuntur ad unciam unam vel alteram in aquæ libris duabus pro ptiſanâ; vel pulvis ex vino exhibetur ad drachmam unam, & ultrà. Sed vix niſi à plebeculâ, cui denegantur alia præſidia, uſurpantur.

(8.) *Cydonia* fructu oblongo leviori, Inſt. rei herb. (*Coignaſſier*).

Fructus, vel cydonium, inter comprimentia principem locum obtinet; atque etiam in exquiſitiorum ſtomachicorum numero adſcribitur. Sed uſitatior eſt ſyrupus de quo infrà. Cydonium ſaccharo vel melle diverſimodè conditum, pro alimento gratiſſimo habetur; quod viribus jam memoratis minime deſtituitur. Semen mucilaginoſum in ſerie demulcentium recipitur; & datur in infuſo ad ſemi-unciam pro quâque librâ aquæ. Ex illo in aquâ tepidâ per viginti quatuor horas macerato, non ſecùs ac

à ſemine lini & pſyllii, extrahitur mucago, quæ haud improſperè adhibetur ad compeſcendum pectoris æſtum quo tuſſientes & hæmoptyſici conqueruntur: nec minùs confert in dyſenteriâ & ſtranguriâ, in ardore & excoriatione linguæ & faucium, &c. Sub formâ linctûs præſcribitur ad uncias duas, & ultrà. Latiſſimus eſt hujuſce mucilaginis, cum aquâ ſperniolæ extractæ, externus uſus: etenim inflammationem oculorum ſedat; hæmorrhoïdes furentes cicurat; linguæ ariditati occurrit; nec inutilem opem præſtat in combuſtione, excoriationibus, fiſſuris, &c.

COMPRIMENTIA.

(9.) *Miſpilus* vulgaris, Cluſ. (*Néflier*).

Fructus acerbi, inter edules vix numerandi, vi comprimente præditi; nonnunquàm ab agreſtibus adversùs alvi fluxum pro arbitrio uſurpantur: aliàs poſthabentur. Nec magis arrident nuclei, qui tamen inter diuretica cenſeri queunt.

(10.) *Mirobalani* diverſæ ſortis occurrunt in officinis; nimirùm belliricæ, chebulæ, citrinæ, emblicæ & indæ, inter quas citrinæ duntaxàt in uſum veniunt: in comprimentium agmine recipiuntur; & proſunt in alvi fluxu à ſemi-drachmâ ad drachmam unam in ſubſtantiâ; & ad duplum in decocto aut infuſo. Haud deſunt qui hoſce fructus, refractâ doſi, pro viribus inſtaurandis adhibent. Scire juvat quòd horum infuſum, vel leve decoctum, alvum nonnihil ſolvat.

(11.) *Simarouba* audit cortex cujuſdam terebinthi americanæ, de quâ Sloane. È radicibus colligitur prædictus cortex, longis fibrillis intertextus, pallidi coloris, ſaporis haud ingrati, amari & ſubadſtringentis. Pro exquiſitiſſimo ſtomachico & comprimente habetur; quod opportunè exhibetur ſub dyſenteriâ & alvi profluvio. Præthereà in tonicorum & adſtringentium claſſe admittitur; & ideò ad ſiſtendum ſanguinem, è quâvis parte erumpentem, fauſtè ſæpiùs uſurpatur: nec vi anodynâ deſtituitur, quæ dolores ſedare & ſomnum conciliare valet. Datur ſemel vel pluriès pro re natâ in die, ab ſcrupulo uno, ad drachmam unam, in ſubſtantiâ; & ad duplum in decocto.

(12.) *Hypociſtis* vocitatur extractum ſiccum & nigricans, acaciæ ferè compar, ac nonnihil reſinoſum; ſaporis acidi, auſteri & adſtringentis; plantæ cujuſdam cognominis, quæ ſurculi inſtar, orobanches formâ, è ciſti radice exſurgit; tota abſciſſa contunditur, atque ſuccus expreſſus inſpiſſatur, qui è Cretâ inſulâ, vel è Gallo-Provinciâ advehitur. In comprimentium ordine jure collocatur, atque adſtringentium vel ſtypticorum ſeriem ſubit: hinc deprædicatur ad alvum conſtringendum, & hæmorrhagiam cohibendam. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos. Inter adſtringentia, inſuper externa recenſetur; & ſæpiùs gargariſmata repercutientia ingreditur.

(13.) *Catechu*, vel *Terra japonica* (*le Cachou*), eſt materia quædam gummoſo-reſinoſa, in aquâ calidâ ſolubilis, menſtruiſque ſpirituoſis pariter auſcultans, è rufo nigricans ſaporis primò acerbi & ſubamari, dein dulcis non ingrati, quæ olim pro merâ terrâ habebatur; vel extractum

COMPRIMENTIA.

ſiccum, lapidis inſtar denſum & ponderoſum cujuſdam fructûs palmæ indicæ, de quâ *Plumerius*. Nuſquàm adhibetur hoc concretum binomine quale ad nos defertur; ſed præviâ quâdam præparatione defœcatur; in pulverem ſcilicèt redactum, in aquâ calidâ ſolvitur: percolatum, quieti traditur: decantatur demùm & evaporationi ad ſiccitatem balneolo committitur. Pro tonico ſtomachico eximio habetur; ac ſummam opem confert in vomitu, dyſenteriâ, aliiſque alvi profluviis: nec minùs celebratur tanquàm adſtringens ſummè proficuum in ſputo cruento, menſium & hæmorrhoïdum fluxu immodico, aliiſque hæmorrhagiis; laudatur in urinæ incontinentiâ & diabete; nec demùm inutilem opem præſtat in tuſſi & raucedine. Datur in ſubſtantiâ à granis decem ad triginta; in decocto verò à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Nonnulli ptiſanam parant cum catechu drachmâ unâ & aquæ libris duabus. Alii hoc extractum ſincerum; vel paſtillorum formâ ſaccharo immixtum in ore detinent incertâ doſi. Extùs etiam tanquàm vulnerarium adſtringens adhibetur; & ſæpiùs ſub hoc conſpectu gargariſmata repercutientia, anginoſa & antiſcorbutica ingreditur.

(14) *Bolus armena* dicitur terra flavo-rubra, pinguis, ſtyptica, & linguæ hærens; quæ vix è variis Galliæ tractibus eruitur, planè ſimilis bolo, quæ olim ex Armeniâ devehebatur. Præparatione quâdam indiget ut in uſum medicum veniat; ſolvitur nempè in aquâ, ut partes craſſiores ſubſideant: hæc demùm particulis tenuioribus imprægnata, & decantata iterùm quieti traditur, donec limpida evadat, vel pulvis ſubtiliſſimus fundum vaſis petat, qui exſiccatus tanquàm comprimens & adſtringens eximium ſervatur; atque à granis duodecim ad ſemi-drachmam, & ultrà, præſcribi ſolet. Nonnulli bolum armenam vi abſorbente pollere autumant; quibus refragantur experientiâ edocti. Extùs admota inter adſtringentia & repercutientia numeratur; & fauſtè ſub hoc conſpectu uſurpatur. De innumeris aliis boli ſpeciebus, iiſdem fortè proprietatibus inſtructis, nil addimus; cùm bolus noſtras, armena dicta, ſit cæteris vulgatior.

(15.) *Syrupus cydoniorum* nihil aliud eſt quàm ſuccus horumce fructuum defœcatus, & ſolitâ arte cum ſaccharo coctus. Pro ſtomachico & comprimente eximio, nemine diſcrepante, habetur; ac in familiarem uſum venit, ſervatis ſervandis, adverſùs debilitatem ſtomachi & diarrhœam, à ſemi-unciâ, ad unciam unam & ſemis.

(16.) *Syrupus de roſis ſiccis* paratur infuſione calidâ roſarum rubrarum per duodecim horas; cujus colatura, cum ſaccharo, balneolo coquitur. Stomachicorum & comprimentium ſeriem ſubit & in adſtringentium tractu recipitur. Utilis eſt in vomitu; confert in diarrhœâ & dyſenteriâ; atque hæmorrhagiæ obviam it. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam & ſemis. Quoad uſum externum; adſtringentium & detergentium ordini adſcribitur; & ſub hoc conſpectu varia gargariſmata ingreditur.

(17.) *Syrupus myrtinus compoſitus* è variis adſtringentibus conficitur: præter enim myrti baccas; recipiuntur fructus meſpili, berberis & ſu-

mach; balauſtia & roſæ rubræ; atque ſantalum: quæ omnia calidè macerantur, per viginti quatuor horas, in ſuccis cydoniorum & pyrorum ſylveſtrium aquâ temperatis; qui prævià colaturâ in ſyrupum cum ſaccharo coquuntur. Inter ſtomachica & comprimentia, locum meretur; in ſerie refrigerantium collocatur; & adſtringentium ordini adſcribitur: ideò opportunè exhibetur, præmiſſis præmittendis, in alvi fluxu & hæmorrhagiâ à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis. COMPRIMENTIA.

(18.) *Syrupum magiſtralem adſtringentem* ingrediuntur rheum, myrobalani, roſæ rubræ, balauſtia, ſantalum & cinnamomum; quæ infunduntur per duodecim horas in ſuccis fructuum berberis & groſſulariæ, aquâ roſarum rubrarum & plantaginis temperatis; & poſteà colatura coquitur pro ſyrupo. Parùm diſcrepat ratione virium à myrtino & ſimili ratione uſurpatur.

(19.) *Diaſcordium*, electuarium haud incelebre, nomen ab ſcordio, ſed vires ab ſtomachicis, adſtringentibus, aromaticis & laudano, melle & vino exceptis mutuatur. Pro ſtomachico & comprimente egregio habetur, & in familiariſſimum uſum venit adversùs debilitatem ſtomachi & alvi fluxum: inſuper vi hypnoticâ pollet; quâ tamen orbatur annoſum. Doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam.

(20.) *Vitrum antimonii ceratum* emergit è fuſione vitri antimonii cum ceræ citrinæ octavâ parte. Hæc miſcella ſuprà papyrum repoſita in exiguiſſimum demùm pulverem redigitur. Paucis abhinc annis inventum à medicis Edimburgenſibus hoc remedium, fortè ultrà modum, uti mos eſt, ſplendidis laudibus celebratum; haud exiguam laudem meretur in dyſenteriâ, dummodò opportunè exhibeatur: ſed multùm abeſt quin ſpecifici titulum, uti fertur, ſibi vindicet. Incertum enim effectum exerit: nunc ſcilicèt vomitum movet; nunc alvum ſolvit; nonnunquàm etiam ne minimam quidem evacuationem excitat. Datur, præmiſſis præmittendis, ſingulis vel alternis diebus, primò à granis duobus ad quatuor boli formâ, imò & hanc doſim augere licet, ratione morbi pertinaciæ: donec ad grana duodecim & ultrà accedat. Quandòque evenit ut unâ vel alterâ doſi morbus debelletur; ſed tres quatuorve doſes utplurimùm requiruntur: haud tamen ſemper ritè ſucceſſiſſe illud remedium, multiplici experientiâ novi, quod aliàs, etſi cautè adhibitum, haud innoxium ſemper videtur. Nùm tantillum ceræ inter encheireſim combuſtæ & exſiccatæ, vitro antimonii adjectæ, ſatis infringere & compeſcere valeat prædicti vitri virulentiam & ſævitiem jure dubitat clar. TRILLERUS; cujus ſententiæ, pace ſecùs judicantium, adſtipulamur.

Diuretica ſub acutis.

DIURETICA SUB ACUTIS.

Diuresim moveri à diverſæ ſortis remediis, neminem fermè fugit: alia nempè demulcentia & refrigerantia, quæ præſertim hùc ſpectant, cenſentur, altera verò ſtimulantia audiunt; de quibus infrà. Prima, circà quæ verſatur hæc claſſis, morbos acutos reſpiciunt, inter quos utplurimùm læduntur ſecretionis organa: ſecunda verò adversùs morbos chronicos uſurpantur; ubi ſcilicèt ſanguis & humores dyſcraſiâ quâdam laborant, illæſo organo. Nonnulla tamen occurrunt diuretica quæ ad utramque claſſem pertinere videntur; quæ ſcilicèt deprædicantur tàm in acutis, quàm in chronicis; adeò ut dubitare liceat nùm peculiari quâdam, vel ſpecificâ vi actionem ſuam exerant. Aqua omnium diluentium præſtantior, & quæ ipſis baſim ſuppeditat, egregiam opem præſtat, ſi renes calculis, aliâve quâcumque causâ obſtruantur: nec minùs proficua cenſetur, ubi hæc organa, non ſecùs ac alia viſcera abdominalia, conſtrictione ſpaſmodicâ corripiuntur, quâ ſæpiùs inter febrem, lotium ſufflaminatur: pro efficaciori habetur ſub hâc conditione, ſi nitroſis, acidis, aliiſque refrigerantibus ſocietur. Hypnotica dolores ſedando, vel ſpirituum ferociam coërcendo, renes ſæpiùs liberant; & omnibus diureticis palmam præripiunt. Eamdem opem conferre queunt venæ ſectiones, quarum ope omnia præter ſpem ad alcyonium ſtatum ſæpiùs revocantur. Imò & in urgentiori caſu ad emeticum, tanquàm ad ſacram anchoram confugere licet; dummodò vires ſinant: plures enim vidiſſe memini ad interitum ruentes, hocce præſidio, præter omnium expectationem, incolumes evaſiſſe.

EMPORETICA.

RADICES althææ, nymphææ, liquiritiæ, graminis, arundinis (1), eryngii, calcitrapæ. Pareira brava (2).

Folia borraginis, lactucæ, taraxaci, parietariæ (3), oxytriphylli, fumariæ, linguæ cervinæ, rutæ murariæ, ſaxifragæ, herniariæ (4), meliſſæ Tragi (5).

Flores althææ, malvæ, nymphææ, verbaſci, meliloti.... Semina frigida majora & minora, papaveris, lini, pſyllii, violæ, paliuri (6); cicer (7).... Fructus alkekengi (8), & kynorrhodon; amygdalæ dulces, ſebeſtena, nuclei pinei.... Succus limonum, citreorum... Lignum nephriticum (9).... Terebinthina vulgaris, & chia (10), balſamum peruvianum.... Sapo, nitrum (11), ſperma ceti... Pullus, vitulus, ranæ, cancri fluviatiles.

OFFICINALIA.

AQUA parietariæ, lactucæ, liliorum, ſperniolæ, herniariæ, nymphææ.... Aqua picea, ſerum lactis... Succus cerefolii, petroſelini.... Mucilago ſeminum lini, pſyllii... Oleum amygdalarum dulcium, lini... Balſamum Fioraventi.... Syrupus de althæâ, de nymphæâ, de limonibus, de papavere albo.... Conſerva kynorrhodon.... Pilulæ ſtephenſianæ (12).... Trochiſci Gordoni.... Oleum terebinthinæ... Cryſtallus mineralis, cremor tartari.

Diuretica ſub acutis.

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ Nitri purificati, vel cryſtalli mineralis, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Diſſolve in aquæ tepidæ libris duabus. Pro potu.

℞ *Cremoris tartari* drachmam unam. Bulliat in aquæ fontanæ libris duabus. Pro potu.

PTISANA.

℞ *Seminum lini*, in nodulo, unciam unam. Bulliant leviter in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Fiat ptiſana.

℞ *Florum malvæ* manip. unum. Superaffunde aquæ ferventis libras quatuor. Infunde per horæ quadrantem, & cola.

℞ *Radicum althææ* uncias duas. Bulliant leviter in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem liquiritiæ ad drachmas duas.

℞ *Linguæ cervinæ* manip. duos. Infunde in aquæ ferventis libris quatuor. Diſſolve *nitri purificati* drachmam unam.

℞ *Fructus alkekengi*, numero decem. *Radic. althææ* unciam unam. *Seminum lini*, in nodulo, ſemi-unciam. Bulliant in ſ. q. aquæ, ad libras quatuor.

℞ *Folior. parietariæ* manip. unum. *Seminum lini* contuſorum drachmas duas. Bulliant per horæ quadrantem in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *florum nymphææ* manip. ſemis. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Radic. althææ* unciam unam. *Capitum papaveris albi* cum ſeminibus contuſorum drachmas tres. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *ſeminis lini* & *melonis* contuſorum ana drachmas duas. Fiat ptiſana.

℞ *Radic. graminis* unciam unam. *Capillorum veneris*; *foliorum parietariæ* ana manip. unum. *Florum malvæ* manip. ſemis. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor.

℞ *Rad. nymphææ* uncias duas. Coque in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *foliorum parietariæ* manip. unum. *Seminum lini* contuſorum, in nodulo, ſemi-unciam.

℞ *Corticis radic. calcitrapæ* ſemi-unciam. *Capitum papaveris albi* contuſorum drachmas duas. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *nitri purificati* drachmam unam.

℞ *Radic. arundinis* uncias duas. *Folior. ſcolopendrii* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Ad lochia ſuppreſſa.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ liliorum* uncias quatuor. *Olei amygdalarum dulcium* uncias duas. *Syrupi limonum* unciam unam. Miſce.

DIURETICA SUB ACUTIS.

℞ *Aquæ lactucæ* uncias quatuor. *Succi parietariæ* ritè defœcati uncias duas. *Syrupi de nymphæâ* drachmas ſex. *Spiritus nitri dulcis* guttas octo. Miſce.

EMULSIO.

℞ *Semin. frigid. majorum* drachmas duas. *Amygdalarum dulcium* paria duo. Contundantur ſenſim affundendo aquæ uncias ſex. Colaturæ adde *ſyrupi de althææ* unciam unam. *Spiritûs nitri dulcis* guttas decem.

℞ *Seminum frigid. majorum* drachmas duas. Contunde ſenſim affundendo *aquæ parietariæ* uncias ſex. Sub finem adde *fructus alkekengi*, etiam contundendos, numero quatuor. Expreſſioni adde *ſyrupi de nymphæâ* unciam unam.

℞ *Amygdalas dulces* excorticatas, numero octo. Fiat emulſio cum *aquâ parietariæ* ad uncias ſex. Adde *terebinthinæ venetæ*, in ovi vitello ſolutæ drachmam ſemis. *Sacchari* drachmas duas.

HAUSTUS.

℞ *Decocti althææ* uncias ſex. *Olei lini* unciam unam. *Syrupi de nymphæâ* drachmas ſex.

℞ *Infuſi ſemin. lini* uncias quatuor. *Succi petroſelini* uncias duas. *Salis tamariſci* ſemi-drachmam. *Syrupi violarum* unciam unam. Miſce.

℞ *Infuſi florum malvæ* uncias quatuor. *Succi cerefolii* unciam unam. *Cryſtalli mineralis* ſcrupulum unum. *Syrupi de althæâ* unciam unam.

℞ *Decocti parietariæ* uncias quatuor. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. *Balſamum Fioraventi* guttas ſex. Fiat hauſtus.

POTIO.

℞ *Pareiræ bravæ* contuſæ drachmas duas. Bulliant in aquæ librâ unâ & ſemis, ad libram unam. Colaturæ adde *ſyrupi de althæâ* uncias duas. Pro tribus doſibus.

APOZEMA.

℞ *Rad. althææ* & *nymphææ* ana unciam unam. *Fol. linguæ cervinæ* man. unum. *Flor. malvæ* pugill. duos. *Salis prunellæ* ſemi-drachmam. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi violarum* uncias duas. Fiat apozema ad uſum.

℞ *Radic. eryngii* & *nymphææ* ana unc. unam. *Capillorum veneris* manip. unum. *Florum althææ* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde *ſyrupi de nymphæâ* unciam unam. *Spiritum ſulphuris* ad gratam aciditatem.

℞ *Radic. althææ* & *acetoſæ* ana unciam unam. Coque per horam in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde *nitri purificati* drachmam unam. *Syrupi de althæâ* uncias duas. Fiat apozema.

Diuretica sub acutis.

COMMENTARIA.

(1.) Arundo vulgaris, (& ſativa), C. B. pin. (*Roſeau*).

Utriuſque radix vi diureticâ pollet, & in ſerie menſes moventium recipitur. Opportunè exhibetur puerperis ad promovendum lochiorum fluxum: aliàs rarò in uſum trahitur. Recentis doſis in decocto à ſemi-unciâ ad unciam unam, pro quâque aquæ librâ. Sicca verò ad dimidium præſcribitur.

(2.) *Pareira brava*, ſeu Butua, eſt radix, ſapore ſubdulci & amaricante, plantæ cujuſdam Braſilienſis ſarmentoſæ & tortuoſæ, ad clematitis genus, juxtà *Plumerium*, referendæ. Inter diuretica demulcentia præſtantiora jure recenſetur: nephriticis auxiliatur, etiam ſæviente paroxyſmo; nec minùs confert ad ulcera renum & veſicæ detergenda. Illud minime reticendum, quòd jam, neſcio quo fato, exoleverit præclarum illud remedium, dùm nova, inferioris ſanè notæ, quotidiè in medium adducuntur. Datur in ſubſtantiâ ex vino albo à granis quindecim ad ſemi-drachmam. Ad duplum verò in infuſo aquoſo vel vinoſo.

(3.) *Parietaria* officinarum, C. B. pin. (*Pariétaire*).

Nemo non novit hujuſce herbæ vulgatiſſimæ vim diureticam & demulcentem; cujus ratione conducit in iſchuriâ renali, ab organi infarctu, non ſecùs ac à conſtrictione ſpaſmodicâ, prognatâ. Virens præſcribitur ad manipulum unum, pro quâque librâ decocti; vel propinatur ſuccus ab unciis duabus ad tres. Scire expedit quòd prædictus ſuccus, à ſemi-unciâ ad unciam unam, lactentium alvum plerúmque ſolvit. Proſtat in officinis aqua diſtillata; ſed minimæ, ni fallor, efficaciæ. Latiſſimus eſt parietariæ uſus externus; etenim inter præſtantiora emollientia & reſolventia numeratur; nec extùs admota, vi diureticâ defraudatur. Ideò ingreditur enemata, fotus & cataplaſmata in huncce multiplicem ſcopum parata, quæ in iſchuriâ renali & veſicari haud inutilem opem præſtant.

(4.) *Herniaria* glabra, (& hirſuta), J. B. (*Herniole* ou *Turquete*).

Hujuſce plantæ humilis utraque ſpecies pro remedio præſtantiſſimo interno & externo adversùs herniam, undè nomen mutuatur, olim habita; vix hodiè ſub hoc ſcopo adhibetur. Rectiùs fortè inter diuretica recenſetur: renes enim ab infarctu ſæpiùs liberat; & hinc iſchuriæ renali medetur. Ad manipulum unum in infuſo pro duabus aquæ libris præſcribitur, & ad drachmam circiter unam in ſubſtantiâ. Succus ad uncias duas propinatur; vel aqua diſtillata ab unciis quatuor ad ſex. Cui tamen parùm fidendum.

(5.) *Meliſſa*, Tragi. Meliſſa humilis latifolia montana flore purpuraſcente, Inſt. rei herb. (*Meliſſe ſauvage*).

Hæc planta à cæteris meliſſæ ſpeciebus longè diſcrepans, vix in officinis nota, vi diureticâ pollet, & præſtantiſſima cenſetur in iſchuriâ re-

nali, quæ pendet præcipuè à lotii conſtitutione viſcidâ, & calculosâ; adeò ut juxtà plures, experientiâ edoctos, alia ad id opus præſidia antecellat. Sumuntur folia & flores in infuſo, vel inſtar the.

Diuretica sub acutis.

(6.) *Paliurus* Dodonei, Inſt. rei herb. (*Paliure*).

Hujuſce fruticis ſemen pro diuretico demulcente eximio habetur, & plurimùm confert in renum & veſicæ morbis; nec minùs proficuum cenſetur in variis pulmonum affectibus, calore & dolore ſtipatis. Contuſum datur in decocto à drachmis duabus ad unciam ſemis, pro duabus aquæ libris: ſed rarò uſurpatur.

(7.) *Cicer* ſativum flore ex purpuro-rubeſcente, ſemine rnbro, C. B. pin. (*Pois chiches ſauvages*).

Cicera, præter uſum culinarem, tanquàm diuretica mitiora proponuntur: cautè tamen vigente paroxyſmo nephritico exhiberi debent. A nonnullis haud improſperè uſurpantur ſub variolis. Doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam pro juſculo, vel ptiſanæ libris duabus. Ex hujuſce leguminis farinâ paratur cataplaſma reſolvens, quod deprædicatur adversùs teſtium & mammarum phlogoſim; nec minùs convenit in aliarum partium infarctu inflammatorio.

(8.) *Alkekengi* officinarum, Inſt. rei herb. Solanum veſicarium, C. B. pin. (*Coqueret*).

Fructus ceraſi formâ, & folliculo inſtructi, ſapore ſubacido, nonnil amaricante, præbent diureticum præſtantiſſimum. ſaburræ, renibus & veſicæ impactæ, foràs deturbandæ idoneum, tùm in morbis chronicis, tùm in acutis; quod etiam tutò exhibetur ſub inſultu nephritico. Præterea refrigerantium antiputridorum claſſem ſubeunt, prædictæ baccæ; & in ſerie ſedantium haud infimum locum obtinent. Ideò fauſtè uſurpantur in febribus ardentibus & putridis: nec minùs conferunt in cachexiâ, ictero & hydrope. Ad reſolventia etiam interna referuntur; & commendantur in contuſionibus, poſt caſum ab alto. A numero ſex ad octo contuſæ præſcribi ſolent pro emulſione, juſculo, vel ſingulis decocti libris. Vel infunduntur, numero ſex, in vini albi unciis octo pro duabus doſibus. Rarò exhibentur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Sed ſæpiùs ſuccus exprimitur, ad unciam unam exhibendus.

(9.) *Lignum nephriticum*, fuſcum, durum & grave; quod præbet acacia arborea ſpinoſa, de quâ Sloane, eſt quædam ſantali ſpecies, quæ è variis Americæ regionibus ad nos defertur; cujus vires patent è proprio titulo; cum grano tamen ſalis accipiendo. Haud inutilem opem præſtat in infarctu renum, etiam vigente febre; licèt à pleriſque coætaneis parvi habeatur. Datur minutim conciſum in infuſo à ſemi-unciâ ad unciam unam, pro quâque aquæ librâ, quæ hâc maceratione egregio colore ſubcæruleo inficitur.

(10.) *Terebinthina chia*, quam rarò legitimam in officinis occurrere per tranſennam notare expedit, eſt ſuccus reſinoſus ſiccus, pellucidus & ſubviridis, ad cæruleum vergentis; odoris grati; ac ſaporis acris, ſuba-

Diuretica sub acutis.

maricantis ; quæ è terebintho vulneratâ in inſulis Cypro & Chio , undè nomen mutuatur, ſtillat. Fluida colligitur : ſed tractu temporis ſolideſcit ; atque formam & ſubſtantiam meræ reſinæ , quæ dentibus minime adhæret, induit ; adeò ut vix diſcrepat à balſamis ſiccis ratione faciei & virium : ideò diureſim movet ; & tutò præſcribitur in paroxyſmo nephritico : nec infimum locum obtinet in ordine pectoralium ; ac demùm in exulcerationibus viſcerum commendatur. Doſis à granis ſex ad quindecim accedit boli formâ ; vel in quovis hauſtu , ſi priùs diſſolvatur cum tantillo ovi vitelli. Inſuper inter vulneraria, digeſtiva & reſolventia externa principem locum obtinet : ſed nuſquàm , vel rarò , ob penuriam ſub hoc ſcopo uſurpatur.

(II.) *Nitrum* (*le ſalpêtre*) , eſt ſal quod in aquæ quinquiplicato pondere ſolvitur ; & facilè igne funditur. Alia eſt nitri ſpecies diverſæ indolis ; nitrum ſcilicèt antiquorum , vel nitrum ægyptiacum , quod eruitur è duobus Ægypti lacubus , nec à Nilo , nec à viciniore pelago prodeuntibus ; referente clariſſ. Shaw , rerum naturalium ſcrutatore eximio. Nitrum noſtras, vel ſal petræ vulgatiſſimum , in vetuſtis muris ab imbre defenſis ſponte effloreſcens ; quod vulgò dilutione , coctione & cryſtalliſatione extrahitur è ruderibus & terris , lotio & fimo imprægnatis ; adeò ut de ejus proſapiâ nùm animali , nùm minerali , dubitare liceat : penès ſe habere peculiare quoddam acidum , terræ alkalinæ ſociatum , fertur apud Chymicos. Aliâ præparatione indiget ut in uſum medicum veniat ; ſolvitur nempè in aquâ , ut colaturâ evaporationi commiſsâ denuò concreſcant cryſtalli priſmaticæ , vel ſexangulares : & ſic à ſale marino , quod recondit , orbari creditur. Hoc eſt nitrum , ut inquiunt, purificatum , quod linguæ admotum frigiditatis ſenſum quaſi ipſi conciliat ; & inter præſtantiora diuretica , nemine diſcrepante , numeratur : in tractu refrigerantium antiputridorum principem locum meretur ; ſedantium antiſpaſmodicorum ordini jure adſcribitur ; hinc anodyni mineralis nomen ſibi vindicat : ac demùm in ordine temperantium primatum ducit , aſſentientibus celeberrimis Stahl , Hoffman , & Shaw. Ideò ſitim ſedat ; humorum ferociam coërcet , horumque putredinem arcet ; veneris æſtum compeſcit , &c. Cur proficuum cenſetur in febribus ardentibus , putridis & malignis ; in inflammationibus internis ; in ſufflaminatis lochiis , paroxyſmo arthritico , &c. Vetatur in viſcerum exulcerationibus ; & pulmonum affectibus tuſſi ſtipatis. Nonnulli nitrum camphoræ ſociant ut ex hâc miſcellâ emergat quoddam anodynum , quod ipſimet opio æquiparant , & tutiùs exhibetur. Catharticis vulgò additur nitrum , ut mitiora evadant , & præcaveantur tormina. Narcoticorum denique deleteriam qualitatem emendare valet. Præſcribitur à granis decem ad ſemi-drachmam in juſculo , emulſione vel quovis alio hauſtu : ſed crebriùs ſolvitur , eâdem doſi , in aquæ vel ptiſanæ libris duabus. Ad unciam unam exhibitum , catharſim movet , non ſecùs ac alia ſalia neutra. Si pulvis carbonum identidem projiciatur in nitrum , in crucibulo liqueſcens , donec poſt varias

detonationes & fulgurationes haud ampliùs fluat, emergit *nitrum*, ut inquiunt, *fixatum*; quod in aquâ demùm calente ſolutum & percolatum evaporationi ad ſiccitatem committitur: ſic paratum alvum ſolvit, obſtructiones reſerat & urinam ciet: datur à granis quindecim ad triginta. *Vid.* cryſtallus mineralis, ſal polychreſtum, ſpiritus nitri, &c.

Diuretica sub acutis.

(12.) *Pilulas ſtephenſianas*, quibus ſapo & mel baſim præbent, ingrediuntur cochleæ calcinatæ, fructus oxyacanthæ; ſemina bardanæ, fraxini, dauci ſylveſtris, &c. ad nigredinem uſta. Summè deprædicantur nec immeritò ad infarctum renum: dantur ſæviente paroxyſmo nephritico ad ſemi-drachmam ſingulis vel alternis horis. Præſcribuntur ad drachmam unam vel alteram ſingulis diebus ad novam præcavendam invaſionem; quod rarò fallit: nemo neſcit aliud eſſe remedium ejuſdem Authoris, veſicæ calculi dicatum; ſub formâ pulveris & decocti. Pulvis conficitur ex cochleis & putaminibus ovorum ſeorſim calcinatis: decoctum paratur cum paſtâ quæ exſurgit è ſapone, melle, & naſturtio uſto, invicem ſubactis. Hæc in aquâ coquitur cum foliis bardanæ, petroſelini, feniculi, & floribus chamæmeli; mel dein colaturæ additur. Ter per diem exhibetur pulvis ad ſcrupulos duos ex vino, ſuperbibendo prædicti decocti cyathum. Hoc eſt præclarum lithontripticum, quo me teſte, plures doloribus atrociſſimis confecti, & ad interitum ruentes, incolumes evaſerunt; ſed haùd reticendum impar fuiſſe illud remedium ſolvendis calculis ſiliceis, aliàs rarioribus. Addere licet iners fore etiam illud præſidium, ſi à legitimo proceſſu, jam totiès publici juris facto, receſſerint ſcioli Pharmacopœi.

DIURETICA IN CHRONICIS.

EX agmine aperientium & incidentium, ac præſertim tonicorum eruuntur hujuſce claſſis medicamina; quorum beneficio ſeroſa ſaburra per renes foràs eliminatur & expurgatur. Hæc in ſcriptis medicis tantâ copiâ occurrunt, ut in immenſum creſceret pagina, ſi omnia hùc attexeremus. Cur ſelectiora duntaxàt in medium adducere conſultiùs viſum fuit; miſſis variis fortè non contemnendis; ſed quæ jamdiù ab uſu receſſerunt. Diuretica pro votis ſuccedere queunt ſub illâ ſanguinis, & humorum dyſcraſiâ, à fracto ſolidorum elatere plerùmque oriundâ, quâ fit ut ſerum ſuperfluum ad organa ſecretoria minime appellat, vel parciori proventu illa ſubeat. Conjicere licet horumce medicaminum præſidio refocillari vaſorum elaterem, vel humores fluxiliores reddi; adeò ut ſerum exuperans, ſincerum, vel diverſis materiebus imprægnatum, ad genuina organa accedens, vias urinarias ſubire valeat. Sed quænam ſit eorum agendi ratio, in cimmeriis latet tenebris: nec clariùs fortè innoteſcit illa

Diuretica in chronicis.

fauſtè præſcribendi opportuna occaſio; cui ſanè quidem parùm attendunt vulgares practici. Neminem enim peritum latet quantùm difficile ſit diureſim promovere, ni ſpontaneo naturæ motu humores illùc vergant: aliàs inanem operam ludimus. Prætereà pro re natâ, & morbi indole, delectu opus eſt; ne incongruâ medicatione ægrorum res in pejus ruant. Nullum tamen ſubeſt dubium quin diuretica conſultò exhibita, benè ſcilicèt perſpectâ causâ morbum fovente, proſint in cachexiâ, ictero & hydrope. Cæteris inſuper evacuantibus palmam præripiunt ſub ſtagnatione ſerosâ, cujus ſæpiùs vix curationis ſpes eluceſcit: quod altâ mente tenere debent qui aquarum nidulantium evacuationem per ſedes, haud citrà ſeram pœnitentiam, moliuntur. Haud inutilem opem præſtant diuretica in obeſitate, & in obſtructione viſcerum: valent in hypochondriaſi & ſcorbuto: laudantur in arthritide & morbis congeneribus: auxiliantur gonorrhœæ & fluori albo: alvi profluvio medentur: ſudori morboſo occurrunt, &c. Ab hocce remediorum genere abſtinendum in tabidis & macie confectis, ne periculoſa virium proſtratio ſubſequatur: vetantur ubi renes ulcere afficiuntur, vel muco & arenulis impediuntur; ſi veſica turgeat, &c.

EMPORETICA.

Radices raphani hortenſis (1), & ruſticani, petroſelini, aſparagi (2), apii, feniculi, rubiæ tinctorum, anonidis (3), calcitrapæ (4), eryngii, bruſci, arundinis, filipendulæ (5), gentianæ, ireos Florentinæ, bryoniæ, ſcillæ (6); allium, cepa, coſtus Arabicus, cyperus longus, nardus indica, viperina, zedoaria, gingiber.

Folia linguæ cervinæ, rutæ murariæ, meliſſæ Tragi, herniariæ, lupuli, alliariæ, abrotani, cerefolii, calaminthæ, ſerpilli, menthæ, tanaceti, hyſſopi, ſabinæ; herbæ vulnerariæ & capillares, ſaxifraga (7), the.

Flores geniſtæ, virgæ aureæ, hyperici, ſtœchados arabicæ, lilii convallii.... Semen bardanæ, aquilegiæ, carvi, cumini, dauci cretici, anethi, geniſtæ (8), ſinapi.... Fructus alkekengi, kynorrhodon, limon & citreum.... Baccæ juniperi & lauri.... Cardamomum, caryophylli aromatici.... Cortex ebuli, ſambuci (9), tamariſci (10). Cinnamomum, lignum nephriticum.... Balſamum peruvianum, copahu, canadenſe (11), terebinthina chia & vulgaris.... Vinum album, campanienſe, rhenanum.... Tartarus (12), kali, ſapo.... Cinis geniſtæ, fabarum, abſinthii, ſarmentorum, &c. ad lixivium.... Aſelli, cancri fluviatiles, cantharides, coccinilla (13), lapilli cancrorum.... Aquæ Vallenſes, Forgienſes, Paſſiacæ, Spadanæ, Cranenſes, Vicienſes, Bellilucanæ, Plumberianæ, Luxovienſes, Tarbellicæ, &c.... Nitrum, ſal catharticum amarum.... Antimonium, ferrum, lapis hæmatites.

DIURETICA IN CHRONICIS.

OFFICINALIA.

AQUA nucum; juniperi.... Serum lactis, aqua picea.... Vinum ſcilliticum, abſinthites.... Oxymel ſcilliticum ([14]).... Balſamum Fioraventi, Commendatoris.... Syrupus de quinque radicibus, de ſtœchade, de cochleariâ.... Pulvis aſellorum, lumbricorum, bufonum ([15])... Conchæ præparatæ.... Fæculæ bryoniæ, ireos noſtratis.... Conſerva kynorrhodon, extractum juniperi, trochiſci de agarico.... Pilulæ ſcilliticæ Edimburgenſes ([16]), lithontripticæ ſtephenſianæ.... Oleum terebinthinæ, cinnamomi, lilium Paracelſi... Spiritus juniperi, ſuccini ([17]), nitri dulcis, ſalis dulcis, ſulphuris, Mindereri ([18]).... Sal geniſtæ, tamariſci, abſinthii, polychreſtum.... Arcanum duplicatum, tartarus chalybeatus, & vitriolatus, cremor tartari, terra foliata tartari.... Sal volatile ſuccini.... Reſina guaiaci, kermes minerale. Remedium ſtephenſianum ([19]) & bavillianum ([20]).

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ CORTICIS *radic. calcitrapæ* unciam unam & ſemis. *Fructus alkekengi* numero viginti. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *liquiritiæ* drachmas duas.

℞ *Radicum rubiæ tinctorum* unciam unam. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Adde ſub finem *foliorum linguæ cervinæ* manip. unum. *Baccarum alkekengi* unciam unam; *liquiritiæ* q. ſ.

℞ *Rad. bruſci* uncias duas. *Ireos Florentinæ* drachmas duas. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Adde *liquiritiæ* q. ſ.

℞ *Radic. aſparagi* uncias duas. Coque in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *folior. herniariæ* ſemi-manipulum.

℞ *Radic. apii* & *feniculi* ana unciam unam. Coque in aq. ſ. q. ad libras quatuor. Adde *liquiritiæ* q. ſ.

℞ *Rad. arundinis* & *petroſelini* ana unciam unam & ſemis. Coque in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Ad lac devium.

SERUM LACTIS.

℞ *Baccarum juniperi* man. unum. Coque in *ſeri lactis* q. ſ. ad libras duas. Cola pro uſu.

Diuretica in chronicis.

HAUSTUS.

℞ *Oxymellis ſcillitici* drachmas duas. Dilue in *aquæ parietariæ* unciis duabus pro hauſtu.

℞ *Decocti rad. aſparagi* uncias ſex. *Millepedum præparat.* ſemi-drachmam. *Spiritûs terebinthinæ* à guttis ſex ad decem. *Syrupi de althæâ* unciam unam. Miſce.

℞ *Decocti baccarum juniperi* uncias quatuor; *ſpiritûs Mindereri* drachmas duas; *ſyrupi de althæâ* unciam ſemis. Miſce pro doſi.

℞ *Aſellos lotos* & *contuſos* numero decem; tartari vitriolati grana quindecim; calidè infundantur per noctem in *ſucci cichorii* unciis ſex. Cola & exprime ad hauſtum.

℞ *Decocti baccarum juniperi* uncias ſex. *Spiritûs ſalis dulcis* guttas duodecim.

℞ *Saponis Hiſpanici* ſemi-drachmam. Diſſolve in vini albi unciis tribus; pro hauſtu.

℞ *Corticis radic. calcitrapæ* drachmas duas. Infunde per noctem in vini albi unciis ſex. Cola.

℞ *Vini Campanienſis* uncias quatuor. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. *Olei terebinthinæ* guttas decem. *Syrupi violacei* ſemi-unciam. Miſce pro hauſtu.

POTIO.

℞ *Succi cerefolii* uncias ſex. *Oxymellis ſcillitici* unciam unam & ſemis. Miſce. Fiat potio è cochleari.

℞ *Succi cerefolii* & *naſturtii aquatici* ana uncias quatuor. *Succi quadraginta aſellorum.* Miſce pro duabus doſibus. Adde cuique *terræ foliatæ tartari* ſemi-drachmam.

APOZEMA.

℞ *Radicum aſparagi* & *feniculi* ana unciam unam. *Foliorum ſcolopendrii* & *herniariæ* ana manipulum ſemis. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde ſub finem *millepedum* lotorum & contuſorum paria duodecim. In colaturâ & expreſſione diſſolve *ſpiritûs terebinthinæ* ſemi-drachmam.

℞ *Radicum bruſci* & *rubiæ tinctorum* ana unciam unam. *Foliorum parietariæ* & *cerefolii* ana ſemi-manipulum. *Summitatum lupuli* & *florum geniſtæ* ana pugillum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde *nitri purificati* drachmas duas. *Syrup. de althæâ* uncias duas.

℞ *Rad. petroſelini* & *apii ſylveſtris* ana unc. unam. *Baccas alkekengi* num. viginti. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *folior. linguæ cervinæ* man. unum. Colaturæ adde *ſyrupi de quinque radicibus* uncias duas.

LIXIVIUM.

LIXIVIUM.

Diuretica in chronicis.

℞ *Cinerum geniſtæ* uncias quatuor. Bulliant per ſemi-horam in aquæ fontanæ libris tribus. Colatura cyathim per diem exhibeatur; ter ſcilicèt, quaterve.

℞ *Cinerum geniſtæ* ad albedinem calcinatorum & cribratorum uncias duas vel quatuor. Ponantur in lagenâ vitreâ cum *vini albi* libris duabus. Digerantur clausè & calidè per tres aut quatuor horas. Dein cola pro uſu. Doſis ab unciis duabus ad quatuor; bis, terve in die. Eodem modo uſurpantur cineres abſinthii.

℞ *Ciner. abſinth.* & *geniſtæ* ana uncias duas. *Nucis moſchatæ* & *cinnamomi* ana drachmam unam. Affunde *vini albi* libras duas. Stent calidè per diem. Cola & ſerva ad uſum. Ad eamdem doſim.

VINUM.

℞ *Nitri*, vel *Salis geniſtæ*, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Diſſolve in *vini albi* librâ unâ. Pro duabus doſibus.

℞ *Baccarum contuſarum juniperi*, in nodulo, uncias quatuor. Coque in *vini albi* libris tribus, ad duas. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis ab unciis duabus ad quatuor. Bis terve in die.

℞ *Radic. ſcillæ præparatarum* à drachmâ unâ ad duas. Infunde frigidè per viginti quatuor horas in *vini albi* librâ unâ. Doſis ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam. Pluriès in die.

℞ *Radicum enulæ campanæ* uncias duas. Infunde per viginti quatuor horas in *vini albi* libris duabus. Pro uſu ad præcavendum inſultum nephriticum.

JUSCULUM.

℞ *Radicum lapathi* & *petroſelini* ana ſemi-unciam. *Foliorum cerefolii* manip. unum. *Baccar. alkekengi* drachmas tres. *Aſellos* numero triginta. Coque ex arte in *juſculo pulli*.

℞ *Radic. aſparagi* unciam unam. Coque cum *pullo* & aquæ q. ſ. Adde poſt horam coctionis *corticis mediæ radicum calcitrapæ*, contuſæ, & in nodulo ſuſpenſæ, drachmam unam. *Foliorum borraginis* & *linguæ cervinæ* ana manip. ſemis. *Aſellorum* lotorum paria ſex. Fiat ex arte juſculum. Cui addere licet *ſucci naſturtii* uncias quatuor.

PULVIS.

℞ *Scillæ præparatæ* grana quatuor. *Nitri purificati* grana octo. Miſce.

℞ *Salis tartari* & *nitri purificati* ana drachmas tres. Miſce. Fiat pulvis à drachmâ ſemiſſe ad ſcrupulos duos exhibendus.

DIURETICA IN CHRONICIS.

℞ *Millepedum præparatorum*; *lapillorum cancrorum* ana grana duodecim. *Nitri* grana ſex.

℞ *Terræ foliatæ tartari*; *concharum præparat.* ana ſemi-drachmam. *Aſellorum præparatorum* ſemi-ſcrupulum. Miſce pro tribus doſibus.

PULVIS.

℞ *Saponis veneti* ſcrupulum unum. *Gummi ammoniaci* grana decem. *Pulveris ſcillæ* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de cochleariâ*, bis, terve per diem exhibendus.

℞ *Terebinthinæ venetæ* & *ſaponis albi* ana ſemi-drachmam. Miſce in mortario, & fiat bolus cum *ſyrupo de althæâ.*

℞ *Kermes mineralis* granum ſemis. *Pulveris ſcillæ* grana octo. Fiat bolus cum *confectione de hyacintho.* Pro duabus doſibus.

℞ *Radic. vincetoxici* grana octo. *Scillæ præparatæ* grana ſex. *Nitri* grana decem. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de rhamno cathartico.*

℞ *Saponis albi* ſemi-drachmam. *Olei terebinthinæ* guttas octo. *Pulveris ſcillæ præparatæ* grana quatuor. Miſce ex arte, & fiat bolus cum *ſyrupo de quinque radicibus.*

PILULÆ.

℞ *Saponis veneti* ſemi-unciam. *Gummi ammoniaci* drachmas duas. *Scillæ præparatæ* drachmam unam & ſemis. *Salis ſuccini* drachmam unam. *Pulveris millepedum* drachmas tres. Fiant ex arte pilulæ cum *ſyrupo de quinque radicibus.* Doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam.

℞ *Pulveris cantharidum* grana decem. *Camphoræ* ſolutæ in oleo amygdalarum dulcium grana duodecim. Miſce accuratè, & fiant pilulæ numero decem. Pro totidem doſibus. Sub caſu urgentiori duntaxàt exhibentur.

Diuretica in chronicis.

COMMENTARIA.

(1. Raphanus minor, oblongus, C. B. pin. (*Raifort*).

Radix notiſſima quæ, non ſecùs ac alia ſpecies craſſior, (*Radis*, apud noſtrates dicta), potiùs obſonium quàm medicamentum audit, egregiâ vi diureticâ pollet, & in aperientium ſerie recipitur, ac antiſcorbuticorum ordinem ſubit. Ideò prodeſt in obſtructionibus viſcerum; in cachexiâ ſeroſâ, hypochondriacâ & ſcorbuticâ; in ictero, hydrope, &c. Præſcribi poteſt ad unciam unam pro ſingulis decocti libris; vel ſuccus ab unciâ ſemiſſe, ad uncias duas, in juſculo propinatur. His addere licet, quòd ſummam opem conferat raphanus, extrà paroxyſmum nephriticum, ad detergendos renes ab hærentibus arenulis, vel materiâ mucoſâ, genuino calculorum rudimento.

(2.) *Aſparagus* ſativa, C. B. pin. (*Aſperge de jardin*).

Aſparagus foliis acutis, C. B. pin (*Aſperge ſauvage*).

Utraque ſpecies radicem præbet ad uſum medicum ſummè commendabilem: etenim præcipuum locum meretur inter diuretica & aperientia mitiora; nec vi emmenagogâ defraudatur. Datur recens ad unciam unam; ſicca verò ad drachmas tres pro ſingulis decocti libris. Exquiſitiorem etiam vim diureticam ineſſe turionibus edulibus, lotio ſummum fœtorem impertientibus, neminem expertum latet.

(3.) *Anonis* ſpinoſa flore purpureo, C B. pin. (*Arrête-bœuf*).

Radicis cortex pro diuretico & aperiente eximio habetur, & crebrò uſurpatur adversùs obſtructiones, cachexiam, chloroſim, icterum & hydropem; conducit in infarctu mucoſo vel ſabuloſo renum; dummodò haud ſæviat inſultus nephriticus. Datur recens in infuſo aut decocto ab ſemi-unciâ ad unciam unam pro juſculo, vel quâque librâ aquæ; ſicca verò ad dimidium præſcribitur. A nonnullis etiam exhibetur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam.

(4.) *Calcitrapa* officinarum. Carduus ſtellatus, ſive Calcitrapa, J. B. (*Chauſſe-trape*).

Tanquàm diureticum haud infimi ordinis celebratur radicis cortex; & in familiarem uſum cedit adversùs morbos chronicos, ſuprà memoratos. Nephriticis præſertim auxiliatur; dummodò extrà paroxyſmum uſurpetur. Recens in decocto à ſemi-unciâ ad unciam unam, pro quâque aquæ librâ præſcribitur; ſiccus verò ad dimidium: in ſubſtantiâ verò ad drachmam unam. Flores calcitrapæ intensè amaricantes febrifugorum claſſem ſubeunt; & dantur in ſubſtantiâ ex vino, ſemel vel pluriès per diem, corticis inſtar peruviani, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Succus è foliis, haud minori amaritie præditis, eamdem vim febrifugam obtinere videtur; ſi propinetur ſolitâ methodo ab unciis duabus ad ſex. Collyrium

Diuretica in chronicis.

inſuper præbet detergens ad corneæ ulcuſcula, vel maculas, ſummè proficuum.

(5.) *Filipendula vulgaris*, an Molon Plinii, C. B. pin. (*Filipendule*).

Hujuſce plantæ radix, vix in officinis nota, inter diuretica numeratur & in adſtringentium ordine recipitur: ac ideò nephriticis & hernioſis prodeſſe fertur. Sicca præſcribitur in decocto à drachmis duabus ad ſemi-unciam, pro ſingulis aquæ libris. In ſubſtantiâ verò à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ex vino vel aquâ parietariæ.

(6.) *Scilla* vulgaris, radice rubrâ (vel albâ), C. B. pin. Ornithogalum maritimum, ſeu Scilla radice rubrâ (vel albâ), Inſt. rei herb. (*La Scille rouge* & *la blanche*).

Utriuſque ſpeciei radix bulboſa, acredine radici ari minime cedit; & ſimili modo præparatur, ut in uſum medicum veniat. Inter diuretica exquiſitiora primatum jure ducit; prætereà vi aperiente & incidente pollet: nonnunquàm diaphoreſim, & ſæpiùs nauſeam & vomitum movet. Hæc præſtantiſſima radix, cujus vires apprimè novit *Dioſcorides*, tractu temporis, ſenſim oblivioni tradita; vel nonniſi ad oſtentationem in officinis proſtans; paucis abhinc annis iterùm caput extollere videtur. Egregium remedium præbet diureticum adversùs hydropem, præſertim pectoris: mira præſtare ſolet in aſthmate; nec minùs confert in contumacioribus viſcerum obſtructionibus; imò & infarctibus skirrhoſis, &c. Datur in ſubſtantiâ à granis duobus ad octo, ſub pulveris boli, vel opiatæ formâ. Crebrius uſurpatur *vinum ſcilliticum*, cujus præparatio variis methodis ſubjicitur: ſed magis comprobata, ni fallor, verſatur in ſimplici infuſione per viginti quatuor horas, hujuſce radicis ad duas vel tres drachmas, in vini albi generoſi libris duabus; cujus doſis à ſemi-unciâ ad unciam unam, pluriès in die, vel ſingulis trihoris. Haud minorem laudem merentur oxymel ſcilliticum & pilulæ cognomine, de quibus infrà.

(7.) *Saxifraga* rotundifolia alba, C. B. pin. (*Saxifrage*).

È fiſſuris rupium & locis lapideis, ubi ſpontè creſcit, nomen mutuatur; non verò à commentitiâ virtute lithontripticâ; uti nonnulli autumarunt. Haud tamen è diureticorum albo eſt expungenda; ſed ejus uſus planè apud noſtrates exolevit. Integram plantam dare licet in infuſo ad manipulum unum pro ſingulis aquæ libris.

(8.) *Geniſta* vulgaris trifolia, Raii hiſtor. Cytiſo-geniſta ſcoparia vulgaris flore luteo, Inſt. rei hiſt. (*Genet ordinaire*).

Semen inter diuretica & aperientia recenſetur; nec ipſi denegatur locus in ſerie catharticorum; ideò conducit in cachexiâ ſeroſâ & hydrope. Haud deſunt Authores, penès quos ſit fides, qui illud proficuum exiſtimant in ſcrophulis. Præſcribitur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad drachmam unam; ſed in familiarem uſum cedit totius plantæ *ſal lixiviale*; quod ſolvitur à drachmis duabus ad unciam unam in vini albi libris duabus. Cujus doſis pluriès per diem iteranda ab unciis duabus ad quatuor accedit. Eâdem ratione celebratur lixivium cinerum ex aquâ vel vino

paratum, eâ proportione, ut ſint cineris probè calcinati drachmæ ſex, ad unciam unam, & ultrà pro ſingulis æquæ vel vini libris. Lixivium aqueum pluriès in die cyathim exhiberi ſolet: vinoſum verò uſitatius eâdem ratione ab unciis duabus ad quatuor propinatur. Simili modo adhibetur, lixivium fabarum, ſarmentorum, juniperi, &c. Sed obiter notare juvat quod cautè ſit mercandum cum ſalibus hujuſce indolis, quæ ob ſummam acredinem viſcera lædere, vel exedere valent.

DIURETICA IN CHRONICIS.

(9.) *Sambucus* vulgaris, J. B. (*Sureau*).

Alter vel medius radicis recentis cortex pro diuretico eximio habetur; & ſæpiùs catharſim ſeroſam movet; cur fit ut cachecticis & hydropicis dicetur. Infundi & coqui ſolet ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam & ſemis in juſculo; vel aquæ librâ unâ. A nonnullis præfertur ſuccus, quem exhibent ad drachmam unam, vel alteram, & ultrà: ab aliis laudatur ſuccus depuratus foliorum, quem adhibent ad uncias duas cum lacte, ad catharſim movendam. Sambuci flores infuſi, inſtar the, in ſedantium antiſpaſmodicorum claſſe admittuntur; ac ſæpiùs diaphoreſim movent; & proficui cenſentur in aſthmate. Sed crebriùs in uſum externum trahuntur, tanquàm reſolventes & anodyni: in hunc ſcopum coquuntur in vino, vel aquâ ſpiritu vini imprægnatâ, pro fotu eryſipelati, tumori crurum œdematoſo, &c. apprimè congruo. Aqua diſtillata, vel ſpiritus, ad eumdem uſum, in officinis ſervantur, & feliciter tumentibus partibus admoventur.

(10.) *Tamariſcus* Narbonenſis, Lob. icon. (*Tamaris*).

Stipitis & radicis cortex, ſapore nonnil adſtringente, vel diureticâ & aperiente inſtruitur; & inter aperientia numeratur. Quapropter laudatur in cachexiâ & hydrope; utiliſque cenſetur in pruritu & variis cutis defœdationibus. Siccus præſcribitur à drachmis duabus ad ſemi-unciam pro quâque librâ decocti; & à ſemi-drachmâ ad drachmam unam in ſubſtantiâ. Eamdem ferè vim obtinet lignum è quo conficiuntur doliola in quibus ſervatur aqua vel vinum, pro potu. Inſuper è ligni cineribus extrahitur ſal, cæteris lixivialibus planè ſimile, quod datur à granis decem ad ſcrupulum unum: ſed haud innoxia eſſe hæc ſalium genera jam ſuprà notavimus.

(11.) *Balſamum Canadenſe* (*Baume de Canada*); ſpecies eſt terebinthinæ, ad venetam proximè accedens. Fluit, annuente PLUKENET, è minori abiete, quam Galli vocant *ſapinette*, de quâ ſuprà. Propter vim vulnerariam, quâ cœteris terebinthinis præſtat, conducit in ulcere renum & veſicæ, diureſimque juvat. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos, è juſculo, vel ovi vitello. Catharſim movet, ſi propinatur à drachmis duabus ad tres; & ſub hoc ſcopo adhibetur, ubi conſtat de purulentiâ internâ. Sed raro apud Noſtrates in uſum vocatur.

(12.) *Tartarus*, quaſi ſal eſſentiale vini, quo dolia in quibus vinum aſſervatur, intùs incruſtantur, duplex occurrit; albus ſcilicèt & ruber; prout à vino albo vel rubro datur. Optimus cenſetur albus qui non

Diuretica in chronicis.

ſecùs ac cremor, vel tartarus purificatus, nonnunquàm uſurpatur; tanquàm diureticum refrigerans, quo haud ratò alvus ſolvitur. Coquitur tartarus à ſemi-unciâ, ad unciam unam in aquæ libris duabus; quæ cyathim exhibetur ad ſanguinis æſtum compeſcendum; vel pro reſerandis viis urinariis. Si ad unciam unam bulliat cum juſculo, catharſim utplurimùm movet, & apprimè congruit iis quorum alvus eſt abſtricta; cùm libera remaneat, etiam poſt peractum cathartici effectum: ſecùs evenire poſt alia purgantia nemo neſcit. *Vid.* Cremor, Sal, &c.

(13.) *Coccinilla* (*Cochenille*), inſectum audit, quod è ficûs indicæ, vel opuntiæ ſurculis, in novâ Hiſpaniâ, vel Mexico, colligitur. Primò ſub veſicæ cujuſdam exiguæ formâ ſe prodit, quæ poſteà calore ſolis in vermiculum anthermitem abit: dein proceſſu temporis in inſectum ſcarabæiforme, de quo Merian. Hæc inſecta maturitatem adepta fumo enecantur, ut levi fruticis concuſſione decidant, ſole exſiccanda: adeò ut granorum ponderoſorum, extùs albicantium, intùs purpureorum, faciem referant. Ipſis adſcribitur vis ſtimulans, diuretica, vel lithontriptica; atque in cardiacorum & alexiteriorum ſerie recipiuntur; confectionemque alkermes ſubeunt. Rarò in uſum medicum veniunt; licèt minime deſpicienda; ſed ſolis fermè uſibus tinctoriis inſerviunt.

(14.) *Oxymel ſcilliticum* fit coctione aceti ſcillitici, cum duplo mellis, ad ſyrupi conſiſtentiam. Acetum verò ſcilliticum paratur ſcillæ præparatæ infuſione per quadraginta dies, in vaſe obturato & radiis ſolaribus expoſito; eâ proportione, ut ſit radicis uncia una & ſemis pro ſingulis aceti libris. Oxymel ſcilliticum inter diuretica præſtantiora recenſetur; & quaſi pectori dicatum, incidente vi pollet. Ideò utile judicatur in morbis pulmonum ab infarctu, vel colluvie ſeroſâ oriundis: imò & quamdam opem præſtare valet in ipsâmet peripneumoniâ; ſi cum cautelâ adhibeatur: aſthmaticis ſuccurrit; valet in aliorum viſcerum obſtructionibus contumacioribus; atque ſummè deprædicatur in ſingulis hydropis ſpeciebus. Doſis à drachmâ unâ ad tres accedit: ſi major exhibeatur, vomitum ciere valet; ac nonnunquàm in hunc finem miſcetur ab unciis duabus ad tres, cum oleo amygdalarum dulcium anaticâ proportione; & hæc mixtura cochleatim ſumitur; donec expectatum effectum exerat.

(15.) *Buſo*, (*le Crapaud*), omnibus notiſſimus ob deleteriam qualitatem; in uſum tamen medicum venit. Haſtâ, vel palo perfoſſus ſiccatur in aëre, & uritur in ollâ ut pulverem præbeat, qui tanquàm eximium diureticum, à nonnullis, penès quos ſit fides, decantatur: atque hydropicis, quaſi conclamatis, ſummè ſæpiùs profuiſſe fertur. Quapropter nil impedit quominùs uſurpetur hoc remedium, ubi incaſsùm cætera adhibentur præſidia. Doſis in vino albo, aliove quovis hauſtu, ab ſcrupulo uno ad duos, & ultrà.

(16.) *Pilulæ ſcilliticæ* Edimburgenſes è gummi ammoniaco, ſcillâ & aſellis præparatis, anaticâ proportione, cum duplo ſaponis Veneti, & tantillo balſami Copahu, conficiuntur. Hæ notu digniſſimæ vim diureticam

& incidentem obtinent; atque in obſtructionibus, infarctibus skirrhoſis viſcerum, æquè ac in omnibus hydropis ſpeciebus ſummè commendatur; ſemel vel bis in die à granis ſex ad duodecim.

DIURETICA IN CHRONICIS.

(17.) *Spiritus ſuccini*, ſal volatile & oleum uno & eodem proceſſu è karabe extrahuntur. Primâ diſtillatione prodeunt aqua & ſpiritus, & eodem receptaculo excipi ſolent, ut demùm evaporatione aquæ ſeparetur ſpiritus acidus: quem nil aliud eſſe quàm ſal volatile in parciori phlegmatis copiâ ſolutum haud falsò ſuſpicantur in arte periti. Cujuſcumque ſit indolis; extrà omne dubium poſitum eſſe videtur, præſentiſſimum eſſe diureticum, cui prætereà ineſt vis aperiendi: hinc jure celebratur in ictero & cachexiâ, præſertim ſcorbuticâ; nec minùs confert ad morbos renum & veſicæ, qui diureticorum imperio ſubmittuntur. Doſis à guttis ſex ad viginti in hauſtu congruo.

(18.) *Spiritus Mindereri* prodit è miſcellâ ſpiritûs, vel ſalis alkalini volatilis cum ſpiritu aceti; undè fermentationis beneficio emergit ſal quoddam neutrum facilè liquabile. Hoc medicamen, quod vix innoteſcit; tanquàm antiputridum eximium ab illuſtriſſ. Boerhaavio celebratum, haud refragante clariſſ. Pringle, præcipuum locum meretur inter diuretica & aperientia; licèt nonnunquàm diaphoreſim moveat; & opportunè exhibetur tàm in acutis quàm in chronicis à drachmâ unâ ad tres in ſyrupo de althæâ; vel quovis alio vehiculo congruo: atque hæc doſis pluriès per diem iterari ſolet. Egregiam opem præſtat hic ſpiritus adversùs febres anomalas, ad remiſſiones regulares vel typicas reducendas, ni ſub æſtûs finem propinetur.

(19.) *Remedium ſtephenſianum* tres præparationes comprehendit, pulverem nempè, decoctum & pilulas. Pulvis conſtat è teſtis ovorum & limacum calcinatis: ad decoctum paratur maſſa è ſapone hiſpanico, melle & quodam naſturtio ad calcedinem uſto; coquitur hæc paſta cum floribus chamæmeli, foliis feniculi, petroſelini & bardanæ. Pilularum compoſitionem ſuprà tradidimus. De hocce remedio Britannorum munificentiâ publici juris facto, multùm, uti mos eſt, controvertitur: alii tanquàm eximium & nulli ſecundum lithontripticum deprædicant; quod alii pro ficulneo, vel invalido præſidio habent. Singuli experientiâ inſtructi proprio ſtant judicio; adeò ut adhuc ſub judice lis ſit. Hinc patet quàm difficile ſit in rebus medicis verum à falſo extricare. Haud tamen dubitare licet quin ſapo, qui baſim hujuſce remedii præbet, ſubſtantias lapideas ſenſim erodere queat; hanc enim vim lithontripticam apprimè norunt aquileges ſolertiores. Efficaciam teſtarum adversùs calculum, de quâ Thomas Bartholinus, jamdudùm norunt peritiores Medici. Quod ſanè mirum ſi remedium ex utroque conflatum eaſdem vires obtineat. Quod ſuadet ratio, praxis, ni fallor, confirmat; uti patet ex ſuprà allatis, dùm de lithiaſi; cur recoctam crambem minime apponemus. Ubi de calculo veſicæ conſtat, pulvis ter quotidiè exhibetur ex vino albo, ab ſcrupulis duobus ad drachmam unam, ſuperbibendo decocti frigidi uncias octo. Pro re

DIURETICA IN CHRONICIS.

natâ, variis circumſtantiis, viribuſque præſertim ſtomachi, immutari queunt prædictæ doſes, eâ tamen lege ut à deſignatis non plus æquo recedant.

(20.) *Remedium Bavillianum*, ſic dictum ab illuſtr. viro *de Lamoignon de Baville*, ſummo in Galliâ Narbonenſi Præfecto, cujus juſſu publici juris factum; duplici hauſtu conſtat. Ad primum ſcilicèt, ♃ pulveris *corticis radicis calcitrapæ*, menſe Septembri effoſſæ, drachmam unam. Infunde per noctem in vini albi unciis quinque; pro hauſtu manè, die vigeſimo octavo menſis lunaris exhibendo. Ad ſecundum poſtridiè propinandum; ♃ *foliorum parietariæ* manipulum unum; *ligni ſaſſafras* & *ſeminum aniſi* ana drachmam unam; *cinnamomi* drachmam ſemis: tantiſper bulliant in aquæ unciis octo, & infundantur per noctem. Summo mane ad ignem admoveatur hoc decoctum, in cujus colaturâ diſſolve ſacchari candidi drachmas duas; calidè ſumatur. Singulis menſibus paratur hoc remedium, cujus uſus plerùmque innoxius ad plures annos protelatur; haud infelici ſanè ſucceſſu.

MENSES, LOCHIA ET PARTUM MOVENTIA.

PRÆTER aperientia, diuretica & antihyſterica, quæ hùc pertinent; ob vim quâ pollent expugnandi varias cauſas generales, quæ uterum in conſenſum trahunt: alia luſtrare expedit quæ ſpeciatim à ſanioribus practicis huic viſceri dicantur. Utraque igitur, ſub unâ & eâdem claſſi, colligere ut faciliùs in conſpectum veniant, cogit inſtituti ratio. Experientiâ compertum manet medicamina emmenagoga, vel menſes ducentia, eo tempore efficaciora, quo menſes fluere ſolent; plurimúmque conferre non ſolùm ad promovendum partum & cienda lochia; ſed etiam ad ſecundinas appellendas, & foràs deturbandum fœtum mortuum: nec rationi adverſatur hic multiplex effectus, aliàs quotidianâ praxi comprobatus. Ratum manet apud ſaniores clinicos emmenagoga, aliave ſtimulantia quæ in hunc cenſum veniunt, minime congruere, ubi ab immerſione crurum in aquam frigidam, ab animi pathematibus, vel quâvis aliâ causâ, *illicò ſufflaminantur catamenia*; cùm hoc infortunium pendere videatur à ſolâ conſtrictione ſpaſmodicâ, quâ occluduntur vaſcula uterina, lunare tributum exſolventia: ſub quâ conditione infenſiſſima fore emmenagoga ſtimulantia, quæ morbum certò exaſperarent, evidens eſt; ſed conducunt roborantia inter quæ ſanè præſtat vinum generoſum, cujus cyathus ex tempore exhibetur. Magis congrua cenſeri debent laxantia & anodyna, quæ oſcula vaſorum coarctata reſerare queunt: nec inutilem opem ſub eodem caſu conferunt, ad expediendas vias uterinas, vel promovendam menſium eruptionem, balnea calida, aliave topica emollientia.

Haud

Haud minori cautelâ exhiberi debent emmenagoga ad remoram lochiorum; ubi ſcilicèt viget habitus plethoricus, æſtuant viſcera, & imus venter cum dolore intumeſcens ad phlogoſim vergit : quibus ſic ſe habentibus, haud citrà maximum periculum uſurpari queunt medicamina ſtimulantia, quæ currenti, ut inquiunt, calcar adderent. Conſultiùs igitur ad diluentia, temperantia, anodyna & emollientia interna, & externa, confugitur; quibus addere licet nitroſa quæ in hiſce caſibus, annuentibus primi ſubſellii practicis, præſentaneam opem ferunt: inſuper futilia & noxia cenſeri debent cujuſvis ſortis emmenagoga ſub ſanguinis penuriâ, ubi ſcilicèt planè deficiens hic latex impar eſt excitandæ plethoræ, quæ ad fluxum menſtrualem requiritur. Idem dicendum de viribus exhauſtis ſolo analepticorum uſu refocillandis; in quibus caſibus fruſtrà natura ſollicitatur. Vitentur demùm emmenagoga ubi adeſt quædam graviditatis ſuſpicio, ergà ſcilicèt illas meretriculas quæ illa obnixè efflagitant ſub ſpe futuri abortûs: in hiſce anguſtiis cautè procedendum, ne fœtus intempeſtivis remediis deturbetur; vel ab omni curatione abſtinere præſtat; donec tractu temporis res clariùs elucеſcat.

MOVENTIA MENSES.

EMPORETICA.

RADICES bruſci, aſparagi, apii, petroſelini, anonidis, rubiæ tinctorum, caryophyllatæ, arundinis, bardanæ, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ (1), fraxinellæ, ireos florentinæ, carlinæ, valerianæ hortenſis, raphani ruſticani, angelicæ, imperatoriæ. Acorus; coſtus arabicus; cyperus longus; galanga; zedoaria; nardus indica.

Folia linguæ cervinæ, ſaxifragæ, cerefolii, hyperici, abrotani, artemiſiæ, matricariæ (2), tanaceti, eupatorii cannabini, rutæ, alliariæ, dictamni cretici, marrubii albi (3), meliſſæ, menthæ, nepetæ (4), ſalviæ, ocymi, pulegii, ſclareæ (5); origani; centaurii minoris, chamædryos, ſabinæ (6).

Flores hyperici, calendulæ (7), roriſmarini, lavandulæ, ſtœchados arabicæ. Crocus (8).... Semen rutæ, ammeos, apii, cumini, feniculi, aniſi. Avena.... Baccæ lauri, juniperi. Cicer rubrum. Cortex aurantiorum.... Nux moſchata; macis. Amomum racemoſum. Cardamomum. Caryophylli.... Caſſia lignea. Cinnamomum. Cortex Winteranus, tamariſci.... Balſama naturalia.... Aloë. Aſſa fœtida. Bdellium. Galbanum. Gummi ammoniacum. Myrrha. Camphora. Fuligo.... Caſtoreum. Aſelli. Sanguis hirci præparatus.... Aquæ Vallenſes, Forgienſes (9), Paſſiacæ, Cranenſes, Spadanæ, Vicienſes, Bellilucanæ, Plumberianæ, Provinenſes (10), Bononienſes (11), Sextienſes (12), &c.... Borax. Succinum. Sal ammoniacum.... Ferrum. Lapis hæmatites.

Moventia menses.

OFFICINALIA.

Aqua bardanæ, meliſſophylli, artemiſiæ, menthæ, florum aurantiorum... Syrupus de artemiſiâ ([13]), mercurialis, de ſtœchade; de quinque radicibus... Vinum abſinthites. Oxymel ſcilliticum.... Crocus, & extractum martis.... Electuarium de baccis lauri. Mithridatium.... Pilulæ benedictæ Fulleri.... Tinctura caſtorei, abſinthii, croci ([14]), myrrhæ.... Spiritus juniperi. Aqua meliſſæ compoſita.... Oleum cinnamomi. Elixirium proprietatis.... Tartarus chalybeatus, & ſolubilis. Sal Glauberi. Arcanum duplicatum. Terra foliata tartari.

MAGISTRALIA.

PTISANA.

℞ Radicum *aſparagi* unciam unam. *Foliorum eupatorii cannabini* manip. ſemis. Coque in aquæ libris quatuor. Sub finem adde *ſummitatum centaurii minoris* & *hyperici* ana pugillum unum.

℞ *Radic. bardanæ* & *arundinis* ana ſemi-unciam. *Foliorum linguæ cervinæ* & *tanaceti* ana manip. ſemis. Coque in aq. q. ſ. ad libras quatuor.

HAUSTUS.

℞ *Croci orientalis* ſemi-ſcrupulum. Infunde calidè per horam in aq. unciis octo. Colaturæ adde *ſucci aurantiorum* ſemi-unciam. Fiat hauſtus pro ſubitaneâ menſium ſuppreſſione.

POTIO.

℞ *Aquæ artemiſiæ* uncias ſex. *Boracis* ſcrupulum unum. *Mithridatii* drach. unam. *Aquæ cinnamomi hordeatæ* unciam unam. *Tincturæ anodynæ* guttas triginta. Capiat è cochleari, ad ſubitaneam ſuppreſſionem.

APOZEMA.

℞ *Radic. arundinis* & *apii ſylveſtris* ana ſemi-unciam. *Foliorum tanaceti* & *meliſſæ* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *croci orientalis* inciſi ſcrupulum unum. Fiat ex arte apozema.

℞ *Radic. rubiæ tinctorum* ſemi-unciam. *Radic. ariſtolochiæ rotundæ* & *angelicæ* ana drachm. duas. *Folior. marrubii* & *artemiſiæ* ana ſemi-manipulum. *Limaturæ ferri rubiginoſi*, in nodulo ſuſpenſæ, unciam ſemis. Coq. in aq. q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *florum roriſmarini* pugill. unum *Croci* drachm. ſemis.

MOVENTIA MENSES.

℞ *Radic. bruſci* & *anonidis* ana ſemi-unciam. *Foliorum matricariæ* & *ſummitatum roriſmarini* ana manipul. ſemis. *Seminum petroſelini* pug. unum. *Croci* drachmam ſemis. Bulliant ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde doſi matutinæ *tartari ſolubilis* ſemi-drachmam. *Aquæ cinnamomi* drachmam unam.

℞ *Radic. caryophyllatæ* ſemi-unciam. *Foliorum artemiſiæ* manip. unum. *Ciceris rubri* unciam unam. Coque in aq. libris tribus, ad duas. Colaturæ adde *ſyrupi de artemiſiâ* uncias duas ad lochia ſuppreſſa.

JUSCULUM.

℞ *Cancros fluviatiles* contuſos, num. duos. *Foliorum cichorii ſylveſtris* manip. unum. *Tartari martialis ſolubilis* grana decem. Fiat ex arte juſculum cum *pullo*.

℞ *Radic. aſparagi* unciam unam. *Fol. agrimoniæ* & *cichorii* ana ſemi-manipulum. *Summitatum centaurii minoris* pugill. duos. *Limaturæ ferri rubiginoſi*, in nodulo, ſemi-drachm. Fiat juſculum cum fruſtulo *carnis vitulinæ*. Cui adde *pulveris croci* grana quatuor.

℞ *Radic. recentium rubiæ tinctorum* ſemi-unciam. *Radic. ſiccarum ariſtolochiæ rotundæ* & *helenii* ana ſemi-drachmam. *Folior. ſcolopendrii* & *eupatorii cannabini* ana manip. ſemis. *Croci inciſi* grana ſex. Fiat juſculum cum *pullo*. Cui adde *tartari chalybeati ſolubilis* ſemi-drachmam.

VINUM.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi* uncias duas. *Radic. ariſtolochiæ rotundæ*; *corticis Winterani* ana unciam unam. *Rhei* ſemi-unciam. Infunde per triduum in *vini albi* libris quatuor. Doſis ad uncias duas, bis in die.

℞ *Croci martis* unciam unam & ſemis. *Croci orientalis* drachm. unam. Infunde per biduum in *vini albi* libris duabus, pluriès agitando. Doſis ab unciâ unâ ad duas, pluriès per diem.

PULVIS.

℞ *Croci martis aperientis* drachmas tres. *Cinnamomi* ſemi-drachm. *Sacchari* ſemi-unciam. Miſce. Fiat pulvis. Cujus doſis ad drachmam unam.

℞ *Ariſtolochiæ rotundæ* ſcrupul. unum. *Myrrhæ* grana duodecim. *Boracis* grana octo. *Caſtorei* grana ſex. *Croci* grana quatuor. Miſce. Fiat pulvis è juſculo ſumendus, ad movendum partum.

℞ *Croci martis* drachm. tres. *Croci orientalis*; *macis* ana ſcrup. duos. *Boracis*; *cinnamomi* ana grana quindecim. *Sacchari cryſtallini* ſemi-unciam. Miſce. Fiat pulvis, de quo capiat ſemi-drachmam manè jejuno ventriculo; ſuperbibendo unum vel alterum *meliſſæ* poculum.

℞ *Boracis* grana quindecim. *Myrrhæ* grana decem. *Croci* grana duo. *Olei cinnamomi* gutt. unam. Miſce. Fiat pulvis ad promovendum partum, & ad menſes ſuppreſſos.

℞ *Boracis* grana duodecim. *Caſſiæ ligneæ*; *ſabinæ* ana grana ſex. *Croci*

grana quatuor. Miſce pro pulvere, cui addere licet *laudani* ſemi-granum. Ad partum & ſecundinas.

MOVENTIA MENSES.

BOLUS.

℞ *Radic. ariſtolochiæ rotundæ* & *rubiæ tinctorum* ana ſcrupulum unum. *Agarici trochiſcati* grana duodecim. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de artemiſiâ.*

℞ *Extracti martis* ſcrupul. unum. *Boracis* grana octo. *Myrrhæ* & *aloës* ana grana ſex. *Salis abſinthii* grana octo. *Croci* grana quatuor. Fiat ex arte bolus cum *ſyrupo de artemiſiâ.*

℞ *Extracti martis* grana octo. *Rhabarbari ; arcani duplicati* ana ſemi-ſcrupulum. *Croci* grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de abſinthio.*

℞ *Pulveris de guttetâ ; croci martis* ana grana decem. *Aſellorum præparatorum* grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de quinque radicibus.*

℞ *Boracis ; myrrhæ* ana grana decem *Radic. ariſtolochiæ* grana octo. *Croci orientalis* grana duo. *Olei caryophyllorum* granum unum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de artemiſiâ.*

OPIATA.

℞ *Electuarii de baccis lauri* ſemi-unciam. *Radic. ariſtolochiæ rotundæ* drachmas duas. *Cinnamomi* drachmam unam. *Croci orientalis* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de artemiſiâ.* Doſis ad drachmam unam. Superbibendo *aquæ bardanæ* uncias quatuor.

℞ *Croci martis* ſemi unciam. *Rhabarbari*, *caſſiæ ligneæ* ana drachm duas. *Boracis* & *myrrhæ* ana drachm. unam. His ritè mixtis, adde *tincturæ caſtorei* drachmam unam ; *ſyrupi florum perſicorum* q. ſ. ad opiatam. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam & ſemis. Superbibendo juſculum.

℞ *Extracti martis* ſemi unciam. *Rhabarbari* drachmas duas. *Myrrhæ* & *gummi ammoniaci* ana drachmam unam & ſemis. *Boracis* & *florum ſalis ammoniaci* ana drachmam unam. Fiat opiata cum *ſyrupo de quinque radicibus.*

PILULÆ.

℞ *Gummi ammoniaci* in vino ſoluti unciam unam & ſemis. *Myrrhæ* & *aloës*, ana drachmas ſex. *Croci orientalis ; ſalis abſinthii* ana drachmam unam. Miſce, & fiat maſſa pilularum cum *oxymelle ſcillitico.* Doſis ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam.

℞ *Radic. ariſtolochiæ rotundæ* & *rubiæ tinctorum* ana ſemi-unciam. *Agarici trochiſcati* & *cinnamomi* ana drachmam unam. *Croci* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat maſſa pilularis cum *ſyrupo artemiſiæ.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Aſſæ fœtidæ* & *caſtorei* ana grana quindecim. *Salis volatilis viperarum* grana decem. *Laudani* grana duo. Miſce. Fiant pilulæ intrà viginti quatuor horas per vices ſumendæ. Ad ſubitaneam ſuppreſſionem.

Moventia menses.

COMMENTARIA.

(1) ARISTOLOCHIA rotunda, J. B. (*Ariſtoloche ronde*). *Ariſtolochia* longa, J B. (*Ariſtoloche longue*).

Licèt utraque ſpecies iiſdem proprietatibus inſigniri videatur; prioris tamen radix tuberoſa, & ſapore amaricante ingrato prædita, pluris habetur, & in familiarem uſum venit. Inter emmenagoga & antihyſterica recenſetur; ſedantium gradum obtinet; pectoraliumque incidentium ordinem ſubit. Quapropter cardialgiæ auxiliatur; expectorationem juvat & aſthmaticis prodeſt. Datur in ſubſtantiâ à granis duodecim ad drachmam unam. In infuſo verò aut decocto à drachmâ unâ ad ſemi-unciam pro ſingulis aquæ libris; ſed rariùs ſub hâc formâ uſurpatur ob ingratum ſaporem. Quoad vires externas, vulneraria & detergens cenſetur; nec ipſi denegatur vis antiputrida. De aliis ariſtolochiæ ſpeciebus de quibus, ſuccedaneorum inſtar, mentionem ſubjiciunt Authores, nil addimus; cùm nuſquàm vel rariſſimè uſurpentur.

(2.) *Matricaria* vulgaris ſeu ſativa, C. B. pin. (*Matricaire*).

Uteri morbis, undè nomen mutuatur, dicatur hæc planta; ideò inter emmenagoga & antihyſterica celebratur; cujus beneficio ducuntur lochia; expelluntur ſecundinæ & ſedantur dolores poſt partum. Inſuper tonicorum ordini adſcribitur; atque in ſtomachicorum carminantium agmine recipitur. Præſcribuntur ſummitates floridæ in infuſo vel decocto ad manipulum unum pro quâque librâ aquæ vel pro juſculo. Succus è foliis expreſſus propinatur ab unciâ unâ ad duas: ſcire expedit quòd à majori doſi utplurimùm ſolvatur alvus. Proſtat in officinis aqua diſtillata quæ iiſdem pollet viribus. Inter reſolventia externa etiam numeratur matricaria, & ſæpiùs fauſtè admovetur tumentibus mammis. Ingreditur demùm enemata carminantia & antihyſterica.

(3.) *Marrubium* album vulgare, C. B. pin. (*Marrube blanc*).

Hæc herba vulgatiſſima haud infimum locum tenet in ordine antihyſtericorum & menſes moventium; atque à nonnullis proſperè uſurpatur ad partum difficilem. Cæterùm inter aperientia & incidentia pectoralia numeratur; ac ſæpiùs conducit in aſthmate & tuſſi pertinaciori; nec inutilem opem confert in aliorum viſcerum obſtructionibus. Folia exhibentur ad manipulum unum in juſculo vitulino; vel infunduntur in vini albi librâ unâ. Propinatur demùm ſuccus ad unciam unam vel alteram.

(4.) *Nepeta* vulgaris, Tragi. Cataria major vulgaris, Inſt. rei herb. (*Herbe aux chats*).

Hæc ſtirps ſummè fragrans, aliorum aromaticorum inſtar, viribus ſtomachicis & aperientibus, ultrà omne dubium gaudet: ſed uſus invaluit, ut nonniſi ad effectus uterinos uſurpetur. Ideò in uſum quandòque venit

MOVENTIA MENSES.

ad menſes ducendos, & cienda lochia; ad juvandas parturientes; atque ad ſecundinas expellendas. Datur in infuſo theiformi.

(5.) *Sclarea*, Tabern. Inſt. rei herb. Horminum, Sclarea dictum, C. B. pin (*Orvale*).

Vix in uſum trahitur; licèt juxtà nonnullos plurimùm valeat hæc planta fragrantiſſima, tàm ad menſes ciendos & inſultus hyſtericos præcavendos, quàm ad ſterilitatem & fluorem album. Infunduntur ſummitates ad manipulum unum in aquæ vel vini librâ unâ. A pluribus tanquàm anodyna extùs uſurpatur; & ſub hoc conſpectu enemata ingreditur ad colicam ſpaſmodicam parata.

(6.) *Sabina* folio tamariſci, Dioſcor. C. B. pin. (*Sabine*).

Folia, quibus ineſt ſapor acris, amarus & aromaticus, inter uterina ſummè celebrantur: in ſerie aperientium, incidentium & diureticorum recipiuntur. Nec ipſis denegatur locus in tractu vermifugorum. Ideò valent ad ducendos menſes, ſecundinas abigendas, & fœtum mortuum expellendum: conducunt in ſterilitate; nec inutilem opem præſtant in fluore albo, &c. Sed ſummâ cum cautelâ exhiberi debet hoc remedium, ne hæmorrhagiam uterinam excitet. Vetatur ubi adeſt, vel levis graviditatis ſuſpicio: in hunc finem, aut ad promovendum abortum, ab pſeudo-virginibus imprægnatis, haud citrà nefas, uſurpari neminem fermè latet. Doſis in ſubſtantiâ à granis ſex ad ſcrupulum unum. In decocto verò vel infuſo ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam. Familiarior eſt uſus externus; inter enim exſiccantia, detergentia & cathæretica præcipuum locum obtinent; hinc ſæpiùs admoventur ſub pulveris vel lotionis formâ, tineæ, ſcabiei, verrucis, ulcerum ſarcomatibus, &c. A nonnullis pro arcano venditatur hoc remedium ad ulcera cancroſa, quibus pulvis per-ſe, vel cum melle mixtus imponitur; & plures novi quos fauſto beavit eventu hæc methodus.

(7.) *Calendula*, Dodon. Caltha vulgaris (& arvenſis), C. B. pin. (*Souci*).

Utriuſque ſpeciei folia & flores, antihyſtericorum & menſes moventium numero adſcribuntur; ad tonicorum & aperientium gradum provehuntur; atque in diaphoreticorum & alexiteriorum ordine collocantur. Inſuper paralyſi & membrorum contracturæ nonnunquàm profuiſſe variis conſtat experimentis. Dantur in infuſo aquoſo vel vinoſo ad pugillum unum vel alterum. Succus etiam propinatur ab unciâ unâ, ad tres. Folia extùs admota vi reſolvente gaudent; & in tumoribus ſcrophuloſis ac ſkirrhoſis, non ſecùs ac pro verrucis & clavis pedum, à nonnullis prædicantur.

(8.) *Crocus* ſativus, C. B. pin. (*Saffran*).

Exilia florum filamenta, vel, ut inquiunt Botanici, ſtamina, è rufo punicea in uſum veniunt tàm medicum, quàm culinarem. Crocus inter exquiſitiora emmenagoga recenſetur; atque ſedantium & antiſpaſmodicorum claſſem ſubit. Ideò hyſterim fugat; menſes ducit; partum promo-

vet; uterum expurgat, &c. Præterea ſtomachi vires refocillat, ac pulmonum & hepatis infarctui opitulatur; aſthmaticiſque ſuccurrit. Notante Boerhaavio, quamdam ebrietatem, cum hilaritate, accerſit. Datur in juſculo, aliove hauſtu, à ſemi-grano, ad grana quatuor, vel ſex, ad ſummum: quidquid in contrarium adducant plerique Authores, qui illum ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulos duos & ultrà exhiberi poſſe contendunt: in infuſo verò à granis quatuor ad decem vel duodecim præcipitur. Scire juvat haud innoxium eſſe illud remedium ſi majori doſi, vel importunè uſurpetur: narcoticum enim evadit; vel cachinnos immodicos, ſtultitiam, ſtuporem, lethargum; aut ipſummet lethum poſt ſe trahit. Crocus extùs admotus reſolvit, & dolores ſedat; ac ſub hoc conſpectu nonnulla collyria, variaque cataplaſmata ingreditur: hocce topicò nonnulli levantur arthritici. Proſtat in officinis tinctura, de quâ infrà.

Moventia menses.

(9.) *Aquæ Forgienſes* frigidæ (*de Forges*), oppiduli Normaniæ, novem leucis à Rothomago) *Rouen*, in Boream recedentis; & viginti quinque à Pariſiis; odorem ſpirant haud ingratum; ſaporeque gaudent ferrugineo, qui earum naturam prodit. Aqua è fonte, ut inquiunt, regio uſitatior, tranſvehitur: hanc excipit illa quam præbet fons vulgò dictus cardinalis, quæ uberiori martis proventu ſcatet. In familiarem uſum veniunt prædictæ aquæ, tàm ad menſium ſuppreſſionem, quàm ad fluxum immodicum; aliiſque uteri vitiis obviam eunt: ideò fauſtè uſurpari ſolent in affectu hyſterico, chloroſi, ſterilitate & fluore albo. Inter ſtomachico-tonica inſuper numerantur; & conducunt in vomitu & diarrhœâ; quod tamen non impedit quominùs alvum ſolvant. In aperientium denique & diureticorum ſerie recipiuntur; ac proſunt in obſtructionibus, hypochondriaſi, ictero & infarctu renum. Haud reticendum quòd noxam inferant ſcorbuticis & paralyticis; nec ſine periculo exhiberi queunt pectore laborantibus. Propinantur à librâ unâ ad ſex; vel pro potu ordinario præſcribuntur.

(10.) *Aquæ Provinienſes* frigidæ (*de Provins*), urbis Campaniæ, ſuis roſis celebris, haud longè à Sequanâ; & novemdecim leucis versùs Euro-Notum à Lutetiâ; ſapore etiam ferrugineo præditæ ſunt. Atque indole & viribus ad Forgienſes procul accedunt; eâdem tamen ratione, ſimilique methodo exhibentur.

(12.) *Aquæ Bononienſes* frigidæ (*de Boulogne*), urbis Picardiæ à Caleto (*Calais*), ſeptem leucis ad Auſtrum diſtantis, ferrugineæ cum prioribus coincidunt; nec diſſimili ratione uſurpantur.

(12.) *Aquæ Sextienſes* tepidæ (*d'Aix*), urbis Gallo-Provinciæ quinque leucis in Aquilonem à Maſſiliis recedentis; ſaponaceæ & detergendis pannis aptiſſimæ, menſium & hæmorrhoïdum fluxum reſtituunt; ſterilitati medentur; abortum præcavent; ac fluore albo, non ſecùs ac gonorrhœæ, opitulantur. Inſuper alimentorum digeſtionem juvant, & alvum reſerant; diureſim movent & apprimè conducunt in infarctu renum & veſicæ; nec ipſis denegatur vis aperiens & incidens. Propinantur

Moventia menses.

à librâ unâ ad ſex & ultrà per duodecim aut quindecim dies. Ipſarum balnea & irrigationes ab alto, quibus adſcribitur vis reſolvendi, detergendi & roborandi, ſæpiùs uſurpantur adversùs paralyſim & ſtuporem; conducunt in doloribus & intumeſcentiis, quæ pro reliquiis luxationum, fracturarum, diſtorſionum, contuſionum & vulnerum habentur: nec demùm inutilem opem præſtant in ſcabie, herpete, aliiſque cutis defœdationibus.

(13.) *Syrupus de artemiſiâ* Fernel, nomen perperàm mutuatur ab hâc plantâ; tantâ enim rerum farragine obruitur; ut ne minimum quidem effectum præſtare queat artemiſia: equidem hunc ingrediuntur meliſſa, ſabina, ruta, pæonia, marrubium, chamæpitys, pulegium, origanum, calamintha, aniſum & feniculum; quæ omnia in hydromelle macerantur per viginti quatuor horas & demùm cum ſaccharo notiſſimâ arte coquuntur. Inter emmenagoga & antihyſterica numeratur; & diureticorum claſſem ſubit; ac demùm in ſedantium, carminantiumque agmine recipitur; cujus ratione ſæpiùs fauſtè uſurpatur in colicâ flatulentâ & ſpaſmodicâ. Doſis à drachmis duabus ad ſex accedit.

(14) *Tinctura croci* educitur ſtaminum, de quibus ſuprà, maceratione in ſpiritu vini, donec propè ſaturetur. Remedium eſt efficaciſſimum ad movendos menſes: haud minùs laudatur ad fugandam hyſterim. De cæteris viribus nil addimus, ne recoctam crambem apponamus. Exhibentur in vehiculo congruo à guttis octo ad viginti.

HEPATICA.

Non ſecùs ac cephalica, pectoralia & uterina, experientiâ duce, à tonicis & antiſpaſmodicis, ab aperientibus, diureticis, vulnerariis, &c. è quibus depromuntur, diſtingui ſolent: eâdem ratione innotuerunt hepatica, in hâc claſſi enarranda, quæ è temperantium, aperientium, roborantium, ſtomachicorum, &c. fontibus hauriuntur. Nùm hæc remedia hepati dicata, quamdam cum hoc viſcere affinitatem habeant; vel ſpecificè, ut inquiunt, agant? jure ambigitur; illudque dubium in medio relinquimus. Sed innumeris edocti obſervationibus, tùm è proprio penu, tùm è celebriorum practicorum ſcriptis, collectis, aſſerere minime dubitamus, hæcce medicamina, haud inconſultò à Veteribus celebrata, præcipuam ſanè opem conferre in hujuſce organi vitiis; licèt contextum vaſculoſum ſpectent, licèt liquidis ipſum irrorantibus proſpiciant. Hinc maximi eſt momenti, nec ab inſtituto alienum, ea ſub uno & eodem conſpectu colligere; ut aliorum ſanitati invigilantes quidquid ipſis agendum incumbit, ſub morbis frequentiſſimis & periculoſis, ictero nempè, cachexiâ, hydrope, &c. ad memoriam in promptu revocare queant. Haud indiſcriminatim tamen

in

in ſingulis hepatis morbis, à multiplici ſanè quidem causâ oriundis uſurpari debent; ſed delectu opus eſt, in hoc diverſæ ſortis medicaminum agmine: imò & opportuno tempore ſunt exhibenda; aliàs futilia, vel noxia, evadere nemo non intelligit. HEPATICA.

EMPORETICA.

RADICES cichorii, taraxaci, lapathi, acetoſæ, fragariæ, graminis, apii, aſparagi, feniculi, ruſci, rubiæ tinctorum, enulæ campanæ, gentianæ, filicis, polypodii; curcuma (1), rheum.

Folia cichorii, taraxaci, lactucæ, lapathi, acetoſæ, portulacæ, agrimoniæ, linguæ cervinæ (2), fumariæ, lupuli (3), cerefolii, trifolii hepatici, tanaceti, abrotani, eupatorii cannabini (4), verbenæ, marrubii, agerati (5), abſinthii, centaurii minoris, chamædryos, naſturtii aquatici, cochleariæ, berulæ, becabungæ; hepatica (6), cuſcuta minor, polytrichum (7), ceterac (8), cæteræ herbæ capillares.

Malum limonium, citreum, ſemen cannabis.... Cortex Peruvianus, Winteranus, ſantalum... Aloë (9), gummi lacca, ammoniacum, ſapo... Vipera, ſerpens, cancri fluviatiles, aſelli... Aquæ Vallenſes, Forgienſes, Paſſiacæ, Cranenſes, Spadanæ, Vicienſes, Bellilucanæ, Plumberianæ, Luxovienſes, Granenſes, Montis aurei, Borbonienſes Arcimbaldicæ (10)... Nitrum, borax, ferrum.

OFFICINALIA.

AQUA cichorii, lactucæ, fumariæ.... Syrupus de cichorio cum rheo, & ſimplex; mercurialis (11), de abſinthio, antiſcorbuticus, capillorum veneris. Extractum rhabarbari, gentianæ, fumariæ, abſinthii; aloë lota (12).... Crocus martis aperiens, aſelli præparati.... Sal tartari, geniſtæ, Glauberi.... Tartarus vitriolatus, chalybeatus.... Arcanum duplicatum, terra foliata tartari.... Æthiops mineralis, antimonium diaphoreticum.

HEPATICA.

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ Rhei craſſiuſculè triti drachmas duas. *Salis geniſtæ* drachmam unam. Nodulo excepta infundantur frigidè in aquæ libris duabus. Ad uſum.

℞ *Limaturæ ferri rubiginoſi* uncias tres. Bulliat per horam in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Dein frigidè infunde *rhei* minutim inciſi, in nodulo, drachmas duas. Colatura ſervetur pro uſu.

PTISANA.

℞ *Radicum dentis leonis* unciam unam. *Folior. agrimoniæ* & *linguæ cervinæ* ana ſemi manipulum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

℞ *Radic. graminis* & *fragariæ* ana ſemi-unciam. *Foliorum verbenæ* & *fumariæ* ana manipul. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

Radic. aſparagi ſylveſtris unciam unam; *fructuum ſiccorum kynorrhodon* unciam ſemis. *Folior. ceterac* manip. unum. Coquantur in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

SERUM LACTIS.

℞ *Seri lactis vaccini* uncias octo. *Folior. fumariæ* manip. ſemis. Bulliant leviter & cola.

℞ *Seri lactis caprini* uncias octo. *Succi fumariæ* uncias duas. Miſce pro hauſtu.

APOZEMA.

℞ *Radic. cichorii ſylveſtris* & *feniculi* ana unciam unam. *Foliorum agrimoniæ* & *fumariæ* ana ſemi-manipulum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *cryſtalli mineralis* drachmas duas.

℞ *Radic. recentium lapathi acuti* unciam unam. *Radicum enulæ campanæ* ſiccarum & contuſarum drachmas duas. *Folior. cichorii* & *naſturtii aquatici* ana manip. ſemis. *Aſellorum* lotorum in vino albo extinctorum paria ſex. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de cichorio cum rheo* uncias duas.

℞ *Radic. apii* & *aſparagi* ana ſemi-unciam. *Folior. borraginis* & *cichorii* ana manipul. ſemis. *Summitatum centaurii minoris* pugill. unum. Bulliant leviter in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſalis Glauberi* drachmas duas.

℞ *Radic. taraxaci* unciam unam. *Corticis Peruviani*; *radicum ſiccarum*

gentianæ ana drachmam unam. *Folior. pervincæ* & *fumariæ* ana manipulum ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas; colaturæ adde *ſyrupi mercurialis* unciam unam & ſemis. HEPATICA.

℞ *Radicum acetoſæ* & *fragariæ* ana ſemi-unciam. *Folior. agrimoniæ, pimpinellæ* & *fumariæ* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi capillorum veneris* uncias duas.

℞ *Radic. bruſci* & *aſparagi* ana unciam unam. *Folior. naſturtii aquatici; ſummitatum lupuli* ana manip. ſemis. *Folior. chamædryos* pugill. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de cichorio* uncias duas. *Aquæ naphæ* unciam unam.

℞ *Radic. apii* & *petroſelini* ana ſemi-unciam. *Folior. aſplenii* & *agrimoniæ* ana man. ſemis; *ſummitatum abſinthii* pugill. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde cuique doſi *ſyrupi de quinque radicibus* ſemi-unciam.

℞ *Radic. polypodii* & *rubiæ tinctorum* ana ſemi-unciam. *Folior. agrimoniæ, fumariæ* & *marrubii* ana manip. ſemis. *Summitatum centaurii minoris* & *lupuli* ana pugill. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de cichorio cum rheo* uncias duas.

JUSCULUM.

℞ *Colli vervecini* libram unam. *Radic. recentium lapathi* unciam unam. *Radic. enulæ campanæ* drachmam unam. *Cancrorum fluviatilium* paria duo. *Folior. naſturtii aquatici* & *cichorii ſylveſtris* ana manip. ſemis. *Aſellorum* in vino albo extinctorum & lotorum paria ſex. Fiat ex arte juſculum cum aquæ q. ſ.

℞ *Radic. lapathi* unciam unam. *Radic. ſiccarum chelidonii majoris* drachmam unam. *Fol. cichorii* & *linguæ cervinæ* ana ſemi-manip. *Cancros fluviatiles* num. quatuor. Fiat juſculum cum *pullo*.

℞ *Pullum* exenteratum cujus venter excipiat *hordei mundati* manipulum unum & *ſeminum frigidorum majorum* ſemi-unciam. Bulliant per horam in aquæ q. ſ. Adde *cancros fluviatiles* numero quatuor. *Folior. borraginis* & *cerefolii* ana manipulum unum. Coque in vaſe optimè clauſo per ſemi-horam. Cola & exprime. In primo cochleari diſſolve *tartari chalybeati* ſemi-drachmam.

℞ *Radic. ſiccarum helenii* drachmas duas; *folior. cichorii* & *naſturtii aquatici* ana manipulum ſemis; coque cum fruſtulo *carnis vervecinæ*. Adde circà finem *aſellos lotos* & contuſos, numero duodecim. Fiat ex arte juſculum, in cujus primo cochleari diſſolve *tartari chalybeati* ſcrupulum ſemis; ſuperbibendo reliquum. Conducit ſub ictero.

PULVIS.

℞ *Curcumæ* ſemi-drachmam. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat ex arte pulvis.

HEPATICA.

℞ *Radic. carlinæ* drachmam unam. *Salis volatilis cornu cervi* grana octo. Miſce.

B O L U S.

℞ *Extracti abſinthii* ſemi-drachmam. *Rhabarbari ; corticis peruviani* ana ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo abſinthii.*

℞ *Croci martis ; corticis Winterani ; rhabarbari ; aſellorum præparatorum* ana grana duodecim. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio.*

O P I A T A.

℞ *Croci martis ; aquilæ albæ ; extracti rhabarbari* ana drachmas duas. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo florum perſicorum.* Doſis à ſemi-drachmâ ad ſcrupulos duos.

℞ *Saponis albi* uncias duas. *Corticis Peruviani ; croci martis* ana drachmas duas. *Radic. enulæ campanæ* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Extracti martis* & *fumariæ* ana ſemi-unciam. *Rhei* drachmas duas. *Reſinæ jalapii* ſcrupulos duos. *Æthiopis mineralis ; aſellorum præparatorum ; tartari martialis ſolubilis* ana ſemi-drachmam. *Gummi ammoniaci ; boracis* ana drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de quinque radicibus.* Doſis ad drachmam unam.

P I L U L Æ.

℞ *Saponis veneti* unciam unam. *Boracis* ſemi-unciam. *Aloës ſoccotrinæ* drachmas tres. Miſce. Fiat maſſa pilularis. Doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

HEPATICA.

COMMENTARIA.

(1.) Curcuma, vulgò Terra merita, (*Saffran des Indes*), eſt radix denſa & lutea, odore gravi & ingrato, ſapore acuto cum nonnullâ amaritie, plantæ cujuſdam orientalis & cognominis, quam ad cannacorum retulit Turnefortius. Ob ſummam duritiem & ariditatem olim pro terrâ habita hæc radix, inter hepatica præſtantiora celebratur; nec ipſi denegatur vis abigendi pſeudo-lapillos veſiculæ felleæ. Præthereà depurantium, aperientium, diureticorum, & emmenagogorum ſeriem ſubit; & ideò valet in chloroſi, cachexiâ, ictero, ſcorbuto, &c. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad duos; & ad duplum in infuſo aut decocto: ſed ut verum fatear, frequentiùs ab infectoribus quàm à Medicis uſurpatur.

(2.) *Lingua cervina* officinarum, C. B. pin. Scolopendria vulgaris, Tragi. (*Scolopendre* ou *Langue de cerf*).

Herbis capillaribus cognata hæc planta in hepaticorum & temperantium ordine collocatur: vi prætereà tonicâ, aperiente & diureticâ gaudet; alvumque ſæpiùs adſtringit. Conducit in hypochondriaſi, cachexiâ, ictero & hydrope. Præſcribitur ad manipulum ſemis pro quâque librâ infuſi aut decocti.

(3.) *Lupulus* mas, (& femina), C. B. pin. (*Houblon*).

Omnibus notum manet flores lupuli, ſapore amaro præditos, ad cereviſiæ confectionem uſurpari: turiones verò & ſummitates teneras in uſum medicum venire; nec à coquis, aſparagi inſtar, deſpici. Non ſecùs ac fumaria, cui plerúmque ſociantur, in numero hepaticorum haud infimum locum ſibi vindicant: depurantium & antiſcorbuticorum gradum obtinent: atque aperientium & diureticorum ordini adſcribuntur: alvumque nonnunquàm reſerant. Ideò laudantut ad pruritum, herpetem, aliaque cutis vitia: opportunè exhibentur hypochondriacis, hyſtericis, &c. Doſis ad manipulum unum pro ſingulis infuſi aut decocti libris. Succus verò ab unciis duabus ad quatuor propinatur. Folia extùs admota anodyna & reſolventia cenſentur.

(4.) *Eupatorium* cannabinum, C. B. pin. Vulgare hepatorium, Dod. pempt. (*Eupatoire d'Avicenne*).

Folia & ſummitates floridæ hujuſce ſtirpis, quâdam amaritie prædita, quorum uſus haud ſat familiaris, inter præſtantiora hepatica & depurantia recenſeri debent; in tonicorum numerum adſciſcuntur; febrem vel quartanam fugant; obſtructiones reſerant, &c. Hinc fauſtè uſurpantur in cachexiâ, aliâve ſanguinis dyſcraſiâ; in ictero & hepatis infarctu: œdematoſis & ad hydropem proclivibus ſuccurrunt; menſes movent; ſummam opem conferunt in cutis morbis. Coctioni ſubmittuntur ad manipulum unum pro juſculo, aut quâque librâ aquæ, lactiſve ſeri. Exhibetur

HEPATICA.

ſuccus ab unciis duabus ad quatuor. Quoad uſum externum inter reſolventia exquiſitiora numerantur & fauſtè admoventur ſcroto & cruribus œdematoſis.

(5.) *Ageratum* foliis ſerratis, C. B. pin. Ptarmica lutea ſuaveolens, Inſt. rei herb. Eupatorium Meſue, Tragi. (*Eupatoire de Méſué*).

Hæc planta aromatica, cujus ſapor ad amaritiem vergit, vix in uſum magiſtralem cedit; licèt haud contemnendis hepaticis viribus inſtruatur; nec ipſi denegetur locus inter ſtomachica, vermifuga & emmenagoga. Prætereà cerebro & nervis prodeſſe experientiâ conſtat. Summitates floridæ ad pugillum unum vel alterum in infuſo aut decocto uſurpari queunt. Folia demùm inter reſolventia externa numerantur. Coronidis loco addere lubet aliam eſſe plantam, præter hæc bina eupatoria, agrimoniam nempè, quæ eupatorium primò apud Græcos audiebat, de quo jam ſuprà actum fuit.

(6.) *Hepatica* terreſtris, Gerard. Lichen, petreus latifolius, ſive Hepatica fontana, C. B. pin. (*Hépatique commune*).

Ob inſignes vires tàm ergà hepar, quàm ad juvandam hæmatoſim, ſic nuncupata hæc lichenis ſpecies, vix hodiè uſurpatur. Haud tamen inutilem opem conferre videtur in infarctu hepatis, cæterorumque viſcerum: depurantium etiam claſſem ſubire valet. Hinc commendatur in affectibus cutaneis; nec deſtituitur virtute vulnerariâ, quâ phthiſicis ſuccurrere fertur. Datur in decocto à manipulo ſemiſſe ad manipulum unum, pro juſculo; vel aquæ librâ unâ. Scire licet aliam eſſe ſtirpem haud minùs celebrem, quæ etiam hepaticæ nomen ſibi vindicat, de quâ jam egimus ſub titulo trifolii hepatici.

(7.) *Polytrichum* officinarum. Trichomanes, ſeu Polytrichum, C. B. pin. (*Polytrich*).

Adianti, aliorumque capillorum veneris inſtar, temperantium hepaticorum claſſi adſcribitur; atque non ſolùm hepatis, ſed etiam lienis, aliorumque viſcerum abdominalium obſtructiones blandè reſerat; pectori demùm dicatur, præſertim ad incidendum pertinacem mucum pulmonibus impactum. Præſcribi ſolet ad manipulum ſemis pro infuſi librâ unâ.

(8.) *Ceterach* officinarum, C. B. pin. Aſplenium, ſive Ceterach, J. B. (*Herbe dorée* ou *Ceterac*).

Inter herbas capillares, haud inferioris ordinis, etiam numeratur: virtute temperante & hepaticâ exſurgit; lieni tumido opitulatur; tuſſientibus, phthiſicis & hæmoptyſicis prodeſt; nec alio modo uſurpatur.

(9.) *Aloe* eſt ſuccus concretus plantæ cujuſdam cognominis; vel materia gummoſo-reſinoſa intensè amaricans; odoremque ingratum ſpirans. È foliis exprimitur, vel è plantâ circà radicem incisâ diſtillat hic ſuccus; qui dein ſole condenſatur. Triplex, uti nemo neſcit, proſtat in officinis, ſoccotrina nempè, ab inſulâ Arabiæ cognomine; hepatica, hepati concolor, & caballina rudior & fœtidior, quæ à veterinariis duntaxàt uſurpatur. Prima ſincera, vel cæteris defæcatior & præſtantior, plurimùm de-

prædicatur ad reſerandas hepatis & uteri obſtructiones : inter cathartica valenriora numeratur ; ſtomachi vires refocillat ; vermes fugat & putredini adverſatur. Summis, uno verbo, laudibus extollitur tanquàm præſentiſſimum remedium in morbis chronicis ab atoniâ vel infarctu vaſorum oriundis ; & efficaciſſimum emmenagogum, incaſsùm adhibitis cæteris præſidiis. Haud tamen innoxium cenſeri debet ; illud enim caveant mulieres gravidæ, tabidi, hæmorrhagiis obnoxii ; vel quorum viſcera æſtuant. Aloe, tùm ſoccotrina, tùm ejus ſuccedanea hepatica, quatenùs cathartica, à granis decem ad ſemi-drachmam, boli vel pilularum formâ exhibetur ; nec ultrà, uti nonnullis placet ; cùm exceſſus ſit ſuperfluus, vel pertimeſcendus. Potior pilularum officinalium purgantium pars vires mutuatur ab aloe, cujus efficacia ab aliorum purgantium conſortio intenditur. Ubi in alium ſcopum uſurpatur, datur ſimili formâ, ſed refractâ doſi ; nempè à grano uno vel altero, ad ſex vel octo ; cujus uſus diù protelatus pluris habetur in foro medico. Sed tutior cenſeri debet uſus aloes lotæ, vel depuratæ, de quâ infrà. Nec minores laudes meretur aloe extùs admota ; inter enim antiputrida exquiſitiora recenſetur, & fauſtè in ulcerum medelâ adhibetur. Cæterùm ingreditur epithemata cathartica & vermifuga infantibus dicata. *Vid.* Elixir proprietatis, pilulæ angelicæ, tinctura aloes, &c.

HEPATICA.

(10.) *Aquæ Borbonienſes Arcimbaldicæ (de Bourbon-l'Archambaut)* oppiduli in Galliæ Celticæ regione ; ſex leucis versùs Occaſum à Molinis, *(Moulins)*, diſtantis ; & viginti quinque leucis à Pariſiis ; intenſiſſimo calore diù ipſis inhærente inſigniuntur ; ſapore bituminoſæ videntur ; ſed ubi refrigerantur, levem quaſi aciditatem præ ſe ferunt : inter alvum laxantia numerantur ; obſtructiones, præſertim hepatis, reſerant ; diureſim movent ; nec vi ſtomachicâ & roborante deſtituuntur. Quapropter ictericis & calculoſis ſuccurrunt ; valent in læsâ nervorum actione ; vomitu & diarrhœam compeſcunt ; ſtomachumque à pravis ſuccis inibi nidulantibus liberant : propinantur à librâ unâ ad quatuor ; haud affatim hauriri debent ne vomitum accerſant. Latiſſimus eſt earum uſus externus ſub formâ balnei, irrigationis ab alto & luti ; atque inter efficaciora roborantia & reſolventia externa celebrantur : ideò conducunt in paralyſi ; ſive ab apoplexiâ ortum trahat ; ſive ſit doloris cujuſcumque colici ſoboles : tremori & membrorum debilitati medentur ; valent in rheumatiſmo : poſtremò egregiam opem ferunt ad delendas reliquias contuſionum & vulnerum, diſtorſionum, luxationum & fracturarum.

(11.) *Syrupus mercurialis*, vel de gentianâ, paratur cum ſuccis è mercuriali, bugloſſo, borragine, & radice ireos expreſſis ; in quibus accuratè mixtis infunditur per viginti quatuor horas radix gentianæ : colatura demùm ex arte, cum ſaccharo, coquitur. Pro depurante & hepatico eximio habetur ; ſtomachi vires redintegrat, licèt alvum paululùm laxet ; antihyſtericorum & menſes moventium claſſem ſubit ; ſæpiùſque aſthmaticis & arthriticis prodeſt : fauſtè demùm exhibetur iis quorum

alvus eſt adſtricta. Doſis à ſemi unciâ ad unciam unam & ſemis accedit.

HEPATICA. (12.) *Aloë lota* cæteris præſtantior, paucis innoteſcit. Solvitur ad hoc opus aloës ſoccotrinæ libra una in aquæ calidæ libris quinque, & ſucci citrei depurati librâ unâ. Hæc ſolutio in vaſe vitreo reponitur per unum aut alterum diem ut reſinoſa ſubſtantia cum fæcibus ſubſideat: tùm decantatur liquor & lento igne, evaporationi committitur, ad extracti conſiſtentiam. Aloë hâc depuratione parata ſecuriùs exhibetur tabidis, gravidis & ad hæmorrhagiam proclivibus. Præſcribitur tanquàm aperiens hepaticum, à grano uno ad quatuor: quatenùs verò catharticum, à granis octo ad quindecim. Hæc eſt aloë quam adhibebat STAHLIUS ad conficiendas ſuas pilulas celebratiſſimas.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

PULMONES, non ſecùs ac alia viſcera, variis & diverſæ indolis læſionibus tentari, nemini haud obvium: hinc patet cur medicamina pectori dicata, ſub triplici conſpectu ſe præbeant. Prima è demulcentium & anodynorum claſſibus depromenda, bechicorum nomen ſortiuntur: hæc excipiunt vulneraria, detergentia & adſtringentia: agmen verò claudunt ea medicamina quæ è reſolventium & incidentium ſerie petuntur. Vulgatiora ſanè quidem, & uſitatiora cenſeri debent demulcentia, de quibus in præſentiarum; quæ ſcilicèt in familiariſſimum uſum veniunt, tàm ad demulcendos dolores pectoris, quàm ad expectorationem promovendam. Haud tamen reticendum quòd de eorum efficaciâ nonnulli, inter proceres, dubitent: nec, ut verum fateamur, certò conſtat, nùm ptiſanæ, julapia, emulſiones, linctus, ſyrupi & id genus alia remedia, quibus plus æquo fortè ingurgitantur ægri, efficaciora ſint ipsâmet aquâ ſimpliciſſimâ, quæ vehiculi inſtar, ipſis baſim præbet. Sed miſſis hiſce diſputationibus, à noſtro inſtituto planè alienis; aſſerere minime dubitamus pectoralia demulcentia haud inutilem opem conferre in ſingulis morbis pectoris æſtu, tuſſi & dolore ſtipatis; dummodò tamen cautè & opportunè exhibeantur.

EMPORETICA.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

EMPORETICA.

RADICES glycyrrhizæ [1], althææ, nymphææ, tuſſilaginis, rapæ [2], napi [3], polypodii.

Folia borraginis, bugloſſi, cynogloſſi, pulmonariæ [4], braſſicæ [5], hiſpidulæ [6]. Adiantum [7]; & alii capilli veneris.

Flores malvæ, althææ, nymphææ, verbaſci, tuſſilaginis [8], papaveris rhœados [9], violæ, braſſicæ... Semina frigida majora, papaveris albi, paliuri, pſyllii [10]... Oryza, grutum, hordeum, avena [11].... Nuclei pinei [12]; amygdalæ dulces; nuces piſtaciæ [13]. Capita papaveris albi... Paſſulæ [14]; ſebeſtena [15]; pruna damaſcena [16]; caricæ, dactyli [17]; jujubæ [18]; ſiliqua dulcis [19]; malum renetium.... Gummi arabicum, tragacanthum [20], ammoniacum. Saccharum [21]... Mel [22]. Ova. Pulmones vitulini. Sperma ceti.... Lac aſininum, equinum, &c... Cancri fluviatiles. Ranæ. Teſtudo. Limaces.

OFFICINALIA.

AQUA liliorum [23], borraginis, bugloſſi, papaveris rhœados, tuſſilaginis, nymphææ, roſarum pallidarum.

Syrupus capillorum veneris [24], de althæâ [25], de tuſſilagine [26], de pede cati [27], papaveris rhœados, de papavere albo, violaceus [28]; de karabe.... Oleum amygdalarum dulcium, lini..., Mucilago [29]. Seminum cydoniorum, lini, pſyllii.... Succus liquiritiæ, albus & niger.... Saccharum cryſtallinum [30], hordeatum [31]; lactis [32].... Tabellæ bechicæ [33], de althæâ [34].... Conſerva florum violarum. Pilulæ de cynogloſſo.

Pectoralia demulcentia.

MAGISTRALIA.

HYDROMEL.

℞ Mellis *Narbonenſis* ab unciis duabus ad quatuor. Coque in aquæ libris quatuor ad perfectam deſpumationem. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Paſſular.* expurgatar. uncias duas. Coque in *decoct. hordei* libris tribus ad duas. Colat. adde *mell. Narbonenſ.* uncias duas. Coque ad deſpumationem.

℞ *Radicum napi* uncias duas. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum. Adde cuique hauſtui calido *mellis* prioris notæ drachmas duas.

PTISANA.

℞ *Folior. braſſicæ capitatæ rubræ* manip. duos. Coque in aquæ libris quatuor. Colaturæ adde *mellis* deſpumati uncias duas & ultrà.

℞ *Hordei* probè loti manip. unum. *Jujubarum* paria duodecim. *Paſſularum* exacinatarum ſemi-unciam. Coque in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *florum papaveris rhœados* manip. ſemis.

℞ *Radic. althææ* unciam unam. *Capillorum veneris* manip. unum. *Dactylorum* enucleatorum; vel *caricarum*, paria tria. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor.

℞ *Radic. napi* unciam unam & ſemis. *Capitum papaveris albi* drachmas duas. *Florum tuſſilaginis* & *hiſpidulæ* ana manip. unum. *Liquiritiæ* drachmas duas. Infunde in aq. ferventis libris ſex.

℞ *Rad. nymphææ* & *althææ* ana uncias duas. *Folior. tuſſilaginis* manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Sub finem adde *ceterac* manip. unum.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ borraginis* & *papaveris rhœados* ana uncias tres. *Syrupi de althæâ* unciam unam. Miſce.

℞ *Decocti hordei* uncias quatuor. *Aquæ roſarum* uncias duas. *Syrupi de tuſſilagine* unciam unam. Miſce. Fiat julepus.

HAUSTUS.

℞ *Vitellum ovi ſorbilis. Sacchari* drachmas duas. Dilue in aquæ ferventis unciis octo. Fiat lac, ut inquiunt, gallinaceum.

℞ *Florum malvæ* & *verbaſci* ana pugill. unum. Superaffunde aquæ ferventis uncias ſex. Colaturæ adde *ſyrupi de papavere rubro* unciam unam.

℞ *Florum malvæ & hiſpidulæ* ana ſemi-pugillum. Infunde leviter in aquæ ferventis unciis ſex. In colaturâ diſſolve *ſpermatis ceti* ſemi-drachmam, *Olei amygdalarum dulcium; ſyrupi violacei* ana ſemi-unciam. Fiat hauſtus.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

℞ *Aquæ vitæ conflagratæ* cochlearia duo. *Olei amygdalarum dulcium;* & *mellis Narbonenſis* ana unciam unam. Miſce. Capiat antè ſomnum.

EMULSIO.

℞ *Seminum frigidorum* majorum drachmas duas. *Amygdalas dulces* numero quatuor. Contunde in mortario ſenſim affundendo *aquæ papaveris rhœados* uncias ſex. Adde *ſyrupi de althæâ* & *de papavere albo* ana ſemi-unciam.

℞ *Amygdalarum dulcium* paria duo. *Seminum frigid. major. Seminis papaveris albi* ana drachmas duas. Contundantur, ut artis eſt, in *aquâ liliorum*, vel *decocti jujubarum* unciis ſex. In colaturâ diſſolve *ſyrupi de nymphæâ*, vel *de tuſſilagine*, unciam unam.

AMYGDALATUM.

℞ *Amygdalarum dulcium* excorticatarum uncias duas. Terantur in mortario ſenſim affundendo *decocti hordei* libram unam. Expreſſioni adde *ſacchari albi* unciam unam & ſemis. Fiat amygdalatum, vulgò *Orgeat.*

DECOCTUM.

℞ *Caricarum pinguium; dactylorum* enucleatorum ana paria duo. *Paſſularum* exacinatarum manip. ſemis. Coque in *lactis* ebutyrati q. ſ. ad libram unam. Cola pro duplici doſi.

LOOCH.

℞ *Olei amygdalarum dulcium; ſacchari hordeati* ana uncias tres. Miſce in mortario donec in liquorem lacteum faceſſant.

℞ *Olei amygdalar. dulcium* uncias quatuor. *Syrupi de althæâ* uncias duas. *Diacodii* à ſemi-unciâ ad unciam unam. *Sacchari cryſtallini* drachmas duas. Miſce accuratè.

℞ *Spermatis ceti* ad drachmam unam vel alteram. Subigatur in mortario cum ovi vitello; & adde *olei amygdalarum dulcium; ſyrupi violacei* ana unciam unam.

℞ *Vitellum ovi; olei lini* & *aquæ papaveris rhœados* ana uncias duas. *Syrupi de tuſſilagine* unciam unam. Miſce in mortario marmoreo; & adde *aquæ florum aurantiorum* drachmas duas.

℞ *Gummi tragacanthi* in pulverem redacti grana viginti. *Lactis amygdalati* uncias ſex. Miſce in mortario aliquandiù agitando. Poſteà dilue *ſyrupi de althæâ* & *olei amygdalarum dulcium* ana unciam unam. Fiat looch, ut inquiunt, album; cui addere licet *aquæ florum aurantiorum* drachmam unam aut alteram.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

℞ *Seminum pſyllii* ſemi-unciam. *Seminum cydoniorum* & *papaveris albi* ana drachmam unam; *aquæ roſarum* uncias quatuor. Infunde calidè ex arte ad mucaginem extrahendam. Cui adde *ſacchari penidiati* unciam unam. Fiat looch.

℞ *Paſſul. exacinat.* libram unam. *Jujubar.* ſemi-libram. Coque in aq. hordei q. ſ. Colat. adde *mel deſpum.* & *ſacch.* ana uncias duas. Coque lento igne ad mell. conſiſtentiam.

APOZEMA.

℞ *Hordei mundati* unciam unam. *Jujubarum* & *paſſularum* acinis purgatarum ana ſemi-unciam; *folior. borraginis* manip. unum. *Seminum papaveris albi* contuſorum in nodulo ſemi-unciam. Bulliant ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de althæâ* uncias duas.

℞ *Oryzæ lotæ* ſemi-unciam. Coque ad crepaturam in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *liquiritiæ* raſæ & contuſæ; *rad. ſiccarum althææ* ana drachmam unam. *Capillorum veneris*; *florum tuſſilaginis* ana pugillum unum. Colaturæ adde *ſyrupi papaveris rhœados* uncias duas.

℞ *Rad. althææ* & *nymphææ* ana unciam unam. *Seminum frigidorum majorum*, in nodulo, unciam unam. *Seminum lini* & *papaveris albi*, etiam in nodulo, ana ſemi-unciam. Coque in ſ. q. aquæ ad libras quatuor. Sub finem adde *florum verbaſci* manip. unum. Colaturæ adde *ſyrupi de althæâ* uncias duas.

℞ *Radic. raparum* in taleolas inciſarum ſemi-libram. *Foliorum cynogloſſi* manip. unum. *Paſſularum* exacinatarum unciam unam. Coque in *aquæ hordei* q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *florum papaveris rubri* manip. ſemis. In colaturâ diſſolve *ſacchari candidi* uncias duas.

JUSCULUM.

℞ *Pulmonis vitulini* libram unam. *Braſſicæ capitatæ rubræ* manip. unum. *Foliorum borraginis* manip. ſemis. *Capitum papaveris albi* drachmam unam. Coque, ut artis eſt, in aquæ q. ſ.

℞ *Pullum juniorem*, cujus venter repleatur *hordei mundati* manipulo uno, & *ſeminum papaveris albi* ſemi-unciâ. Bulliant in aquæ q. ſ. per duas horas. Dein adde *folior. pulmonariæ* & *capillorum veneris* ana ſemi-manipulum. *Florum verbaſci* pugillum unum.

℞ *Folior. borraginis* & *pimpinellæ* ana manip. unum. Fiat juſculum cum *carne*, *hepate* & *ſanguine teſtudinis* mediæ & dimidio *pulli*.

℞ *Limaces vinearum* priùs lotas numero duodecim. Contundantur cum teſtis, & nodulo includantur. Tantiſper bulliant in aquæ librâ unâ & ſemis; vel projiciantur in aquam ferventem & infundantur per nonnulla minuta. Dein, remoto nodulo, poſt congruam refrigerationem dividatur juſculum in binas partes, pro totidem doſibus manè & ſerò ſumendis. Capiat ſub phthiſi ante doſim matutinam *balſami judaïci* recentis guttam unam vel alteram ſub formâ pilulari.

BOLUS.

Pectoralia demulcentia.

℞ *Spermatis ceti* ſcrupulos duos. *Pilularum de cynogloſſo* granum unum vel alterum. *Sacchari* & *olei amygdalarum dulcium* q. ſ. ad bolum.

OPIATA.

℞ *Spermatis ceti* drachmam unam. *Ceræ citrinæ* drachmas duas. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. Liquentur ſimul, & frigefactis adde *conſervæ roſarum* unciam unam & ſemis. *Mellis* unciam unam. Accuratè miſce in mortario ad opiatam; cujus doſis ad drachmam unam vel alteram.

COMMENTARIA.

(1.) Glycyrrhiza ſiliquoſa, vel Germanica, C. B. pin. Liquiritia Brunf. (*Regliſſe*).

Neminem fermè fugit radicem hujuſce plantæ, gratâ dulcedine ſpectabilem, in familiariſſimum uſum venire ad compeſcendum pectoris æſtum & ſputa promovenda: alvum præterea laxat & diureſim ciet: cur fit ut omnes ferè ptiſanas contuſa ingrediatur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, pro ſingulis aquæ libris. Infuſioni duntaxàt traditur; cùm ebullitione ingratum ſaporem contrahat. Ex illâ, diverſo proceſſu, paratur ſuccus, vel *extractum ſiccum*; nunc album, nunc nigrum; quod ubique proſtat ſub trochiſcorum, vel magdaleonum formâ, iiſdemque gaudet viribus. Ad ſuccum album diſſolvuntur gummi Senegal & ſaccharum infuſione glycyrrhizæ, quæ dein evaporationi committitur ad extracti conſiſtentiam; quæ maſſa dein probè conteritur & ſubigitur cum ſpumâ albuminis ovorum; donec colorem niveum nanciſcatur. Ad nigrum verò ſolvuntur extractum liquiritiæ, gummi arabicum & ſaccharum in aquâ: quæ diſſolutio vaporat ad extracti conſiſtentiam: huic maſſæ nonnulli addunt pulverem radicum enulæ campanæ & ireos florentinæ, cum quovis oleo eſſentiali.

(2.) *Rapa* ſativa rotunda (& oblonga), C. B. pin. (*Rave*).

Utraque præter vulgatiſſimum uſum culinarem, adhibetur ad demulcendam pectoris acredinem, ad leniendam raucedinem, & ſedandam tuſſim. Datur in decocto ad unciam unam pro quâque librâ aquæ. Ex hâc radice coctâ paratur cataplaſma reſolvens, teſtibus tumentibus fauſtè admovendum.

(3.) *Napus* ſativa, C. B. pin. (*Navet*).

Iiſdem viribus inſtruitur, imò & crebriùs uſurpatur ſub formâ ptiſanæ, apozematis aut juſculi, ad eamdem doſim. Extùs etiam admota pro reſolvente & digeſtivâ habetur: ſed rariùs ſub hâc ratione in uſum trahitur.

Pectoralia demulcentia.

(4.) *Pulmonaria* Italorum ad bugloſſum accedens, J. B (*Pulmonaire*). Inter demulcentia pectoralia numeratur; & conducit in omnibus pulmonum affectibus æſtu & dolore ſtipatis. Non ſecùs ac borrago & bugloſſum; quibus proximè accedit, & vulgò conſociatur; ſæpiſſimè recipitur in juſculis pulli & pulmonis vitulini, quæ in hunc ſcopum præſcribuntur. Per tranſennam notare expedit, alias eſſe ſtirpes cognomines, multùm ab invicem diſcrepantes, nempè pulmonariam arboream, ad lichenum genus referendam, de quâ infrà; & pulmonariam gallicam, Hieracii ſpeciem, quæ in uſum medicum minime venit.

(5.) *Braſſica* capitata rubra, C. B. pin. (*Chou rouge pommé*).

Licèt omnes hujuſce generis ſpecies in hortis olitoriis excultæ, iiſdem fermè viribus polleant; hæc tamen crebriùs à Medicis uſurpatur. In demulcentium pectoralium ordine haud infimum locum ſibi vindicat; atque pro laxante per alvum habetur. Ideò tuſſi obviam it; expectorationem juvat; valet præſertim ubi alvus eſt adſtricta: nec ipſi denegantur vires vulnerariæ & detergentes, reſpectu pulmonum. Tradit Boerhaavius ſe curaſſe virum quemdam qui putrido pulmone laborabat, ſolo decocto braſſicæ rubræ cum pauculo ſale & ſucco aurantiorum. Folia ad manip. unum pro librâ decocti, vel juſculo, præſcribuntur. Succum verò propinare licet ad unciam unam vel alteram.

(6.) *Hiſpidula*, ſive Pes cati officinarum. Elichryſum montanum flore rotundiore. Inſt. r. herbar. Gnafalium montanum flore rotundiore ſubpurpureo, C. B. pin. (*Pied de chat*).

Flores hujuſce plantæ tomentoſæ pectoralium ordini adſcribuntur, & tuſſientibus auxilio eſſe dicuntur. Inſtar the adhibentur; vel ex illis paratur ſyrupus de quo infrà.

(7.) *Adiantum* foliis coriandri, C. B. pin. (*Capillaire de Montpellier*).

Adiantum canadenſe, vel fruticoſum braſilianum, C. B. pin. (*Capillaire de Canada*).

Binæ ſpecies uſitatiſſimæ, tàm in acutis, quàm in chronicis, pectoralium gradum conſequuntur; atque in temperantium ordine recipiuntur; nec ipſis denegatur vis aperiens, quâ hypochondriacis ſuccurrere dicuntur. Num egregiæ illæ proprietates ab encomiatibus plus æquò celebratæ, potiùs aquæ in quâ infunduntur, quàm ipſis plantis ſint referendæ, ſolertioribus examinandum relinquimus. Dantur inſtar the; ſed paulò ampliori doſi; vel ad manip. unum leviter coquuntur in aquæ libris quatuor, pro ptiſanâ. Notare juvat alias eſſe adianti ſpecies; album ſcilicèt & nigrum, de quibus alibi ſub nomine filiculæ.

(8.) *Tuſſilago* vulgaris, C. B. pin. (*Tuſſilage* ou *Pas d'âne*).

Flores fugaciſſimi & radices hujuſce plantæ, inter pectoralia demulcentia haud infimum gradum obtinent: flores præcipuè laudantur in tuſſi & inſultibus catarrhalibus; ubi ſcilicèt ſputa ægrè excernuntur: nec minùs proſunt aſthmaticis. Præſcribi ſolent in infuſo aut decocto ad pugillum unum vel alterum, pro ſingulis aquæ libris. Ex iiſdem paratur ſyrupus de

quo infrà. Proſtat etiam in officinis aqua diſtillata; ſed minoris, ni fallor, efficaciæ. Quoad radicem; datur recens in decocto à ſemi-unciâ, ad unciam unam, pro quâque librâ aquæ. Nonnulli phthiſici & aſthmatici fumum foliorum, florumve, nicotianæ inſtar fiſtulâ congruâ ore excipiunt; haud fortè infelici ſucceſſu.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

(9.) *Papaver erraticum* majus, rhœas Dioſcorid. & Theophraſt. C. B. pin. (*Coquelicot*).

Flores jure inter pectoralia demulcentia recenſentur; diaphoreticorum claſſem ſubeunt; nec virtute anodynâ deſtituuntur. Ideò haud exiguas laudes merentur in morbis pectoris, inſultibus præſertim catarrhalibus; ſtranguriâ, rheumatiſmo, aliiſque morbis dolore & vigiliis ſtipatis. In infuſo, ptiſanæ formâ, exhibentur ad pugill. unum vel alterum, pro quâque aquæ librâ; vel inſtar the. Aqua diſtillata haud prædictis viribus defraudari videtur; ſed pluris habetur ſyrupus, de quo infrà.

(10.) *Pſyllium* majus erectum, C. B. pin. (*Herbe aux puces*).

Semina puliciformia, uberiori mucagine ſcatentia, non ſecùs ac ſemina lini & cydoniorum, in uſum medicum veniunt, tanquàm demulcentia, pectori & renibus apprimè congrua; & ad drachm. unam vel alteram, emulſiones ingrediuntur; vel adhibentur in decocto à drachmis duabus ad ſemi-unciam, pro ſingulis aquæ libris. Si ad libram unam macerentur per viginti quatuor horas in aquæ calidæ libris ſex; emergit liquor lentus & albuminis inſtar viſcidus, qui mucago audit; & inſtar looch cochleatim uſurpatur adversùs raucedinem, ardorem & ſiccitatem faucium; tuſſim, ſputum cruentum, dyſenteriam, ſtranguriam, gonorrhœam, &c. Hæc mucilago ab unciis duabus ad tres recipitur in enematibus demulcentibus dyſenteriæ & teneſmo dicatis. Extùs prætereà fauſtè admovetur ad fiſſuras labiorum, linguæ & mammarum; ad intertriginem, ophthalmiam ſiccam, ambuſtionem, &c.

(11.) *Avena* vulgaris alba, C. B. pin. (*Avoine blanche*).
Avena nigra, C. B. pin. (*Avoine noire*).

Utraque peculiari mucagine referta indiſcriminatim uſurpatur, atque in demulcentium pectoralium ordine admittitur; nec inferiorem locum conſequitur in agmine temperantium. Ideò tuſſim compeſcit; faucium aſperitati & raucedini medetur; phthiſicis & tabidis juvamen præſtat: inſuper commendatur ad fugandum puerperarum lac. Præſcribitur in decocto à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis pro juſculo, vel ptiſanæ libris duabus. Ex avenâ, non ſecùs ac ex hordeo & oryzâ, paratur cremor: ſed faciliùs conficitur à gruto, *le gruau*, quod nil aliud eſt quàm avena decorticata & craſſiuſculè trita. E gruti unciis duabus, ovi vitello & ſaccharo cum aquæ q. ſ. paratur, ſolitâ coctione, potio pro duabus doſibus; quæ egregiam opem fert tabidis. Inſuper farina avenæ ingreditur cataplaſmata reſolventia & maturantia.

(12.) *Nuclei pinei* (*Pignons doux*); vel eorum nuculæ è teſtâ ligneâ liberæ, in demulcentium pectoralium tractu recipiuntur, & ad gradum

Pectoralia demulcentia.

analepticorum promoventur : conducunt in tuſſi & æſtu pulmonum ; valent in ſtranguriâ ; ac demùm lac nutricum augere videntur. Dantur in emulſione à drachmis duabus ad tres. Cavendum à rancidis, quæ ſummam perniciem inferre queunt.

(13.) *Piſtaciæ nuces* (*les Piſtaches*), fructus cujuſdam terebinthi notiſſimæ, potiùs ad alimenta quàm ad medicamina pertinent. Nonnunquàm tamen tanquàm pectoralia demulcentia adhibentur, & quamdam opem præſtant in phthiſi, ſtranguriâ, &c. nec ipſis denegatur locus in analepticorum ſerie ; cur fit ut tabidis & macilentis conferant. A numero ſex ad duodecim pro quâque librâ emulſionis præſcribi ſolent.

(14.) *Paſſulæ* vel uvæ paſſæ, præſertim damaſcenæ, etiam inter obſonia numerandæ, haud deſtituuntur viribus medicis, demulcentibus ſcilicèt & laxantibus ; imò & in hunc ſcopum ſæpiſſimè uſurpantur ad unciam unam aut alteram pro ptiſanæ libris duabus.

(15.) *Sebeſtena* (*les Sebeſtes*), ſunt fructus, cujuſdam arboris orientalis & cognominis ; rugoſi & nigricantes ; ac oſſiculum recondentes ; ſapore & facie parùm à parvis prunis ſiccis diſcrepantes. Inter pectoralia & demulcentia recenſentur ; atque laudantur in morbis pectoris & veſicæ, ardore ſtipatis ; præter vim alvum laxandi quam ipſis, non ſecùs ac prunis, ineſſe nemo neſcit. Dantur à numero quatuor ad octo, pro quâque decocti librâ.

(16.) *Pruna damaſcena* (*les Pruneaux*), demulcentium & laxantium claſſem jure ingrediuntur. Coquuntur ad ſemi-libram vel manip. unum in aquæ libris duabus ; & hoc decoctum cyathim hauſtum oppidò confert iis quorum alvus eſt adſtricta. Comeduntur in eumdem finem pruna cruda vel cocta ; nec minori efficaciâ gaudent.

(17.) *Dactyli* (*les Dattes*), fructus procerioris palmæ, melleo ſapore gratiſſimi, vi demulcente reſpectu pectoris inſtruuntur ; atque opportunè ad compeſcendum bronchiorum ardorem & promovendam expectorationem uſurpantur. Numero ſex, à nucleis mundati, juſculum ingrediuntur ; vel ad decem vel duodecim pro decocti libris duabus recipiuntur.

(18.) *Jujubæ* (*les Jujubes*), fructus formâ olivari, arboris ſpinoſæ quam *ziziphum* nuncupant, primatum quaſi ducunt inter demulcentia, pectori & renibus dicata. Ad duodecim præſcribuntur pro juſculo, in librâ unâ apozematis vel ptiſanæ libris duabus.

(19.) *Siliqua dulcis* (*Carrouge*), eſt fructus edulis arboris cognominis, in Italiâ, regionibuſque orientalibus vulgatiſſimæ. Inter exquiſitiora pectoralia demulcentia referri debet hæc ſiliqua ; alvum prætereà ſolvit, & ſub hoc conſpectu ad caſſiam proximè accedit. Hinc tuſſientibus & aſthmaticis prodeſt ; egregiam opem confert in ſodâ ; non ſecùs ac in ardore renum & veſicæ. Contuſa præſcribitur à ſemi-unciâ ad unciam unam, pro quâque librâ decocti ; vel extrahitur pulpa, veluti è fiſtulâ alexandrinâ, eâdemque ratione adhibetur. E ſiliquis paratur ſyrupus in Italiâ uſitatiſſimus,

uſitatiſſimus, ſed vix à noſtratibus notus, licèt fortè alios cognatos ſuperet.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

(20.) *Tragacanthum* gummi (*Gomme Adragant*), leve, tenax & in aquâ ſolubile, quæ hoc imprægnata mucilaginoſa evadit; facie utplurimùm vermiculari; & pellucidum extrahitur è frutice ſpinoſo orientali & cognomine; in Gallo-provinciâ etiam occurrente, ſed nullum gummi fundente. Hæc ſubſtantia gummoſa pro demulcente eximio habetur: hinc commendatur in raucedine, tuſſi & æſtu pectoris; in mictu cruento & ſtranguriâ. Diſſolvitur à granis quatuor ad viginti in linctu, lacte, aliove hauſtu congruo. E tragacanthi ſolutione in aquâ tepidâ, eâ proportione, ut ſit drachma una gummi, pro aquæ unciis quatuor, emergit liquor viſcidus qui mucilaginis nomine ſalutatur; & ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam propinatur: tanquàm demulcens & anodyna, extùs etiam admovetur pro fiſſuris papillarum, manuum, &c. ingrediturque collyria lenientia, enemata antidyſenterica, &c.

(21.) *Saccharum* eſt ſubſtantia ſui generis, quæ oleorum inſtar flammam concipit; & non ſecùs ac ſalia, in cryſtallos faceſſit; ex acidorum tamen, vel alkalinorum albo expungenda; nec inter ſalia neutra numeranda, cùm ad fermentationem ſit apta: adeò ut, inquit BOERHAAVIUS, nullum in rerum naturâ occurrat corpus ſaccharo æquiparandum. Quidquid ſit de ejus indole; ſcitur hoc concretum è quâdam arundine, in utrâque Indiâ creſcente, & familiariſſima in inſulis, ut inquiunt, Antillis, haud aliâ fermè arte, ac ſal eſſentiale, educi; nec latet ejus uſus familiariſſimus in variis potionibus, ſyrupis, tabellis, conſervis, &c. De viribus ſacchari demulcentibus, dummodò moderatè exhibeatur, nullum eſt dubium, tàm in ſecundâ quàm in adverſâ valetudine. Ideò valet in raucedine, tuſſi & pulmonum aſperitate; alvumque lubricam ſervat. A drachmis duabus ad ſemi-unciam cuivis hauſtui additur. Nonnullis tamen nocet tabidis, cholericis & hyſtericis: nec magis congruit infantibus. Scire expedit quòd ſaccharum à diuturniori morâ in ſtomacho aceſcat; hinc emergunt moleſtiæ, copioſiori aquæ potu compeſcendæ; minime ſanè mirum, cùm ſuccus èx arundine ſacchariferâ expreſſus, non coctus in acetum fortiſſimum poſt unum, alterumve diem, faceſſat. Nec deſunt qui cachexiam, ſcorbutum, & tabem in nonnullis regionibus graſſari ab immodico uſu ſacchari ſuſpicantur. Scitur præterea dentes ab uſu familiariori ſaccharatorum quamdam nigredinem contrahere. Quod uſum externum ſpectat; enemata demulcentia & detergentia ingreditur: nemo non novit ſuffitum è ſaccharo paratum, ad coryzam, alioſque morbos catarrhales. Prolatis addere liceat quòd è miſcellâ unciæ unius ſacchari cum ſcrupulo uno olei cinnamomi, caryophyllorum, aliove eſſentiali, emergat *elæoſaccharum*; materia nempè quæ, docente laudato Authore, in aquâ ſolvitur; in cryſtallos ſalinas faceſſit; & flammam concipit. De ſaccharis officinalibus, ſuo loco.

(22.) *Mel* nil aliud eſſe niſi extractum florum ab apibus collectum,

PECTORALIA DEMULCENTIA.

neminem fermè latet : hinc intelligitur cur ratione loci, diverſæ ſit indolis. Cæteris præſtare videtur mel album vel Narbonenſe ; quod pro demulcente & detergente eximio à ſanioribus practicis habetur : ideò conducit in morbis pectoris, renum & veſicæ, ardore vel exulceratione ſtipatis. Vulgò miſcetur cum ſucco borraginis, vel ſpermate ceti, ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam : ſed deſpumatum uſurpari debet ; priùs ſcilicèt coctum cum paucâ aquâ ; eâ proportione ut ſit aquæ ſemi-librâ pro mellis quatuor libris ; ut debitè deſpumetur, & dein percoletur. Ubi doſis ad uncias duas, vel tres aſſurgit, alvum ſolvit. Si coquatur ab unciis quatuor, ad libram ſemis in aquæ libris ſex, emergit poſt debitam deſpumationem potus, qui aquæ mulſæ, vel *hydromellis* nomine ſalutatur. Summè tamen diſcrepat prædictum *hydromel* extemporaneum, à vinoſo quod ſolitâ fermentatione paratum, ad vinum Hiſpanicum vel Malvaticum, ſapore & viribus accedit ; nec minùs inebriat. Expeditiùs paratur aqua mulſa, diſſolvendo mellis unciam unam aut alteram in aquæ tepidæ libris duabus. Mel flavum vel commune pro uſu externo ſervatum, crebrò ſub vario conſpectu uſurpatur ; tanquàm detergens gargariſmata ingreditur ; non ſecùs ac enemata detergentia & laxantia : pro reſolvente & maturante cataplaſmatibus miſcetur ; è melle demùm cocto parantur ſuppoſitoria, ad ſollicitandam alvum. Nemo neſcit mel baſim præbere variarum confectionum, aliarumque præparationum officinalium : ſilentio demùm premere minime debemus haud innoxium eſſe iis quorum viſcera æſtuant De oxymelle, melle roſato, &c. ſuo loco.

(23.) *Aqua liliorum* quæ è floribus lilii albi vulgaris ſolitâ diſtillatione educitur ; inter pectoralia, demulcentia & anodyna celebratur : nec exiguam laudem meretur in phlogoſi oris, pectoris & renum. Propinatur ab unciis duabus ad quatuor. E radicibus ejuſdem plantæ conficiuntur cataplaſmata emollientia, reſolventia & maturantia. De oleo liliorum ſuo loco.

(24.) *Syrupus capillorum veneris* forti decoctione adianti canadenſis paratus, familiariſſimi eſt uſûs ad ſedandam tuſſim, leniendum pectoris æſtum, & ſputa promovenda. A ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis additur julapiis, emulſionibus, ptiſanæ, aquæ aliive hauſtui. Nonnunquàm miſcetur cum oleo amygdalarum dulcium ; & ſic exhibetur ſub inflammatione pectoris ; ad præcavenda puerperarum & infantum tormina, &c.

(25.) *Syrupus de althæâ* conficitur juxtà ſolitum proceſſum è levi decocto radicum recentium althææ ; quorum proprietates retinet. Ideò pectoris, renum & veſicæ morbis dicatur, ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam & ſemis.

(26.) *Syrupus de tuſſilagine* è duplici florum recentium infuſione & debitâ cum ſaccharo coctione emergit. Hujuſce ſtirpis proprietatibus gaudet : idcircò ad tuſſim ſedandam, & expectorationem juvandam, eâdem doſi præſcribitur.

(27.) *Syrupus de pede cati*, præter hiſpidulam, recipit dactylos, caricas, jujubas, ſebeſtena, ceterac, pulmonariam, &c. pro demulcente habetur; atque tanquàm pectorale eximium deprædicatur ad eamdem doſim.

PECTORALIA DEMULCENTIA.

(28.) *Syrupus violaceus* è florum violæ recentium duplici infuſione, cum ſaccharo ex arte coctâ, paratur. Præter virtutem jam totiès decantatam, vi refrigerante gaudet: quapropter non modò in morbis pectoris ab æſtu oriundis laudatur; ſed etiam in febribus ardentibus & biliofis, intenſiori ſiti ſtipatis, conducit: inſuper alvum ſolvit in infantibus. Doſis ad unciam unam.

(29.) *Mucilago* audit illud liquidum tenax & viſcidum quod paratur ſolutione gummi tragacanthi, arabici, &c. vel extrahitur è ſeminibus cydoniorum, lini, fenugræci; è radicibus althææ, &c. cui ineſt vis demulcens; quæ pectori & renibus dicatur; uti pluriès ſuprà innui.

(30.) *Saccharum cryſtallinum* (*Sucre candi*), ſic dicitur ob cryſtallos, in quas poſt ſolitam ſolutionem abit. Iiſdem viribus inſtruitur ac ſaccharum commune: pluris tamen habetur non ſolùm ratione elegantiæ & pelluciditatis; ſed etiam ob calcem primæ elaborationis, quâ hâc præparatione orbari creditur.

(31.) *Saccharum hordeatum*, vel penidiatum (*Sucre d'orge*), illud audit quod ſolutum in decocto hordei, coquitur demùm ad conſiſtentiam ductilem electuarii ſolidi, quo formantur bacilli, ſuccini inſtar translucidi. Præſtantius cenſetur adversùs tuſſim, raucedinem, & ardorem pectoris. Fruſta in ore volvuntur, donec ſenſim ſolvantur.

(32.) *Saccharum lactis* extrahitur, inſtar ſalium, cryſtalliſatione è lacte, ritè ebutyrato; vel ex ipſius ſero. Serum ſcilicèt, ad hoc opus, probè per chartam bibulam trajectum in vaſe figulino vitreato, lento igne evaporationi committitur, donec ſexta tantummodò pars remaneat, quæ ad cryſtalliſationem reponitur. Collectæ cryſtalli aquâ frigidâ abluuntur, & in loco tepido inter chartas ſiccantur, atque loco ſicco & temperato, in vitro aſſervantur; haud tamen diutiùs, ne rancidæ evadant: tanquàm nulli ſecundum decantatur ſaccharum lactis adversùs phthiſim & arthritidem ab ſcrupulo uno ad drachmam unam in infuſo the, ptiſanâ, aliove hauſtu congruo: vel præſcribitur à ſemi-unciâ ad unciam unam, in aquæ libris duabus pro potu ordinario. Nùm nænias nobis venditent, qui præclaram hujuſce ſalis energiam celebrant? oculatioribus examinandum relinquimus.

(33.) *Tabellæ Bechicæ*, quibus diacodium ad conſiſtentiam electuarii ſolidi coctum baſim præbet, excipiunt pulveres radicis althææ, liquiritiæ, ireos florentinæ, & tragacanthi gummi. Ob vim demulcentem & anodynam crebrò uſurpantur non ſolùm adversùs tuſſim; ſed etiam ad æſtum & dolorem pectoris compeſcendos, nec infelici ſucceſſu.

(34.) *Tabellæ de althæâ* ſine igne è ſimplici miſcellâ pulveris radicum althææ & ſacchari; mucilagine gummi tragacanthi exceptorum conficiun-

Pectoralia demulcentia.

tur ad uſum. Aliæ parantur cum igne molliores & ductiles, (quæ noſtratibus *pâte de guimauve* audiunt); addendo ſcilicèt forti decoctioni radicum althææ, gummi arabicum & ſaccharum. Colatura evaporationi committitur ſubindè inſpergendo albumina ovorum in ſpumam conquaſſata, cum aquâ florum aurantiorum. Hæc paſta lento igne, ſub perpetuâ agitatione inſpiſſetur, uſque dùm manibus non adhæreat; ad formam tabellarum, aliamve quamlibet apta. De viribus alterutrarum tabellarum nil addimus.

PECTORALIA VULNERARIA ET ADSTRINGENTIA.

Parum diſcrepant medicamina, quæ hanc claſſem ſubeunt à vulnerariis, detergentibus & adſtringentibus, de quibus jam ſuprà actum fuit. Haud tamen ſupervacaneum fore judicavimus, ea ſeorſim colligere, & exhibere, quæ juxtà ſaniorum clinicorum mentem, pulmonum vulneribus tàm recentibus, quàm chronicis præſertim adſcribuntur, & potiori ægrorum parti optimè cedunt. Haud tamen innocua cenſeri debent, ni opportunè adhibeantur; cùm nonnunquàm accidat, ut ab horumce medicaminum præpoſtero, vel immodico uſu fatum acceleretur. Cautè igitur cum hiſce præſidiis mercari expedit; licèt primâ morbi facie congruere videantur. Neminem enim expertum fugit varios hæmoptyſicos & phthiſicos, pro conclamatis habitos, à ſolâ curâ prophylacticâ, mitioribus ſcilicèt, & demulcentibus remediis; vel ſolo congruo regimine, miſſis ſcilicèt quibuſcumque vulnerariis & detergentibus incolumes præter ſpem evaſiſſe. Quod ſedulò animadvertere debent qui ægrorum ſaluti conſulunt.

EMPORETICA.

RADICES ſymphyti, fragariæ, urticæ.

Folia hederæ terreſtris (1), hyſſopi, alchimillæ, bugulæ, eryſimi, ſaniculæ, urticæ, anagallidis (2), pimpinellæ, veronicæ, trifolii hepatici. Ceterac. Pulmonaria arborea (3), herbæ vulnerariæ.... Summitates hyperici.... Catechu. Gummi ammoniacum.... Terebinthina chia. Balſamum Copahu. Bdellium. Benzoinum. Lac.... Mel Narbonenſe.

OFFICINALIA.

AQUA picea. Syrupus de ſymphyto (4), de eryſimo.... Balſamum Lucatelli (5).... Pilulæ balſamicæ Morton.... Tabellæ de ſulphure, de terrâ japonicâ.... Oleum ſuccini.... Balſamum ſulphuris terebinthinatum (6); aniſatum (7).... Flores ſulphuris (8); magiſterium ſulphuris (9).

MAGISTRALIA.

PTISANA ET HYDROMEL.

℞ MELLIS *Narbonenſis* uncias tres. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras quatuor, & deſpuma. Adde ſub finem *foliorum hederæ terreſtris* manip. unum. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Paſſularum exacinatarum* uncias quatuor. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *mellis Narbonenſis* uncias quatuor. Coque ad deſpumationem. Sub finem adde *ſummitatum hyperici* ſemi-manipulum. Cola pro uſu.

℞ *Radicis conſolidæ majoris* unciam unam. *Foliorum hederæ terreſtris* manip. unum. *Paſſularum exacinatarum* manipulum ſemis. *Mellis* uncias duas. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor, & deſpuma.

℞ *Folior. hederæ terreſtris; capillorum veneris* ana manip. unum. Bulliant per horæ quadrantem in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *ſummitatum hyperici* manip. ſemis. *Liquiritiæ* drachmas duas. Cola pro uſu.

Pectoralia vulneraria.

℞ *Radicis ſymphyti* uncias duas. *Radic. althææ* unciam unam. *Folior. bugulæ* & *pervincæ* ana manip. ſemis, bulliant in *decocti hordei* q. ſ. ad libras ſex. Pro hæmoptyſi.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ plantaginis; roſarum rubrarum* ana uncias tres. *Lapidis hæmatitis; ſanguinis draconis* ana grana duodecim. *Sacchari cryſtallini* drachmas tres. Miſce.

LOOCH.

℞ *Terræ Japonicæ* drachmas duas; *albuminis ovi conquaſſati* drachmas ſex; *ſyrupi de ſymphyto* q. ſ. Miſce. Ad hæmoptoen.

APOZEMA.

℞ *Radicis urticæ* unciam unam. *Folior. pervincæ* & *tuſſilaginis* ana manip. unum. *Paſſularum exacinatarum* manipulum ſemis. *Capitum papaveris albi* drachmas duas. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi papaveris rubri* uncias duas.

℞ *Radic. ſymphyti* uncias duas. *Foliorum urticæ* manip. unum. *Catechu* drachmas duas. *Roſarum rubrarum* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ dilue *ſyrupi de ſymphyto* uncias tres. Addere licet, ſi urgeat hæmoptyſis, *aluminis* ſemi-drachmam & ultrà.

℞ *Radicum tormentillæ* unciam unam. *Foliorum millefolii* & *pimpinellæ* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. In colaturâ diſſolve *ſyrupi de roſis ſiccis* uncias duas. Fiat apozema ad hæmoptyſim.

JUSCULUM.

℞ *Pulmonis vitulini* in fruſta diſſecti & probè loti libram unam & ſemis. *Foliorum hederæ terreſtris; pervincæ;* & *braſſicæ capitatæ rubræ* ana manip. ſemis. *Summit. hyperici* pugill. unum. Coque in aquæ q. ſ. pro duabus doſibus. Adde cuique *ſacchari cryſtallini* drachmam unam.

℞ *Carnem teſtudinis*, cum corde, hepate & ſanguine. *Cancros fluviatiles* numero quatuor. *Sebeſtena* numero duodecim. *Folior. veronicæ* & *hederæ terreſtris* ana manip. unum. Coque, ut artis eſt, in aquæ q. ſ. ad juſculum.

℞ *Pullum juniorem* & *carnem teſtudinis. Cancros fluviatiles* numero quatuor. *Folior. hederæ terreſtris* & *urticæ* ana manipulum unum. Cum aq. q. ſ. Fiat juſculum.

℞ *Pullum denudatum & exenteratum* coque in aquæ q. ſ. per duas horas. Dein adde *radicum ſymphyti* & *tuſſilaginis* ana unciam unam; & ſub finem *foliorum borraginis* & *pimpinellæ* ana manip. ſemis. Fiat juſcu-

lum ſenſim affundendum in *ſeminum frigidorum majorum* drachmis tribus. Contunde, cola & exprime.

PECTORALIA VULNERARIA.

PULVIS.

℞ *Myrrhæ electæ* drachmas duas. *Spermatis ceti* drachmam unam. Miſce. Fiat pulvis pro duodecim doſibus. Ad ulcus pulmonum.

BOLUS.

℞ *Conſervæ roſarum rubrarum* drachmam unam. *Balſami Lucatelli* ſemi-drachmam. *Balſami peruviani* guttas tres. Miſce. Fiat bolus.

COMMENTARIA.

(1.) HEDERA TERRESTRIS, Matth. Calamintha humilior folio rotundiore, Inſtit. rei herb. (*Lierre terreſtre*).

Folia hujuſce plantæ plus æquo fortè celebratæ, quibus ineſt ſapor acris, cum quâdam amaritie; inter pectoralia vulneraria numerantur; atque commendantur non ſolùm in phthiſi & hæmoptyſi; ſed etiam in mictu cruento & dyſenteriâ; aliiſque exulcerationibus internis. Obſtructiones præterea reſerant; & ideò proficua cenſentur aſthmaticis, cachecticis & ſcorbuticis: pro reſolventibus demùm habentur; & hinc proponuntur poſt caſum ab alto, aliaſve contuſiones: cæteras verò dotes quæ huicce ſtirpi tribuuntur ſilentio prætermittimus. Præſcribi queunt folia in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam: ſed familiariùs in decocto exhibentur ad manipulum unum pro quâque librâ: vel propinatur ſuccus ab unciis duabus ad quatuor. Quoad uſum externum; ingrediuntur prædicta folia, enemata antidyſenterica: vel ſub formâ fotûs & cataplaſmatis admoventur, tanquàm reſolventia & detergentia: ſed, ut verum fatear, huicce topico parùm fidendum.

(2.) *Anagallis* phœniceo, (vel cæruleo) flore, C. B. pin. (*Mouron mâle & femelle*).

Utraque ſpecies in ſerie vulnerariorum detergentium recipitur: ſed rarioris eſt uſûs. A nonnullis tamen ſummis laudibus extollitur, adverſùs pulmonum ulcus: ipſi quoque tribuitur vis cephalica & ſedans; cujus ratione commendatur in convulſionibus, phrenitide & maniâ. Virens præſcribitur in decocto vel infuſo ad manipulum unum pro quâque librâ: vel ſuccus propinatur ab unciis duabus ad tres. Utroque modo lacti opportunè ſociatur.

(3.) *Pulmonaria arborea* officinarum, Lichen arboreus, ſive Pulmonaria, J. B. pin. (*Pulmonaire de chêne*).

PECTORALIA VULNERARIA.

Hæc plantula annoſis quercuum, aliarumque arborum ſylveſtrium caudicibus innaſcens, ſapore amaro, ſubadſtringente prædita, inter vulneraria adſtringentia interna & externa recenſetur: ſed præcipuè pulmonibus, undè nomen traxit, dicatur. Vix tamen à paucis in uſum vocatur; ſed à pleriſque poſthabetur, nec fortè immeritò. A drachmis duabus ad ſemi-unciam coquitur in aquæ libris duabus: vel in ſubſtantiâ exhibetur ad ſemi-drachmam.

(4.) *Syrupus de ſymphyto* paratur, juxtà notiſſimam artem è decocto radicum recentium hujuſce plantæ; quarum vires retinet. Ideò jure pectoralium adſtringentium claſſem ſubit; atque laudatur ſub ſputo cruento, aliiſve ſanguinis profluviis, tùm renalibus, tùm inteſtinalibus ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam & ſemis.

(5.) *Balſamum* LUCATELLI è cerâ citrinâ & oleo olivarum, coctis in vino hiſpanico, poſt cujus conſumptionem additur terebinthina & ſantalum rubrum, conficitur. Hoc remedium feliciſſimâ MARQUETI praxi comprobatum, vulnerariorum detergentium ordini adſcribitur & pectori præſertim dicatur. Egregiè ſe gerit in phthiſi, ſi opportunè & præmiſſis præmittendis, exhibeatur. Nec minorem opem fert, in aliorum viſcerum eroſionibus. Datur ſub formâ boli ad ſcrupulum unum, vel alterum, & in juſculo à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam, & ultrà. Juxtà nonnullos illud præſcribere licet à drachmis duabus ad unciam ſemis; nùm tutò? viderint ſolertiores. Extrinſecùs etiam adhiberi poteſt tanquàm vulnerarium haud infimi ordinis; ſed rarò in hunc uſum vocatur.

(6.) *Balſamum ſulphuris terebinthinatum* nil aliud eſt quàm ſolutio florum hujuſce concreti, in oleo terebinthinæ. Inter varias ſulphuris præparationes, nulla ſanè occurrit, quæ majus juvamen præſtet in diuturnioribus pectoris morbis. Ideò ceu detergens eximium commendatur in ulcere pulmonum: ſed inutilem opem ludit, ubi morbus jam altas egit radices. Datur à guttis duabus ad octo, cum tantillo conſervæ roſarum; aliove modo.

(7.) *Balſamum ſulphuris aniſatum* paratur etiam ſimpliciſſimo proceſſu, à ſolutione ſcilicèt florum ſulphuris in oleo ſeminum aniſi Eâdem vi detergente gaudet, reſpectu pulmonum exulceratorum; nec minùs conferre videtur aſthmaticis. Inſuper pro ſtomachico carminante habetur; cur fit ut commendetur in pravis digeſtionibus & ſub colicâ flatulentâ. A guttis duabus ad duodecim præſcribitur cum confectione, conſervâ, &c. Poſſunt etiam miſceri prædicta balſama cum hauſtibus aqueis; ſi, uti ſuprà notavimus, priùs ſubigantur cum ſaccharo; vel ſolvantur in ovi vitello.

(8.) *Flores ſulphuris* emergunt ex hujuſce concreti mineralis ſublimatione; quod hâcce elaboratione puriſſimum evadit; & ideò tutiùs intùs uſurpatur, veluti detergens & incidens præſtantiſſimum; præcipuè in morbis pulmonum chronicis. Dantur prædicti flores à granis quatuor ad quindecim & ultrà. De cæteris ſulphuris proprietatibus nil addimus, ne crambem bis coctam reponamus.

(9.) *Magiſterium*

(9.) *Magiſterium ſulphuris* eſt pulvis albicans, qui præceps agitur à lacte ſulphuris; quod lac emergit, uti neminem chymicum fugit, è miſcellâ aceti diſtillati cum ſolutione ſulphuris ab aquâ fervente & ſale tartari. Inter pectoralia incidentia numeratur; nec vi detergente & depurante, non ſecùs ac omnes aliæ ſulphuris præparationes deſtituitur. Datur à granis ſex ad viginti: ſed rarò apud noſtrates in uſum venit. Nec magis arrident cætera officinarum magiſteria, tàm mineralia, quàm vegetabilia; ſi excipias præcipitata mercurialia; reſinam jalapæ & ſcammonii; quæ obſoletum magiſterii nomen exuerunt.

PECTORALIA INCIDENTIA

PECTORALIA RESOLVENTIA ET INCIDENTIA.

AD tertiam pectoralium claſſem devenimus, quæ, uti patet ex ipſo titulo, in alium ſcopum præſcribi ſolent. Quomodò actionem ſuam exerant hæc medicamina in varios pulmonum infarctus, ægrè ſanè concipitur: nec dilucidiùs quandóque innoteſcit, nùm inter praxim quidpiam juvaminis afferant; licèt ubique in familiarem uſum veniant, tùm reſolventia, tùm incidentia; extrà tamen omne dubium poſitum videtur nonnullis ægris ſummè proficua eſſe, dummodò accuratâ methodo, & ſub congruâ victûs ratione, exhibeantur. Reſolventia, de quibus in præſentiarum, ea audiunt remedia, quæ recentem ſanguinis & humorum ſtaſim in pulmonum vaſis ſolvere valent: incidentia verò infarctibus chronicis ejuſdem viſceris dicantur. Utraque cautè adhiberi debent, cùm ſummam perniciem nonnunquàm inferant; præſertim poſtrema, ad quæ confugere ſolent imperiti, ſub morbis planè indomabilibus; quæ præpoſterâ medicatione exacerbantur. Etenim experientiâ tralatitiâ compertum manet plures phthiſicos & aſthmaticos qui ſolis demulcentibus & congruo regimine vitam diuturniorem traxiſſent, inter præpoſteram medelam, ſubitâ nece extingui. Quantùm diſcrepent incidentia à reſolventibus è natâ utrorumque indole ſat patet: utraque tamen ſub uno & eodem capite colligere cogit inſtituti ratio. Ne tamen inter illa ſeligenda decipiantur inexperti, de ſingulorum naturâ & viribus, ſatis ſuperque in commentariis diſſeruimus; præter notulas ſeriei remediorum magiſtralium interſertas.

PECTORALIA INCIDENTIA

EMPORETICA.

RADICES ireos florentinæ, helenii, angelicæ, imperatoriæ, apii, ariſtolochiæ rotundæ, ari, ſcillæ; acorus, zedoaria, coſtus arabicus, china, ſalſa parilla.

Folia abrotani, camphoratæ (1), eryſimi (2), hyſſopi (3), veronicæ, rutæ murariæ (4), botryos, marrubii albi, pulegii, ſatureiæ, origani, thymi, naſturtii hortenſis & aquatici.

Flores ſtœchados, roriſmarini, ſambuci; crocus... Semen eryſimi, feniculi; baccæ juniperi... Saſſafras, guaiacum... Gummi ammoniacum, bdellium, benzoinum (5), ſulphur, myrrha, ſtyrax calamita (6)... Sperma ceti, ſanguis hirci præparatus (7), aſelli.... Aquæ Montis Aurei (8), Bonenſes (9), Baregienſes, Tarbellicæ, Cauterienſes, Balneolenſes... Sulphur, antimonium.

OFFICINALIA.

AQUA hyſſopi, juniperi.... Syrupus de eryſimo (10), mercurialis.... Vinum & oxymel ſcilliticum.... Conſerva radic. helenii, chocolatum... Theriaca, confectio alkermes, extractum juniperi.... Tabellæ de ſulphure (11).... Pilulæ balſamicæ Morton (12).... Balſamum ſulphuris aniſatum.... Sal volatile ſuccini.... Flores ſulphuris & benzoini (13), magiſterium ſulphuris.... Anti-hecticum Poterii (14), antimonium diaphoreticum, kermes minerale.

PECTORALIA INCIDENTIA

MAGISTRALIA.

HYDROMEL.

℞ HORDEI mund. & *paſſularum* exacinatar. ana ſemi-unciam. *Rad. enulæ* & *ireos florentinæ* ana drachmam unam. *Foliorum tuſſilaginis* & *eryſimi* ana manip. unum. *Seminum aniſi* drachmam unam. Coque in aquæ libris tribus ad duas. Colaturæ adde *mellis* uncias duas. Coque ad deſpumationem.

PTISANA.

℞ *Radicis ſiccæ helenii* drachmas tres. *Folior. hederæ terreſtris* & *hyſſopi* ana manipul. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *mellis narbonenſis* uncias duas. Coque & deſpuma. Fiat ptiſana pro aſthmate.

℞ *Radicis chinæ* & *ſalſæ parillæ* ana ſemi-unciam. Bulliant per ſemi-horam in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *foliorum abrotani* & *hederæ terreſtris* ana manip. unum.

℞ *Florum ſambuci* manipulum ſemis. Infunde in aquæ ferventis libris quatuor. Colaturæ adde *mellis narbonenſis* uncias duas; coque, & deſpuma pro uſu in morbis acutis & chronicis.

JULAPIUM.

℞ *Aquar. cardui benedicti* & *borraginis* ana uncias duas. *Sanguinis hirci præparati* ſcrupulum unum. *Syrupi de papavere albo* ſemi-unciam; vel *de tunicis* unciam unam. Miſce.

℞ *Aquæ papaveris rhœados* libram unam. *Syrup. de tuſſilagine* uncias duas. *Sanguinis hirci* præparati drachmam unam. Miſce. Fiat julep. pro tribus doſibus.

℞ *Aquæ liliorum* & *nymphææ* ana uncias tres. *Succi borraginis* ritè defæcati uncias duas. *Syrupi de nymphæâ* unciam unam. Miſce. Fiat julepus ad phlogoſim pulmonum.

HAUSTUS.

℞ *Succi borraginis* uncias quatuor: *antimonii diaphoretici*, *ſanguinis hirci præparati* ana ſemi-drachm. *Syrupi de tunicis* unciam unam. Miſce. Fiat hauſtus. Ad infarctum inflammatorium pulmonis.

℞ *Aquæ borraginis* uncias ſex. *Confectionis alkermes*; *ſanguinis ibicini* ana ſemi-drachmam. Miſce, in eumdem ſcopum.

℞ *Gummi ammoniaci* in aceto ſcillitico ſoluti drachmam unam. *Oxymellis ſcillitici* drachmas duas. Diſſolve in *aquæ hyſſopi* unciis ſex. Fiat hauſtus, ad aſthma.

LOOCH.

PECTORALIA INCIDENTIA

℞ *Spermatis ceti* drachmam unam. *Sanguinis hirci præparati ; gummi tragacanthi* ana ſemi-drachm. *Syrupi de althæâ ; olei amygdalarum dulcium* ana unciam unam. Miſce. Fiat looch reſolvens.

℞ *Olei amygdalarum dulcium*, & *ſyrupi de papavere albo* ana unciam unam. *Oxymellis ſcillitici* ſemi-unciam ; *ſacchari cryſtallini* drachmas duas. Miſce. Fiat linctus bis terve in die propinandus ad cochlear unum, vigente aſthmate humido.

℞ *Florum ſambuci* pugillos duos ; infunde in aquæ unciis ſex. In colaturâ dilue *oxymellis ſcillitici* unciam unam. Fiat looch ad revocanda ſputa purulenta ſuppreſſa.

℞ *Gummi ammoniaci* & *ſucci glycyrrhizæ* ana drachmas duas. Diſſolve in *aquæ hyſſopi* unciis duabus vel tribus. Colaturæ adde *ſyrupi de hederâ terreſtri* & *oxymellis ſimplicis* ana uncias duas. *Tincturæ benzoini* drachmas duas. Miſce po linctu anti-aſthmatico.

℞ *Syrupi de tuſſilagine* uncias tres. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam & ſemis. *Spermatis ceti* drachmam unam. *Kermes mineralis* grana ſex. Accuratè miſceantur ad looch ſub febre catarrhali uſurpandam.

℞ *Decocti borraginis* uncias quatuor. *Olei amygdalarum dulcium ; ſyrupi de althæâ* ana unciam unam. *Kermes mineralis* grana duo. Miſce. Fiat looch reſolvens.

℞ *Oxymellis ſcillitici*, *olei amygdalarum dulcium* & *ſyrupi capillor. vener.* ana unciam unam ; *ſacchari* q. ſ. Fiat looch.

℞ *Oxymellis ſcillitici*, *aquæ cinnamomi* ana uncias duas. Miſce. Cochleatim ſumatur, urgente paroxyſmo.

℞ *Mellis narbonenſis* uncias duas. *Pulpæ paſſularum* unciam unam. *Florum ſulphuris* drachmam unam. *Syrupi de hyſſopo* q. ſ. pro linctu incidente.

℞ *Pulveris ireos florentinæ* ſemi-drachmam. *Oxymellis ſcillitici* unciam unam. *Syrupi de eryſimo* uncias duas. Miſce. Fiat looch incidens ; non ſecùs ac ſequentia.

℞ *Aſellorum lotorum* paria decem. Contunde in mortario ſenſim affundendo *aquæ hyſſopi* uncias ſex. In expreſſione diſſolve *gummi ammoniaci* drachmas duas. *Sacchari cryſtallini* ſemi-unciam.

℞ *Gummi ammoniaci* ſemi-drachmam. *Oxymellis ſcillitici* unciam unam. *Infuſi veronicæ* uncias quatuor. *Syrupi de eryſimo* unciam unam.

℞ *Radicis helenii* unciam unam. Bulliat in aquæ libris duabus per horæ quadrantem. Colaturæ adde *gummi ammoniaci*, in aceti unciis quatuor, ſoluti unciam unam. Adde *mellis* uncias quatuor. Coque & deſpuma. Colaturæ unum vel alterum cochlear, bis, terve per diem, aſthmaticis exhibeatur.

℞ *Scillæ præparatæ* drachmas tres. *Iridis florentinæ* drachmas duas. *Myrrhæ* & *croci* ana drachmam ſemis. In pulverem tenuiſſimum redacta

& accuratè mixta diluantur in *mellis* probè deſpumati unciis ſex ad looch, cujus doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam accedit; nec ultrà ne nauſeas moveat.

PECTORALIA INCIDENTIA.

APOZEMA.

℞ *Folior. veronicæ* & *camphoratæ* ana manip. unum. *Florum tuſſilaginis* & *malvæ* ana manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Fiat ex arte apozema. Adde cuique doſi *ſyrupi de eryſimo* drachmas duas. Ad aſthma.

℞ *Foliorum aſplenii* & *abrotani* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *florum de pede cati* ſemimanipulum. In colaturâ dilue *ſyrupi de tuſſilagine* uncias duas. Fiat apozema reſolvens.

℞ *Radic. enulæ campanæ* & *ireos florentinæ* ana drachmam unam. *Foliorum ſcabioſæ*, *borraginis* & *hyſſopi* ana manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. In colaturâ diſſolve *ſyrupi de tuſſilagine* uncias tres. Fiat apozema ad aſthma.

℞ *Raſuræ ligni ſaſſafras; radicum enulæ campanæ* ana drachmas duas. *Foliorum hyſſopi* & *hederæ terreſtris* ana manipulum ſemis. *Foliorum camphoratæ; ſummitatum hyperici* ana pugillum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de eryſimo* uncias duas. Fiat apozema incidens.

JUSCULUM.

℞ *Radicum helenii* & *ireos florentinæ* ana drachmam unam. *Foliorum hyſſopi* & *tuſſilaginis* ana manipulum unum. *Summitatum aniſi* ſcrupulum unum. Coque cum *fruſto carnis vitulinæ* & aquæ q. ſ. pro juſculo incidente.

℞ *Pulmonis vitulini* libram unam. *Radic. apii* & *angelicæ* ana unciam ſemis. *Chinæ* contuſæ drachmam unam. *Foliorum eryſimi* & *camphoratæ* ana manipulum ſemis. *Florum roriſmarini* pugillum unum. Coque ex arte pro juſculo incidente.

VINUM.

℞ *Ireos noſtratis* ſemi-unciam. *Scillæ præparatæ* drachmas duas. *Corticis radicis ebuli* drachmas ſex. *Foliorum marrubii* & *naſturtii* ana manipulum ſemis. *Agarici trochiſcati* drachmas duas. *Zingiberis* ſemi-drachmam. Conciſa infundantur per noctem in vini albi libras duas. Coque demùm leviter, & cola pro uſu. Doſis ab unciis duabus ad quatuor. Pro aſthmate.

℞ *Vini optimi* uncias octo; *cinnamomi* drachmas duas; *caryophyllos aromaticos*, numero ſex; *ſacchari* uncias quatuor. Bulliant in ſcutellâ; dein accendatur vinum uſquequò ad ſyrupi conſiſtentiam devenerit.

PECTORALIA INCIDENTIA

Sumat unum vel alterum cochlear ante ſomnum. Valet in tuſſi catarrhali, præſertim ſub graviditate. A nonnullis vocitatur hoc vinum *ſyrupus vini aduſti.*

PULVIS.

℞ *Kermes mineralis* grana duo. Miſce cum duplo *ſacchari* ; & divide in ſex partes, pro totidem doſibus, quartâ quâque horâ exhibendis ; tàm in acutis quàm in chronicis.

℞ *Florum ſulphuris* grana duodecim. *Florum benzoini* grana ſex. Miſce. Capiat ex ovo ſorbili. Ad tuſſim chronicam.

℞ *Aſellorum præparatorum* grana ſex ; *ſulphuris loti* grana octo ; *antihectici Poterii* grana quatuor ; *cinnamomi* grana duo. Miſce pro doſi in aſthmate humido.

BOLUS.

℞ *Spermatis ceti* ſemi-drachmam. *Florum benzoini* grana ſex. *Florum ſulphuris* grana octo ; vel *radicum ireos florentinæ* grana duodecim. *Conſervæ enulæ campanæ* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de eryſimo.*

℞ *Sulphuris loti ; gummi tragacanthi*, & *ſacchari cryſtallini* ana grana decem. *Ireos florentinæ* grana quatuor. Miſce cum *ſyrupo de tuſſilagine.*

℞ *Antihectici Poterii* grana decem. *Spermatis ceti* & *ſacchari* ana grana duodecim. *Balſami ſulphuris terebinthinati* guttas quatuor. Fiat bolus cum *ſyrupo de tuſſilagine.*

℞ *Gummi ammoniaci ; florum benzoini* ana ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *balſamo ſulphuris aniſato.*

℞ *Spermatis ceti* ſcrupulos duos. *Millepedum præparatorum ; benzoini* ana grana octo. *Kermes mineralis* granum unum. Miſce accuratè pro duabus doſibus, cum *ſyrupo de papavere rubro ;* manè & ſerò exhibendis.

℞ *Spermatis ceti* drachmam unam. *Kermes mineralis* grana duo. *Croci orientalis* grana octo. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de eryſimo.* In quatuor partes dividatur pro totidem doſibus, quartâ quâque horâ exhibendis.

℞ *Aſellorum præparatorum ; radic. helenii* & *ireos florentinæ* ana grana decem. *Florum martialium*, & *benzoini* ana grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de eryſimo.*

℞ *Kermes mineralis* grana duo ; *ſacchari* grana quatuor ; *medullæ caſſiæ* drachmam unam. Ex accuratè mixtis fiat bolus in ſex partes dividendus pro totidem doſibus, manè interpoſitâ horâ exhibendis ; ſuperbibendo tantillum juſculi.

OPIATA.

℞ *Balſami Lucatelli* drachmas ſex. *Balſami peruviani* ſemi-drachmam.

Sanguinis hirci præparati ; *ſpermatis ceti* ana drachmas duas. *Antimonii diaphoretici* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de papavere albo*. Doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam. Pro reſolvente habetur.

PECTORALIA INCIDENTIA

℞ *Terebinthinæ venetæ coctæ* ſemi-drachm. *Balſami Copahu ; antihectici Poterii* ana drachmam unam. *Camphoræ ; croci orientalis ; florum ſulphuris* ana ſemi-drachmam. Fiat opiata cum *ſyrupo de eryſimo*. Doſis ad ſcrupulum unum, vel alterum.

℞ *Sulphuris loti* uncias duas. *Aſellorum præparatorum* drachmas duas. *Radic. ireos florentinæ ; ſuccini præparati* ana drachmam unam. *Myrrhæ* ; *benzoini* ana ſemi-drachmam. *Croci orientalis* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat opiata, cum *oxymelle ſcillitico*. Doſis à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam.

℞ *Saponis hiſpanici*, cum tantillo *mellis narbonenſis* ſubacti, uncias duas. *Aſellor. præparatorum ; ireos florentinæ* ana ſcrupulos duos. *Spermatis ceti* drachmam unam. *Croci orientalis ; balſami peruviani* ana ſcrupulum unum. Fiat opiata cum *ſyrupo mercuriali*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Lapillorum cancror. fluviatilium* drachmas duas. *Millepedum præparatorum* drachmam unam & ſemis. *Gummi ammoniaci* drachmam unam. *Florum benzoini* ſcrupulos duos. *Extracti croci ; balſami peruviani* ana ſcrupulum ſemis. Miſce. Fiat opiata cum *balſamo ſulphuris aniſato*. Doſis ad drachmam unam.

PILULÆ.

℞ *Aſellorum præparatorum* drachmas duas ; *gummi ammoniaci* drachmam unam. *Balſami peruviani* ſcrupulum unum ; *balſami ſulphuris terebinthinati* q. ſ. Fiant ex arte pilulæ, quarum doſis ad ſcrupulum unum, ſemel vel bis in die ; ſuperbibendo hauſtum lactis.

℞ *Saponis albi* unciam ſemis ; *gummi ammoniaci* drachmam unam ; *extracti juniperi* drachmam unam & ſemis. Conficiatur maſſa pilularum cum *ſyrupo de tuſſilagine*. Doſis ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulum unum & ultrà, ſi per tuſſim liceat.

℞ *Conſervæ radic. helenii* drachmas tres ; *antimonii diaphoretici* drachmas duas ; *benzoini* drachmam unam & ſemis ; *aſellorum præparatorum* drachmam unam. Ex accuratè mixtis fiant pilulæ cum *ſyrupo de hederâ terreſtri* ; doſis ab ſcrupulo uno ad duos.

℞ *Sulphuris loti* grana decem ; *antihectici Poterii* grana quatuor. Fiant pilulæ cum *ſyrupo de hederâ terreſtri*. Pro doſi ; ſuperbibendo infuſum foliorum *hederæ terreſtris*.

PECTORALIA INCIDENTIA

COMMENTARIA.

(1.) CAMPHORATA hirſuta, C. B. pin. (*Camphrée*).

Hæc planta tenuis & ſubhirſuta in Gallo-Provinciâ & Occitaniâ ſpontè creſcens, haud multis ab hinc annis plurimùm decantata; vix hodiè à nonnullis in uſum trahitur. Haud infimum tamen locum meretur in analepticorum & incidentium ſerie; ideò jure commendatur in infarctu viſcerum & cachexiâ œdematosâ; præſertim ubi viget ſpirandi difficultas. Datur ſicca in infuſo vinoſo, vel aqueo inſtar the; ſed ampliori doſi ad pugillum ſcilicèt unum vel alterum pro hauſtu; aut à ſemi-unciâ ad unciam unam pro ptiſanæ libris duabus.

(2.) *Eryſimum* vulgare, C. B. pin. (*Vélar*).

Inter vulneraria & incidentia pectori dicata numeratur: conducit in raucedine; ſputa promovet, & aſthmaticis opitulatur: ac demùm ventriculum & inteſtina à muco ſuperfluo & noxio abſtergit. Uſurpantur folia & ſemina; ſed hæc poſtrema, non ſecùs ac illa ſinapi & erucæ, antiſcorbuticorum ſeriem ingrediuntur. Dantur folia ad manipulum ſemis in infuſi aquoſi librâ unâ. Pulvis ſeminum in ſubſtantiâ exhibetur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Proſtat demùm in officinis ſyrupus de eryſimo, de quo infrà.

(3.) *Hyſſopus* officinarum cœrulea vel ſpicata, C. B. pin. (*Hyſope*).

Folia & flores in pectoralium incidentium tractu recipiuntur: pro reſolventibus prætereà habentur; ac diureticorum ordinem ſubeunt. Ideò valent in aſthmate, aliiſque pulmonum infarctibus vel tartareis; conferunt in colluvie mucosâ ventriculi, tubique inteſtinalis; ac demùm deprædicantur in contuſionibus; vel poſt caſum ab alto. Doſis ſummitatum floridarum in infuſo, ut plurimùm melle edulcato, ad manipulum ſemis pro quâque librâ. Aqua diſtillata proſtat in officinis ad eumdem uſum. Hyſſopus extùs admota tanquàm reſolvens eximium laudatur; nec inutilem opem confert in contuſionibus: commendatur præcipuè ad ecchymoſim, vel ſuggillationem oculorum, tàm à causâ internâ, quàm poſt ictum: coquitur ad hoc opus ex aquâ vel vino in ſacculo, parti affectæ pluriès per diem admovendo. Hæc planta inſuper varia gargariſmata & præcipuè antiſcorbutica ingreditur. A nonnullis demùm laudatur vapor ejus decocti ad aurium tinnitum.

(4.) *Ruta muraria*, C. B. pin. Salvia vitæ, Lob. (*Sauve-vie*).

Inter herbas capillares numeratur hæc planta, olim celebratiſſima, uti patet ex veteri ejus nomenclaturâ. Nec deſunt inter Authores qui illam habent pro verâ hyſſopo Salomonis; ad populum phaleras. In aperientium & diureticorum ſerie admittitur; & à nonnullis commendatur in aſthmate. Cognatarum inſtar adhibetur.

(5.) *Benzoinum*,

PECTORALIA INCIDENTIA

(5.) *Benzoinum*, amygdaloïdes. (*Benjoin*), à genuinis balſamis vix diſcrepans, eſt concretum reſinoſum, pellucidum & variegatum, odore ſuavi; & è variis fruſtulis diverſorum colorum in maſſam coactum; quod ſtillat ex arbore indico, ad lauros, juxtà LINNÆUM referendâ. Inter bechica vulneraria & incidentia primatum quaſi ducit. Ideò expectorationem promovet; tuſſi diuturnæ medetur; atque phthiſicis & aſthmaticis ſuccurrit. Nec ipſi denegatur locus in ordine aperientium & tonicorum; cujus ratione laudatur in ſcrophulis; & commendatur in febre quartanâ; non ſecùs ac in quotidianâ; licèt ſit alterius indolis. Exhibetur in ſubſtantiâ & formâ ſiccâ à granis decem ad ſcrupulum unum. Sed flores, de quibus infrà, ſunt uſitatiores. Extùs admotum illud concretum pro roborante & reſolvente habetur: ex illo demùm paratur ſuffitus gratiſſimus.

(6.) *Styrax calamita*, (*Storax en larmes*) eſt gummi reſinoſum, pingue & ruffeſcens, odore fragrantiſſimo; quod olim deferebatur in calamis vel arundinibus; è quibus cognomen traxit. Ritè diſtingui debet ab ſtyrace liquidâ, & ſtyrace albâ; de quibus ſuo loco. Manat ex arbore orientali; quæ ſtyrax etiam vocitata, ſpontè creſcit in Gallo-Provinciâ, ſed nullam reſinam fundens. Pectoralium incidentium claſſem ſubit: nec inferiorem gradum occupat in aperientium & tonicorum numero. Ideò opportunè exhibetur aſthmaticis & tuſſientibus; atque deprædicatur in obſtructionibus contumacioribus viſcerum. Doſis formâ ſiccâ à granis quatuor ad quindecim accedit. Ex ſtyrace, non ſecùs ac è benzoino, paratur ſuffitus qui haud exiguam laudem meretur in affectibus vertiginoſis & catarrhalibus; in paralyſi & rheumatiſmo.

(7.) *Sanguis hirci præparatus*, vel *ibicinus*; (*Sang de bouquetain*), ab Helvetiis montium incolis, qui haſce feras venantur, colligitur; & radiis ſolaribus exſiccatur. Ceu reſolvens pectorale à pluribus decantatur; nec ipſi denegatur locus in diaphoreticorum ordine. Ratum manet ſæpiùs fauſtè uſurpari hoc remedium, præſertim ab empiricis & circulatoribus, ſub inflammatione pectoris. A drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam & ſemis in ſucco borraginis; ex aquâ cardiacâ, aliove hauſtu congruo exhibetur.

(8.) *Aquæ montis aurei* (*du Mont d'or*) in Arverniâ, propè ortum Dordoniæ, ſex leucis versùs Occaſum à Claromonte (*Clermont*), calidæ & ſaponaceæ ſulphur redolent, & ſapore gaudent vinoſo, ac bituminoſo, quo reverà orbantur, ubi refrigerant. Inter pectoralia detergentia & incidentia celebrantur; variis phthiſicis & aſthmaticis ſuccurrunt: nec minùs hepati dicantur, quàm pulmonibus; omniumque viſcerum obſtructiones reſerant. Sudores prætereà cient, urinas movent, alvum ſolvunt, ſtomachum refocillando. Conducunt denique in multis affectibus è nervorum læſione oriundis. Propinantur à librâ unâ ad quatuor & ultrà ſingulis diebus. Extrinſecùs admotæ ſub formâ balnei vel irrigationis ab alto, pro roborantibus & detergentibus, reſolventibus & pſoricis habentur; ideò laudantur in paralyſi, contracturâ artuum, & rheumatiſmo:

valent ad tumores diuturnos, ulcera contumaciora; affectus cutis pruriginoſos, &c.

PECTORALIA INCIDENTIA

(9.) *Aquæ Bonenſes*, (*de Bonnes*) humilis vici Benearniæ (*du Bearn*), ſeptem leucis versùs Meridiem à Palo (*Pau*) diſtantis; pectori præſertim dicantur tanquàm detergentes & balſamicæ: quoad cæteras proprietates; proximè accedunt ad Baregienſes, à quibus vix diſcrepant: nec aliâ methodo uſurpantur: ſed faciliùs tranſvehuntur.

(10.) *Syrupus de eryſimo*, Lobel, varia diverſæ ſortis excipit: præter enim eryſimum; radices, herbas, flores, fructus & ſemina adhibentur, quæ è claſſibus demulcentium, incidentium, cardiacorum & cephalicorum mutuantur. Bechicum eſt incidens, quod conducit in raucedine & catarrho: anacatharſim promovet; & aſthmaticis opitulatur. Nonnullæ nutrices quibus lac deficit, neſcio quâ ratione ductæ, ad huncce ſyrupum confugiunt. Propinatur à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam.

(11.) *Tabellæ de ſulphure* parantur coctione ſacchari in aquâ roſarum ad conſiſtentiam electuarii ductilis, cui adduntur flores ſulphuris; ut arte ſolitâ conficiantur tabellæ, quæ inter pectoralia incidentia & detergentia jure recenſentur; ac valent in tuſſi chronicâ, aſthmate & phthiſi.

(12.) *Pilulæ balſamicæ* à MORTONO publici juris factæ, exſurgunt è miſcellâ millepedum præparatorum, gummi ammoniaci, florum benzoini, extracti croci, balſami peruviani & balſami ſulphuris aniſati. In ſerie detergentium & incidentium pectori dicatorum, primum quaſi gradum obtinent: atque ſummam opem conferre videntur in aſthmate arthritico: nec minorem laudem merentur in phthiſi ſcrophulosâ: cautè exhibendas eſſe in cæteris caſibus haud latet expertos. Dantur à granis duodecim ad viginti.

(13.) *Flores benzoini* nil aliud ſunt quàm ſal eſſentiale & volatile illius balſami. Suave olent prædicti flores; ipſiſque ineſt ſapor acidus. Inter primaria reſolventia & incidentia pectori adſcripta numerantur. Seriem antiſpaſmodicorum ſubeunt: ideò fauſtè uſurpantur, ſervatis ſervandis, in infarctu pulmonum chronicò; nec inutilem opem præſtant in affectu hyſterico & palpitatione cordis. Doſis à grano uno, ad ſex vel octo, formâ ſolidâ, vel in ovo ſorbili.

(14.) *Antihecticum* POTERII, vel diaphoreticum joviale, emergit è liquatione reguli antimonii martialis, cum ſtanno anglicano; quibus refrigeratis & in pulverem redactis additur nitrum; ut omnia mixta detonent & calcinentur in crucibulo; donec albedinem induat hæc materia pluribus lotionibus demùm ſubjicienda. In aperientium & incidentium ordine collocatur, reſpectu omnium viſcerum, ſed præſertim pulmonum, dummodò nec exulceratione, nec purulentiâ inquinentur. Diaphoreticum inſuper audit eximium; & ad depurantium gradum provehitur. Ideò prodeſt in cachexiâ, ictero & hydrope. Egregiè ſe gerit in febre lentâ ab infarctu oriundâ; ſcrophuloſis ſuccurrit: nec exiguam laudem meretur in ſcorbuto: medetur demùm vertigini, aliiſque cerebri affecti-

bus apoplexiæ prodromis. Haud tamen innoxium cenſeri debet hoc remedium, & cum cautelâ exhiberi debet. Doſis in principio haud ultrà grana ſex vel octo aſſurgat; ſed ſenſim ad ſcrupulum unum accedere licet.

PECTORALIA INCIDENTIA

CARDIACA.

NEMINEM fermè fugit ſic vocitari hæc medicamina quæ debilem cordis actionem redintegrant; vel vires à causâ recenti impeditas, vel proſtratas reſarciunt. Haud multùm diſcrepare cardiaca à potiori cephalicorum, alexiteriorum, ſtomachicorum & diaphoreticorum parte, de quibus ſuprà, à conſpectu tabularum cuivis patet: illa tamen ſingula ſeorſim exhibere in practicorum commodum, vel ad dilucidiorem methodum; haud incongruum fore judicavimus. Notare expedit circà remedia, de quibus in præſentiarum, quòd eorum ope ſolida ſtimulentur, ſopiti ſpiritus exſuſcitentur, & cruoris motus progreſſivus acceleretur: adeò ut præclarum munus, & quaſi illicò, edant, ſi exhauſtæ vires duntaxàt obruantur: hinc horumce medicaminum effectum fugaciorem fore, nemini haud obvium. Quapropter minoris, vel nullius ſunt efficaciæ, ſi vires planè deficiant, poſt graviores ſcilicèt morbos, inediam inſolitam, improbos mentis & corporis labores, evacuationes immodicas, &c. ſub quibus rerum conditionibus, æquè ac folles, quemdam ſplendorem igni vitali impertiuntur; ſed hunc citiùs abſumunt, & extinguunt. Ideò ad genuina analeptica deveniendum, quæ tardiora ſanè obeunt munia; ſed diuturniora; quorum ratione effœti ægri ſenſim reſtituuntur. Illud addere lubet circà uſum cardiacorum, quòd, licèt pro remedio præſentaneo adversùs ſyncopem habeantur, cum cautelâ tamen exhiberi debent; præſertim ſi à prægreſsâ hæmorrhagiâ ortum ducat animi deliquium; ne accedente hoc ſtimulo recrudeſcat ſanguinis profluvium; quo infortunio ægrorum res in ancipiti ſæpiùs verſantur.

CARDIACA

EMPORETICA.

RADICES angelicæ, imperatoriæ, ſerpentariæ virginianæ. Zedoaria. Acorus. Nardus indica ([1]).

Folia meliſſæ, menthæ, oxytriphylli, cardui benedicti, ſcorſoneræ, ſcabioſæ.

Flores borraginis, bugloſſi, caryophyllorum ([2]), violarum.... Semina cardui benedicti. Baccæ juniperi.... Cortex aurantiorum, limonum, citreorum.... Nux moſchata; macis. Caryophylli. Amomum racemoſum.... Succus citrei, limonis, mali granati.... Vinum ([3]) Alonienſe, alterumve Hiſpanicum; vel quodcumque generoſum.... Aqua vitæ ([4]); ſpiritus vini ([5]).... Cinnamomum. Caſſia lignea. Cortex Winteranus.... Kermes ([6]). Moſchus. Ambra cineritia... Lapis lazuli ([7]).

OFFICINALIA.

AQUA florum aurantiorum, meliſſophylli, menthæ, borraginis, bugloſſi, ſcabioſæ, ſcorſoneræ, cardui benedicti, nucis juglandis... Syrupus de tunicis ([8]), de limonibus, de ſtœchade & granatorum. Pulvis viperinus, è chelis cancrorum vel comitiſſæ.... Balſamum apoplecticum. Confectio alkermes ([9]), & de hyacintho ([10]). Theriaca, mithridatium, orvietanum.... Aqua cinnamomi ([11]) vulgaris & hordeata, Reginæ Hungariæ, meliſſæ, compoſita theriacalis ([12]), imperialis ([13]), divina vel mirabilis ([14]).... Tinctura caryophyllorum ([15]).... Guttæ anglicanæ, anodynæ Sydenhami, anodynæ minerales Hoffmanni.... Spiritus ſalis ammoniaci, & aqua dicta *de Luce*.... Lilium Paracelſi ([16]), oleum cinnamomi ([17]).... Sal anglicanum, volatile viperarum. Kermes minerale.

CARDIACA.

MAGISTRALIA.

JULAPIUM.

℞ AQUÆ *borraginis* uncias ſex. *Confectionis alkermes* drachmam unam. *Tinctura caryophyllorum* guttas duodecim. *Syrupi limonum* unciam unam. Miſce.

℞ *Aquæ meliſſophylli* uncias ſex. *Aquæ cinnamomi hordeati* ſemi-unciam. *Confectionis alkermes* ſemi-drachmam. *Salis volatilis viperarum* grana duodecim. *Syrupi caryophyllorum* drachmam unam.

HAUSTUS.

℞ *Aquæ ſcabioſæ* uncias quatuor. *Confectionis de hyacintho* ſemi-drachmam. *Pulveris viperini* grana quindecim. *Aquæ florum aurantiorum* unciam unam.

℞ *Aquæ cardui benedicti* & *naphæ* ana uncias duas. *Aquæ cinnamomi* drachmas duas. *Theriacæ veteris* ſcrupulos duos. *Lilii Paracelſi* guttas viginti.

POTIO.

℞ *Aquæ menthæ* uncias ſex. *Aquæ cinnamomi* ſemi-unciam. *Syrupi limonum* uncias duas. Miſce. Fiat potio cochleatim ſumenda.

℞ *Aquæ borraginis* uncias quatuor. *Aquæ florum aurantiorum* unciam unam. *Aquæ cinnamomi* ſemi-unciam. *Confectionis alkermes* drachmam unam. *Lilii Paracelſi* guttas viginti quinque. Fiat potio ex cochleari.

℞ *Aquæ ſcabioſæ* uncias quatuor. *Aquæ meliſſæ compoſitæ* ſemi-unciam. *Salis volatilis viperarum* grana viginti. *Syrupi de ſtœchade* unciam unam. Cochleatim exhibeatur & ſic de cæteris.

℞ *Aquæ menthæ* & *naphæ* ana uncias tres. *Aquæ Reginæ Hungariæ* ſemi-unciam. *Confectionis alkermes* & *de hyacintho* ana drachmam unam. *Antimonii diaphoretici* ſemi-drachmam. *Lilii Paracelſi* guttas triginta. Miſce.

℞ *Aquæ cardui benedicti* uncias quatuor. *Theriacæ veteris* ſcrupulos duos. *Granorum kermes* ; *pulveris viperini* ana ſcrupulum unum. *Salis volatilis viperarum* grana quindecim. *Aquæ imperialis* drachmas tres. Miſce.

℞ *Aquæ ſcorſoneræ* & *meliſſophylli* ana uncias tres. *Aquæ theriacalis* ſemi-unciam. *Confectionis de hyacintho* drachmam unam. *Kermes mineralis* grana duo. *Syrupi caryophyllorum* unciam unam. Miſce. Fiat potio, ſuperiorum inſtar, cochleatim ſumenda.

BOLUS.

Cardiaca

℞ *Confectionis de hyacintho* ſemi-drachmam. *Spermatis ceti* ſcrupulum unum. *Pulveris viperini ; ſalis anglicani* ana grana ſex. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de tunicis.*

℞ *Salis volatilis ſuccini* grana octo. *Croci orientalis* grana quatuor. *Pulvis è chelis cancrorum* ſcrupulum unum. Miſce. Fiat bolus cum *confectione alkermes.*

COMMENTARIA.

(1.) Nardus indica, vel Spica nardi, eſt pars quædam comoſa, vel congeries capillamentorum tenuium convolutorum, quæ prodit, uti fertur, è radice cujuſdam graminis cyperoïdis, de quo Breynius. Ingratum odorem ſpirat; ipſique ineſt quædam amarities. Inter cardiaca, alexiteria, necnon ſtomachica, locum obtinet: ſed in officinis duntaxat, ni fallor, uſurpatur. Illam præſcribere licet in ſubſtantiâ ad ſemi-drachmam, & ad duplum in infuſo

(2.) *Caryophyllus* hortenſis ſimplex flore majore, C. B. pin. Tunica, Fuchs (*Œillet*).

Flores, quorum rubri, neſcio quâ ratione, ſeliguntur, ita cardiacorum, alexiteriorum & diaphoreticorum ordine recipiuntur: gradum etiam obtinent inter cephalica; ac vertiginoſis ſuccurrunt. In infuſo vinoſo ad pugillum unum vel alterum præſcribi queunt: ſed uſitatior eſt ſyrupus, de quo infrà.

(3.) *Vinum generoſum* cujuſvis ſortis, & moderatè ſumptum, pro potu ſaluberrimo ab omnibus habetur. Hilaritatem nempè conciliat, vires reſarcit; concoctionem alimentorum juvat, &c. ſed vires ejus infringuntur conſuetudine; imò & noxium ab immodico vel intempeſtivo uſu evadere experientiâ quotidianâ comprobatum manet: ex illo enim fonte prodeunt innumeri morbi pertinaciſſimi, vel averruncari neſcii. Majorem ſanè perniciem infert vinum adulteratum cum lithargyro; vel quâvis aliâ nefandâ arte, adeò ut potus ille ſalubris faceſſat in merum toxicum, quod ſenſim clancularias vitæ ſtruit inſidias. Variam eſſe vini virtutem, ratione ſoli natalis, nullus dubitat: vinum enim rubrum Burgundiacum, Gravianum, Gallo-Provinciale, &c. pro analepticis & roborantibus deprædicantur: Campanum, Rhenanum, aliaque alba diureſim movent: Alonienſe & cætera Hiſpanica, inter cardiaca & alexiteria celebrantur: Cypreum vel alia vina græca in ſtomachicorum & tonicorum ordine primatum quaſi ducunt: cæterorum proprietates ex affinitate cum ſuprà adductis, quorum uſus in morborum curatione eſt familiarior, eruere licet. Quoad uſum externum; vinum, enematis inſtar, injectum compeſcere valet mulierum colicam flatulentam; quamdam ebrietatem

forte inducendo. Vinum tepidum tanquàm euporiſtum eximium extùs crebrò admovetur ad roborandum & reſolvendum : nec minùs confert in ambuſtione. De vino fuſiùs in Libro tertio.

(4.) *Aqua vitæ* prodit è ſimplici diſtillatione vini : ſi huic elaborationi iterùm ſubmittatur emergit ſpiritus vini. Nemo neſcit aquam vitæ vulgatiorem viribus cardiacis & ſtomachicis inſtrui ; ideò fauſtè uſurpatur in animi deliquio ; vel ad collapſas vires ſuſtinendas : nec minorem laudem meretur in cardialgiâ & colico dolore. Propinatur à drachmis duabus ad ſemi-unciam, & ultrà ſi vires ferant. Latiſſimus eſt aquæ vitæ uſus externus : vulgò enim adhibetur pro vulnerario & reſolvente eximio, conducit in phlogoſi recenti oculorum, in ſtagnatione ſanguinis à contuſione, vulnere, &c. Paratur *aqua vitæ camphorata*, cujus vires antiputridæ neminem latent, ſolutione camphoræ à drachmis duabus ad ſemi-unciam in aquæ vitæ libris duabus. Aqua vitæ cathartica (*Eau-de-vie allemande*, nil aliud eſt quàm tinctura ſpitituoſa jalapæ. Si demùm injiciatur aqua vitæ in laminam ferream ignitam ſuffumigium præbet commendabile ad dolores rheumaticos.

(5.) *Spiritus vini* eſt ſubſtantia quaſi media inter oleum & aquam ; quibus ſcilicèt intimè ſociatur. Egregiè præſertim conducit ad eliciendam tincturam mixtorum ſulphureorum vel reſinoſorum. Aquæ ardentes, quæ variis titulis apud bibones ſuperbiunt ; tincturæ ſpirituoſæ, balſama compoſita ; & id genus varia officinalia præcipuas à ſpiritu vini vires mutuantur. Ideò non ſecùs ac aqua vitæ, ſyncopem fugat & vires obrutas expedit, à drachmâ unâ ad tres ; ſed raro ſincerus præcipitur. Extrinſecùs admotus inter vulneraria balſamica recenſetur ; in reſolventium ordine recipitur & fauſtè adhibetur adversùs ecchymoſim ; fluxiones eryſipelaceas : nec inutilem opem confert in putredine & gangrænâ : ſed tutiùs in huncce poſtremum ſcopum uſurpatur ſpiritus vini camphoratus ; de quo infrà.

(6.) *Kermes*, vel granum tinctorium (*Graine d'ecarlate*), de quo fusè GARIDEL in hiſtoriâ plantarum Gallo-Provinciæ ; adnaſcitur ramis ilicis aculeatæ, cocciglandiferæ, quæ ubique occurrit in tractibus Galliæ meridionalibus ; non ſecùs ac in Italiâ, Hiſpaniâ, &c. Sunt folliculi coccinei, vel niduli quorumdam animalculorum huicce frutici hærentium, & illum vulnerantium ut congruum pabulum excipiant. Hinc minime mirum ſi kermes, de quo in præſentiarum, animale audiat, ut diſtinguatur à minerali, de quo ſuprà. Inter cardiaca & tonica numeratur ; diureticorum claſſem ſubit ; menſes & lochia movet. Datur in ſubſtantiâ à granis ſex ad ſcrupulum unum ; in infuso verò vinoſo à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam. Sed in familiariorem uſum vocatur confectio cognominis, de quâ mox agemus.

(7.) *Lapis lazuli* (*Pierre d'azur*), eſt lapis opacus ſaturato colore cæruleo coruſcans ; aureis puncticulis vel flammulis exornatus, ex auri fodinis orientalibus depromptus ; è quo fit color ille cyaneus, quem ultrà-

CARDIACA

marinum (*outremer*) vocant: inter cardiaca numeratur; & ſub hoc conſpectu confectionis alkermes compoſitionem ſubit. Non ſecùs ac antimonium, vi quâdam ſanguinem depurandi pollere creditur: ſed de hiſce dotibus nulli dubitant; & ſilet de hâc re experientia, cùm ab uſu planè receſſerit hoc remedium, quod fortè aliis familiaribus minime cedit. Datur in ſubſtantiâ à drachmâ ſemiſſe ad drachmam unam.

(8.) *Syrupus caryophyllorum* vel de tunicis è duplici infuſione horumce florum rubrorum, notiſſimâ arte paratur. Sapore & odore gratus, pro cardiaco & roborante habetur; inter alexiteria numeratur; & diaphoreticorum ordinem ingreditur. Hunc ſyrupum addere ſolent ab unciâ ſemiſſe ad unciam unam potionibus cardiacis; quæ crebrò uſurpantur in febribus mali moris, variolis, morbillis, &c.

(9.) *Confectio alkermes* nomen mutuatur, uti ſuprà innui, à grano tinctorio: & præcipuas vires ab aromaticis & abſorbentibus, quæ ejus compoſitionem ingrediuntur. Creberrimus eſt hujuſce electuarii uſus, ad ſpiritus exſuſcitandos, vel vires refocillandas. Præſtantiſſimum eſſe remedium perhibent ad arcendum venenum, tàm extùs ſuſceptum, quàm intùs genitum, quod ſcilicèt morborum contagioſorum fomes audit. Commendatur demùm in affectibus ſoporoſis & vertiginoſis, ad debilem ſtomachum, &c. Doſis ab ſcrupulo uno ad drachmam unam.

(10.) *Confectio de hyacintho* parùm differt ratione proprietatum à præcedenti: uberiorem tamen abſorbentium proventum excipit; cur ſit ut magis congruat vomituritionibus & alvi profluvio; nec ipſi denegantur vires anthelminticæ. Eâdem doſi exhiberi ſolet. Haud abs re erit per tranſennam notaſſe nil in hujuſce confectionis ingredientium farragine futilius eſſe ipſomet hyacintho; qui non ſecùs ac granatus, ſapphirus, carbunculus, ſmaragdus, aliique lapides pretioſi, vix alium effectum præſtant in corpore humano, ac ſilex: hinc à gemmarum, olim decantatiſſimarum, uſu nil expectandum fore aſſeverant ſaniores & peritiores Medici.

(11.) *Aqua cinnamomi* duplex proſtat, ſpirituoſa nempè & hordeata. Prior paratur cinnamomi maceratione per biduum in vino generoſo; quod poſteà diſtillationi committitur: ad ſecundam uſurpatur decoctum hordei, loco vini; cujus ratione longè mitior evadit. Familiariſſimo uſu præſcribitur ſpirituoſa, ad animi deliquia; nec minùs deprædicatur ſub imbecillitate ſtomachi: conducit demùm in morbis ſopore & vertigine ſtipatis; à drachmâ unâ ad ſemi-unciam. In eumdem ſcopum datur hordeata; ubi metuitur major ſtimulus: atque haud diſſimili ratione opportunè ſociatur hauſtibus catharticis, tanquàm carminans; cujus ſcilicèt ope præcaventur tormina. Præſcribitur ampliori doſi; nimirùm à ſemi-unciâ ad unciam unam.

(12.) *Aqua theriacalis* paratur maceratione per triduum plurium radicum, corticum, fructuum & florum aromaticorum in aquâ nucum & ſpiritu vini; additur poſteà theriaca, ut demùm omnia diſtillationi

ſubjiciantur.

ſubjiciantur. Inter cardiaca, cephalica, &c. præcipuum locum obtinet. Datur à drachmâ unâ ad ſemi-unciam. Sunt qui ex tempore parare ſolent aquam theriacalem ſimpliciorem; ſolutione nimirùm drachmæ unius theriacæ in aquæ vitæ unciis tribus: ſed pluris habendam eſſe priorem, nemini haud obvium.

Cardiaca

(13.) *Aqua imperialis* poſt infuſionem, per triduum, cinnamomi, nucis moſchatæ, caryophyllorum indicorum, aliorumve ingredientium aromaticorum in ſpiritu vini, aquis meliſſæ & florum aurantiorum, ſolitâ diſtillatione emergit. Vix differt ratione indolis & virium à poſtremâ; eâdemque methodo adhibetur.

(14.) *Aqua divina* vel *mirabilis* conficitur miſcellâ aquæ florum aurantiorum, oleorum eſſentialium citrei & bergamii, atque ſacchari: quæ omnia in ſpiritu vini aquâ temperato per octiduum, loco frigido, digeruntur. Præter virtutem cardiacam præſtantiorem; ſtomachum refocillat; cæterarumque partium vires redintegrat; & datur à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Illud notare expedit, ne incauti decipiantur, aliam ſervari in officinis aquam cognominem, divinam nempè Fernelii, quæ nil aliud eſt quàm ſolutio ſublimati corroſivi, extùs duntaxàt admovenda; & ideò à præcedenti toto cœlo diſtat.

(15.) *Tinctura caryophyllorum* paratur ſimpliciſſimâ caryophyllorum indicorum digeſtione in ſpiritu vini, per plures dies in igne arenæ; vel donec ſpiritus ſaturetur. Inter cardiaca ſtomachica & cephalica celebratur: tonicorum etiam claſſem ſubit; & ſub hoc conſpectu ſæpiùs fauſtè uſurpatur in cachexiâ & hydrope. Nec minorem laudem meretur extùs admota, tanquàm ſcilicèt roborans, reſolvens & antiputrida; ideò conducit in paralyſi, infarctibus œdematoſis, gangrænâ, ipsâque oſſium carie.

(16.) *Lilium Paracelſi* eſt tinctura chymica, & ſpirituoſa, reguli metallorum, priùs cum nitro & tartaro in crucibulo liquati. Digeritur nempè hæc materia craſſiuſculè trita, igne arenæ per aliquot dies in ſpiritu vini, donec ſaturetur. Primatum quaſi ducit in cardiacorum tractu; cephalicum audit præſtantiſſimum: atque diaphoreſim & urinas ciet: ideò multùm commendatur in variolis & morbillis, febribus malignis, aliiſve mali moris. Additur potionibus cardiacis; vel ex juſculo, vino, &c. exhibetur à guttis tribus ad duodecim, & ultrà. Cautè tamen mercari expedit cum hocce remedio penetrantiſſimo, ne os, œſophagus, vel ipſemet ventriculus lædantur, & quaſi adurantur: quod nonnunquàm eveniſſe neminem practicum latet.

(17.) *Oleum cinnamomi* poſt digeſtionem calidam, & plurium dierum, hujuſce corticis in aquâ communi, juxtà notiſſimam artem, diſtillatione elicitur; parciori ſanè proventu, cùm libra integra cinnamomi vix ſuppeditet drachmam unam hujuſce olei eſſentialis. Hinc minime mirari ſubit, ſi raro ſincerum in officinis proſtet; & utplurimùm diverſimodè adulteretur. Genuinum oleum cinnamomi, non ſecùs ac caryophyllorum, aliaque

Cardiaca

olea eſſentialia, in aquam projectum, fundum petit: aliàs de fraude haud levis emergit ſuſpicio. In roborantium, cardiacorum & ſtomachicorum claſſi primum locum obtinet oleum cinnamomi: diureſim ciet, non ſecùs ac menſes; partumque promovet. Doſis à guttâ unâ ad tres in vino, aliove hauſtu cardiaco. Olea eſſentialia haud miſceri cum potionibus aqueis, ni priùs cum ſaccharo ſubigantur, jam ſuprà notavimus. Poſtremò extrinſecùs uſurpatur prædictum oleum ceu exſiccans & cathæreticum: & ideò opportunè admovetur oſſium cariei; atque odontalgiam compeſcit, ſi dentis carioſi cavitati mediante goſſypio committatur.

ANODYNA ET HYPNOTICA.

Alterutro nomine veniunt hæc medicamina quæ, ſpirituum ferociam coërcendo, doloribus occurrunt, ſomnumque conciliant; quemdam ſtuporem nervis inducendo, quo obſcurantur ſenſus; vel peculiarem temulentiam emporio communi conciliando, quâ ejus functiones impediuntur: cur fit ut plures hæc ægrè ferant; quæ aliàs periculoſa evadunt, ni ſolerti manu tractentur. Variis gradibus diſtingui ſolent medicamina; quæ hanc claſſem ſubingrediuntur; mitiora nempè, paregorica vel anodyna nuncupantur; media hypnotica audiunt; fortiora verò narcotica vel obſtupefacientia vocitantur. Pro quorumdam clinicorum nutu & arbitrio perperàm immutantur prædictæ denominationes; qui omnia diſcrimina, ſub generali ſedantium titulo, *Calmans*, comprehendunt. Haud minoris ſanè quidem eſt momenti hic diverſus conſpectus: cùm à poſthabitis cujuſcumque indole & viribus ſingula opportunè adhiberi nequeunt. Cur fit ut haud, niſi ſummâ cautelâ, ad hæcce medicamina confugere liceat: cùm nonnulla narcotica vel obſtupefacientia parùm aut nil diſcrepent à venenis: mandragora enim, hyoſcyamus, ſolanum, aliaque ejuſdem commatis, vix citrà piaculum intùs exhiberi queunt, ſalvis clariſſ. Storck experimentis; & ideò ad medicamenta externa hæc ablegare conſultius viſum fuit. Haud dubitare licet quin opium, hypnoticum ſanè uſitatius; & cæteris palmam præripiens, perſpirationem moveat: ſed falsò aſſeritur omnes alias evacuationes cohibere, cùm pluriès contrarium obſervare mihi contigit, ergà ſcilicèt ſputa, menſes & lochia. Plurimùm, ut verum fatear, confert in alvi profluvio; ſed non impedit quominùs cathartica, quibus ſociatur, ſolitum effectum exerant.

Inconcuſſum manet apud ſanioris notæ practicos quòd haud citrà periculum adhiberi queant hypnotica in variis morbis acutis, ni jam ad declinationem vergant; cùm, præter noxam quam nonnullis peculiari idioſyncraſiâ donatis inferre ſolent, ſymptomata cicurando morbi progreſſum

ſiſtant ; ejuſque genuinam indolem quandóque occultent ; quod haud ſemel eveniſſe in peripneumoniâ, haud fugit ſanè expertos ; & altâ mente tenere debent qui opiatorum uſui inconſultò patrocinantur. Nec minùs pertimeſcenda ſunt in affectibus rheumatico-arthriticis ; cùm nonnunquàm avertant horum ſpontaneam ſolutionem ; cur fit ut pertinaciores & diuturniores evadant. Quod etiam intelligendum de pluribus aliis morbis organicis : cùm, ſtuporem inducendo, morbi cauſam ſæpiùs figant & contumaciorem reddant ; adeò ut, ceſſante narcotici operatione ; graviores & ferociores recurrant dolores. Quamcumque hæmorrhagiam fovere videntur opiata ; licet à famigeratiſſimis practicis nonnunquàm, ſub urgentiori caſu, inter ſanguinis profluvia adhibeantur. Delirium & mania à genuinis narcoticis nuſquàm ſedantur, ni à ventriculo oriantur ; quin potiùs ſæpiſſimè exacerbantur : quod ſedulò animadvertendum ; ne intempeſtivo hoc præſidio irritentur crabrones. Si majori quàm par eſt doſi exhibeantur hæc medicamina, hilaritatem fatuam, ipſumque delirium accerſunt ; vel profundum ſoporem inducunt, qui nonnunquàm ad præmaturum lethum, conducit ni veneni vires refringantur opportunis præſidiis ; quæ verſantur circà liberaliorem potum, nitro vel ſucco limonum imprægnatum : nec inutilem opem præſtat in hiſce anguſtiis odor aceti acerrimi : nonnulli demùm, ſub urgentiori caſu, ad venæ ſectionem & vomitorium haud inconſultò deveniunt. E quibus colligere datur tutius fore, ubi de hypnoticis opus eſt, à minori doſi inchoare, quæ ſenſim poſt ritè perſpectos effectus adaugetur. Addere juvat opiata minoris eſſe efficaciæ in aſſuetis, qui ampliores doſes tutò aſſumunt : omnibus enim notum manet Turcas, Perſas, alioſque orientalis plagæ incolas, duas vel tres drachmas opii, imò & ultrà, annuente Turnefortio, ſingulis diebus vorare, ut hilaritatem quamdam ſibi concilient, vel omnem ſollicitudinem, non ſecùs ac ex modicâ vini potatione, amoliantur : ac ejus uſui ita ſunt aſſueti ut ab illo abſtinere nequeant ſine manifeſto vitæ diſcrimine : fertur quòd opii ope ad prælium impavidi ſeſe componant ; adeò ut, tanquàm audaciæ ſtimulus, apud illos habeatur. Nec deſunt inter noſtrates qui Aſiaticorum more, quotidiano opii uſui inhærent, ut mœrorem & triſtitiam amoveant ; nec infelici ſucceſſu ; ni appetitus obtunderetur, & vires ſtomachi infringerentur ; ut de ſenſuum torpore, vel chronicâ fatuitate, quam nonnunquàm inducit, ſileamus : etſi inter aphrodiſiaca jure numeratur. Hinc minime mirari ſubit ſi pro nutu & arbitrio, vel præconceptis ſcriptorum opinionibus, laudes & vituperia mereatur illud remedium.

Hypnotica.

Haud abs re erit, dùm de ſedantibus agimus, nonnulla, mantiſſæ inſtar, ſubnectere circà *muſicam* inter præſidia compeſcentia jure numerandam ; quæ ſcilicèt efferum ſpirituum motum refringere, animi pathemata demulcere, dolores lenire & ſomnum accerſere valet. Haud ignotum priſcis fuiſſe ſuave illud ſpirituum laſcivientium delinimentum ex horum ſcriptis abundè patet ; non ſolùm enim notantibus Pindaro &

Hypnotica.

Galeno, inſtrumentorum muſicorum melodiam; ſed etiam cantum; undè morborum *incantatio*, adhibebant. Muſicam non ideò à diis datam, inquit Plato, ut aures demulceantur; ſed ut animæ perturbationes hujuſce voluptatis lenocinio ſedentur, ac in ordinem redigantur: muſica, pergit laudatus Author, mores componit, ac irarum ardores emollit; quod Achilles apud Homerum abundè teſtatur; qui ſcilicèt furorem citharæ pulſu ſopire ſolitus fuerat. Nemo ſacris litteris edoctus neſcit Saulem maniaco furore percitum dulce ſonantibus citharæ modis ad alcyonium ſtatum revocatum fuiſſe.

Lymphatos & phreniticos haud abſimili methodo ſanabant Xenocrates & Asclepiades. Eâdem arte efferveſcentes iræ æſtus coërcebat Clinias, haud ignobilis apud Græcos philoſophus. Doricis modulis petulantes & laſcivientes ebrios reſipiſcere cogebat Pythagoras. Stupendam Timothei mileſii induſtriam, quis non miretur; qui Alexandrum pro vario modorum concentu ad arma capeſſenda, mox iterùm deponenda compellebat. Uſque adeò tributum eſt à Cassiodoro muſicæ modis; ut non ſolùm animi affectuum medicina; ſed virtutum etiam promptuaria apud illum audiant: fidem ſanè ſuperat quod tradit de priſcæ muſicæ effectibus; prudentiam, inquit, & caſtitatem impertitur Dorius modus; ſedantur Æolio immania animi pathemata; Ionio miteſcit dolor, & accenſa defervet ira; pacantur demùm Lydio curarum anxietates; dùm ſegnes & metu exanimes excitat modus Phrygius.

Inſuper corybantiſmum, vel choream, ut inquiunt, ſancti Viti, proximè elapſis ſeculis in Germaniâ graſſantem ſola coërcebat muſica. Iſchiaticis molli tibiæ cantu, referente Theophrasto, certam ferebat opem Ismenias. Oſſifragi doloris levamen haud aliundè quàm ex harmoniâ muſicâ deprompſit arthriticus ille Profeſſor, apud Pechlinum. Ex ipſiſmet ferè orci faucibus ereptum Peireschium ſuavi hymni concentu ſcribit Gassendus. Traditur in Actis Academiæ Regiæ Scientiarum quoſdam muſicos delirio febrili correptos concentu muſico, meliùs ſe habuiſſe, & priſtinæ ſanitati præter ſpem reſtitutos fuiſſe; imò & peſſimè delirantes hâc expectatiſſimâ harmoniâ illicò reſipuiſſe. Lethifero tarantulæ morſu afflictos certis in hunc morbum aptatis modulis, ad læta compelli tripudia; hancque ſolam peti medicinam multiplici conſtat experientiâ. Sed numeroſiora exempla recenſere ſuperfluum judicamus; cùm penes nos ſint domeſtica quæ muſices præſtantiam ſat patefaciunt. Nonne infantes vagitibus exagitati muliercularum melo, vel agreſti, ſopiuntur. Nonne ſomnum promovent conciones, recitationes; & aquarum fluentium ſuſurrus. Quibus addere licet, ne aſymbolus videar, nonnullos meæ curæ commiſſos, doloribus & vigiliis conflictatos, harmoniâ ſublevatos fuiſſe; & me ipſum graviſſimo morbo decumbentem egregias modulorum muſicorum vires per triduum haud ſine adſtantium admiratione expertum fuiſſe. Hinc muſicem haud infimum interſedantia locum ſibi vindicare jure colligitur.

HYPNOTICA.

EMPORETICA.

RADICES nymphææ (1), ireos florentinæ, angelicæ. Folia lactucæ, cynogloſſi, chamæpityos, botryos.... Flores nymphææ, papaveris rhœados, ſambuci, verbaſci, lilii, primulæ veris, meliloti. Crocus.... Semina frigida majora, papaveris albi, lactucæ, anethi, aniſi..... Capita papaveris albi (2). Baccæ lauri... Cortex ſimaroubæ. Nux moſchata. Opium. Camphora (3), aſſa fœtida. Tacamahaca... Caſtoreum.... Sperma ceti.... Succinum Nitrum. Borax.

OFFICINALIA.

AQUA nymphææ, papaveris rhœados, liliorum, lactucæ... Syrupus de papavere albo (4), de nymphæâ (5), de papavere rubro, de karabe (6)... Opium noſtras (7). Laudanum (8). Diaſcordium. Theriaca... Pilulæ de cynogloſſo (9), Starkii. Trochiſci de karabe.... Laudanum liquidum; Sydenhami (10)... Liquor anodynus mineralis Hoffmanni (11). Tinctura croci.... Cryſtallus mineralis (12). Tartarus vitriolatus.... Sal volatile ſuccini. Sal ſedativum (13).

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ PULLUM juniorem exenteratum & excorticatum. *Capitum papaveris albi* contuſorum drachmam unam & ſemis. *Foliorum borraginis* manip. unum. Coque in aq. q. ſ. ad libras quatuor. Cola pro potu.

PTISANA.

℞ *Seminum frigidorum majorum* unciam unam. *Amygdalarum dulcium* paria octo. *Seminis papaveris albi* ſemi-unciam. Contunde in mortario ſenſim affundendo *decocti hordei* ferventis libras quatuor. Cola pro uſu.

℞ *Capitum papaveris albi* drachmas tres; *ſeminum frigidorum majorum* unciam unam. Contuſa coque in *aquæ pulli* libris ſex.

HYPNOTICA.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ nymphææ* uncias duas. *Aquæ naphæ* unciam unam. *Syrupi papaveris albi* ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Aquæ liliorum* uncias ſex. *Syrupi capillorum veneris* unciam unam. *Laudani liquidi* guttas duodecim.

℞ *Aquæ papaveris rhœados* uncias duas. *Olei amygdalarum dulcium; ſyrupi de althæâ* ana unciam unam. *Guttas anodynas Sydenhami* numero viginti.

℞ *Aquæ liliorum* uncias quatuor. *Salis ſedativi* à gran. quindecim ad triginta. *Syrupi de nymphæâ* unciam unam.

℞ *Aquæ menthæ* uncias tres. *Salis abſinthii* grana quindecim. *Syrupi limonum* drachmas ſex. *Tincturæ anodynæ Sydenhami* guttas octodecim. Ad vomitum.

℞ *Aquæ florum nymphææ* uncias duas. *Olei amygdalarum dulcium* recentis unciam ſemis. *Syrupi limonum* drachmas ſex. *Tincturæ anodynæ* guttas quindecim. Ad tormina.

EMULSIO.

℞ *Semin. frigid. majorum* drachmas duas. *Seminum violæ* & *papaveris albi* ana drachmam unam. Contunde in ſ. q. *Aquæ papaveris rhœados;* & colaturæ adde *ſyrupi de nymphæâ* unciam unam.

℞ *Seminum frigidorum majorum* drachmas duas. Contunde in mortario ſenſim affundendo *decocti hordei* uncias ſex. Colaturam leviter coque; & adde *laudani liquidi Sydenhami* à guttis quindecim ad triginta.

℞ *Seminum frigidorum* drachmas duas. *Amygdalas dulces* numero quatuor. Cum *aquæ cichorii* unciis ſex. Fiat emulſio, cui adde *ſyrupi papaveris albi* ſemi-unciam; vel *laudani* granum unum.

HAUSTUS.

℞ *Aquæ florum aurantiorum* & *ſyrupi capillorum veneris* ana unciam unam. *Guttas anodynas* à numero quindecim ad viginti. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Laudani*, à grano ſemiſſe ad granum unum. Diſſolve in *ſyrupi althææ* unciâ unâ. Adde aquæ fontanæ uncias quatuor. Pro hauſtu.

℞ *Aquæ cichorii* uncias duas; *ſyrupi limonum* drachmam unam. *Salis abſinthii* ſcrupulum unum. *Laudani liquidi* guttas viginti. Miſce. Fiat hauſtus; ad vomitum.

℞ *Camphoræ* grana duodecim; *ſacchari* drachmam ſemis. In pulverem tenuiſſimum redacta diſſolvantur in *vini* & *aquæ* ana unciis duabus. Adde *laudani liquidi Sydenhami* guttas ſex.

POTIO.

℞ *Camphoræ* drachmam unam. Incende ad integram conſumptionem,

vel donec extinguatur in aquæ librâ ſemiſſe. Cola pro uſu. Doſis ab unciis duabus ad quatuor, pluriès iteranda. Pro melancholicis.

HYPNOTICA.

℞ *Camphoræ pulveratæ* drachmam unam. Superaffunde aquæ ferventis libram unam. Stent in vaſe clauſo donec frigeſcant. Cola pro uſu. Doſis uti ſuprà.

℞ *Camphoræ* drachmam unam; *ſacchari puriſſimi* ſemi-unciam; aquæ bullientis libram unam. *Camphora* primùm cum pauco *ſpiritu vini* teratur, ut molleſcat; deindè cum *ſaccharo*; donec probè miſceantur Demùm aquam ſenſim adde. Frigefacta colatura ad uncias quatuor propinetur.

PULVIS.

℞ *Nitri purificati* ſcrupulum unum. *Camphoræ* grana quatuor. Miſce, pro doſi, etiam vigente febre exhibendâ.

℞ *Salis prunellæ* grana vigenti. *Camphoræ* à granis quatuor ad ſex. *Laudani* à grano ſemiſſe ad granum unum; vel *opii noſtratis* ad grana duo. Miſce.

℞ *Nitri* ſcrupulum unum. *Sacchari ſaturni* à granis quatuor ad octo. *Camphoræ* grana ſex. Miſce. Fiat pulvis. Ad furorem maniacum.

℞ *Croci* & *camphoræ* ana grana tria. *Laudani* à grano ſemiſſe ad granum unum. Miſce.

℞ *Cryſtalli mineralis*; *ſalis ſedativi* ana grana viginti. Miſce. Ad phrenitidem.

Salis volatilis ſuccini; *lapillorum cancrorum fluviat.* ana grana decem. *Camphoræ*; *caſtorei* ana grana ſex. *Laudani* granum unum vel alterum. Miſce pro tribus doſibus, alternis horis exhibendis. Ad cephalalgiam febrilem.

BOLUS.

℞ *Laudani* à grano ſemiſſe ad grana duo. Miſce cum tantillo *theriacæ*, alteriuſve confectionis pro bolo.

℞ *Nitri purificati* grana quindecim. *Camphoræ* grana tria. Fiat bolus cum *ſyrupo de papavere albo*.

℞ *Lapillorum cancrorum fluviatil.* grana octo. *Pilularum de cynogloſſo* recentium grana ſex. Fiat bolus cum *ſyrupo de nymphæâ*.

OPIATA.

℞ *Camphoræ* ſcrupulum unum. *Cremoris tartari* drachmas quatuor. *Salis prunellæ* drachmas duas. *Terebinthinæ* q. ſ. ad opiatam. Pro ſex doſibus, & totidem diebus ad gonorrhœam.

Hypnotica.

COMMENTARIA.

(1.) Nymphæa alba (& lutea) major, C. B. pin. (*Nénuphar*).

Scitur luteam eſſe vulgatiorem; & albam pluris haberi. Utriuſque flores & radices in uſum veniunt; atque in ordine refrigerantium, demulcentium & anodynorum jure locum obtinent; ideò deprædicantur in pervigiliis, præſertim febrilibus: laudantur in tuſſi catarrhali aſperitate bronchiorum ſtipatâ: ſummum juvamen afferunt in ſtranguriâ, pollutionibus nocturnis, gonorrhœâ; utriuſque ſexûs ſalacitate, &c. Uſurpantur radices ſiccæ in decocto ad ſemi-unciam circiter pro quâque librâ. Præſcribuntur flores in infuſo ad pugillum unum vel alterum pro eâdem aquæ copiâ. Sed uſitatior eſt aqua diſtillata ab unciis duabus ad ſex. Proſtat etiam in officinis ſyrupus, de quo infrà.

(2.) *Papaver* hortenſe ſemine albo ſativum Dioſcoridis, album Plinii, C. B. pin. (*Pavot blanc*).

Capita papaveris, quæ in regionibus orientalibus opium præbent; inter hypnotica primatum ducunt: hinc dolores leniunt, vel fugant; tuſſim ſedant, & alvi fluxum ſiſtunt. Coquuntur per horæ quadrantem in juſculo, aliove hauſtu ab ſcrupulo uno ad duos, imò & drachmam unam. Eâdem ratione ingrediuntur ptiſanas & apozemata. Hæc methodus præſcribendi papaver fortè cæteras antecellit; ac pluribus qui ægrè ferunt laudanum, & diacodium, optimè cedit. Ad drachmam unam vel alteram enemata ingrediuntur prædicta capita. Notare expedit quòd ab imperitis numero præcipiantur haud ſine maximo ægrotantium periculo; cùm nonnulla occurrant quæ vix ad ſemi-drachmam accedunt, dùm proſtant inter cætera, quæ drachmas duas ſuperant: undè emergit in doſi error craſſiſſimus, qui ægrum ad libitinæ rationem ducere valet. Legere eſt in hiſtoriâ plantarum, quæ Boerhaavio adſcribitur, duas uncias prædictorum capitum æquipollere granum opii: undè incauti, fide tanti viri, in hunc errorem, fortè typographicum, incidere poſſunt. Semina papaveris, tanquàm condimentum gratiſſimum habita, apud veteres, ſunt tantiſper anodyna; atque demulcentium & pectoralium claſſem ſubeunt. A drachmis duabus ad tres ingrediuntur emulſiones. De ſyrupo infrà.

(3.) *Camphora*, de quâ altum apud Græcos ſilentium, eſt quædam reſinæ ſpecies leviſſima, albicans & translucida, odore fragrantiſſimo, ſapore acuto, cum nonnullâ amaritie, & quodam frigiditatis ſenſu. Flammam, vel in aquâ, facillimè concipit, & tota combuſta evaneſcit; tantâque volatilitate gaudet, ut in lagenis vitreis ritè obturatis, vix ſervari poſſit. Extrahitur, ut perhibent, decoctionis ope è ligno & radicibus cujuſdam lauri proceræ ſinenſis & japonenſis; de quâ Linnæus. Atque rarò ad nos tranſvehitur, niſi priùs à ſordibus, ſublimatione, purgata. Inter

exquiſitiora

exquiſitiora præſidia, tùm interna, tùm externa jure numeratur: ſedantium ſpaſmodicorum claſſem ſubit: in diaphoreticorum & alexiteriorum ordine recipitur, atque in antiputridorum ſerie præcipuum locum obtinet. Laudatur præſertim ubi haud citrà quoddam periculum exhiberi queunt opiata, quorum ſuccedanea audit. Summè deprædicatur in anginâ gangrænosâ, febribus malignis, & peſtilentialibus, variolis, aliiſque affectibus, ut inquiunt, mali moris. Conducit in gonorrhœâ & fluore albo; juvamen præſtat in pollutionibus nocturnis; libidinem compeſcit; valet in hæmorrhagiâ & præſertim hæmoptyſi: delirium ſedat; convulſiones domat; atque ſomnum accerſit. Laudatur demùm in affectione hypochondriacâ & hyſtericâ; in aſthmate convulſivo; cordis palpitatione, &c.

HYPNOTICA.

Haud tamen planè innoxia cenſeri debet, cùm nonnunquàm caput gravet, & ſtomachum lædat: illius uſum ægrè ferunt nonnullæ mulieres; non ſecùs ac quidam litterati. Nitrum cui optimè ſociatur, pro ejus correctorio, à primi ſubſellii practicis habetur: acetum eamdem vim habere multiplici experientiâ comprobatum manet. Doſis camphoræ à granis quatuor ad ſex accedit, quam pluriès iterare licet; haud ultrà tamen viginti grana, ſub pulveris, boli, &c. formâ, per diem exhiberi debent: ſunt qui camphoram diſſolvunt in oleo amygdalarum dulcium, ratione decem granorum pro quâque olei unciâ. Alii aquam camphorâ inficiunt, ad quod opus cum tantillo ſpiritûs vini rectificati teritur ut molleſcat; dein cum duplo ſacchari, donec perfectè miſceantur, ac demùm aquam ſenſim addunt: colatura frigida ſervetur in vaſe ritè operto. Neminem enim fugit hanc materiem reſinoſam haud diſſolvi niſi in oleo & aquis ardentibus. Cujuſdam Pharmacopœi incuriâ hujuſce ſubſtantiæ ſcrupulos duos, abſque noxâ exhibitos fuiſſe narrat Hoffmannus. Hanc ad ſemi-drachmam bis per diem, cum felici ſucceſſu aliquandiù ſumpſiſſe maniacum furentem fertur. Nonnulli quos torquent inſomnia benè ſe habent ab hauſtu aquæ, in quâ extinctum fuit incenſum hujuſce reſinæ fruſtum, ponderis viginti circiter granorum. Latiſſimus eſt camphoræ uſus externus; præſentiſſimum enim remedium adversùs putredinem & gangrænam: inſuper inter reſolventia & diſcutientia præcipuum locum obtinet; atque quotidiè fauſtè uſurpatur, in contuſione, ecchymoſi & eryſipelate: ſanguinemque à quâvis causâ recèns ſtagnantem reſolvit; laudatur in ambuſtione; fugat exanthemata ſcorbutica; niſi ipſi denegatur vis anodyna. Scitur paucis abhinc annis, hanc ſubſtantiam optimè ſociari hydrargyro; licèt intùs adhibeatur, vel extùs admoveatur; & opportunè addi ad ſcrupulum unum, unguenti mercurialis, anaticâ proportione confecti, unciæ uni. Nonnulli contagium arcere autumant geſtando fruſtum camphoræ. De ejuſdem, amuleti inſtar, è collo ſuſpenſæ vi febrifugâ nil addimus; cùm experientiâ non confirmetur. *Vid.* Aqua vitæ, ſpiritus, oleum, &c.

Hypnotica.

(4.) *Syrupus de papavere albo*; aliàs diacodium, ſimpliciſſimâ capitum, è ſeminibus purgatorum, decoctione ex arte paratur. Narcoticum eſt præſtantiſſimum & uſitatiſſimum; quo ſæpiùs movetur diaphoreſis. Ideò inſomnium arcet, dolores acutiſſimos mitigat, tuſſim compeſcit; hæmoptyſicis ſuccurrit; dyſenteriæ & alvi profluvio medetur, &c. à drachmis duabus, ad ſemi-unciam, ad ſummum, nec ultrà, ni ſinat conſuetudo.

(5.) *Syrupus de nymphæâ* emergit è duplici florum infuſione, cum ſaccharo, juxtà ſolitum proceſſum coquendâ. Pro anodyno & refrigerante, nemine refragante, habetur. Haud inutilem opem confert in alvi fluxu, atque tanquàm antiaphrodiſiacum eximium celebratur. Doſis à ſemi-unciâ, ad unciam unam, & ultrà.

(6.) *Syrupus de karabe* è ſuccino & opio conficitur; quæ materies poſt intimam miſcellam ignis ope factam, in pulverem rediguntur; & in aquâ cum ſaccharo coquuntur. Vel rectiùs juxtà codicem pariſienſem paratur ſyrupus de opio ſimpliciſſimus, cui immiſcetur ſpiritus ſuccini. E perſpectâ compoſitione facilè intelligitur, cur ad ſedantium & antiſpaſmodicorum gradum promoveatur; ideò hypochondriacis & hyſtericis ſuccurrit; atque fauſtè ſæpiùs uſurpatur in morbis pectoris. Præſcribitur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis.

(7.) *Opium noſtras* ſimpliciſſimâ arte paratur è capitibus ſiccis papaveris albi hortenſis, ob egregios flores apud nos vulgatiſſimi. Per biduum ſcilicèt infunduntur prædictorum capitum, exemptis ſeminibus contuſorum, unciæ duæ in aquæ libris octo, lagenam identidem agitando: dein trajicitur cum expreſſione liquor, & evaporationi committitur balneolo, ut ad libram circiter unam redigatur; quæ iterùm tranſcolatur: proindè catinis vel orbibus fictilibus vulgatioribus exceptum hoc infuſum ulteriori difflationi, etiam balneolo, traditur; vel extracti ſicci inſtar exſiccatur. Cavis orbibus firmiter hærens hæc materia cuſpide ferreo everritur, ut illicò in lagenam vitream, ritè clauſam, includatur. Non ſecùs ac opium orientale & laudanum officinarum, dolores lenit, ſomnum conciliat & perſpirationi favet; vomitum compeſcit, cuicumque alvi fluxui medetur, & prodeſt in ſanguinis profluviis id genus opium; quod aliàs placidiùs vires ſuas exerit; & nulla aut leviora poſt ſe trahit incommoda. Hinc cæteris hypnoticis præſtare conſectarium manet. Præſcribitur à granis duobus ad grana quatuor, vel per ſe, vel aliis ſedantibus admixtus; adjunctorum, uti par eſt, habitâ ratione.

(8.) *Laudanum*, quod à laudibus quas meretur nomen fortè accepit, nil aliud eſt quàm extractum ſiccum opii, priùs ſoluti in vino albo; quæ ſolutio trajicitur cum expreſſione, & evaporationi, igne lento, committitur. Opium orientale hâc methodo depuratum tutiùs ad uſum internum trahi creditur. Futiles alias eſſe opii præparationes & correctiones candidè declararunt Tralles & Geoffroi. Sola, inquiunt præclari Authores,

requiritur purgatio à terrâ, ſordibus, aliiſque inquinamentis quibuſcum ad nos ſolet pervenire; cùm nihil in opio veneni recondatur, niſi vis ſomnifera; nec hinc ab eo nudo reformidandum, ſi tempeſtivè & doſi congruâ adhibeatur. A pluribus tamen prioris notæ laudatur opii correctio per caſtoreum, quibus multiplici experientiâ edocti calculum noſtrum addere non gravamur. Laudanum vino & liquoribus ſpirituoſis analogum dolores lenit, ſomnum accerſit; perſpirationem movet; & non ſecùs ac opium, de quo infrà, confert in ſingultu, vomitu, diarrhœâ, & ſanguinis alvi profluviis. Cautè tamen, uti cætera hypnotica, præſcribi debet; ne leniendo ſymptomata morbum occultet; gangrænamque vel paralyſim ſub nonnullis caſibus poſt ſe trahat. Doſis à grano ſemiſſe, & infrà; ad grana duo: ipſi ſæpiùs additur caſtoreum, quod, uti jam innui, pro ejus egregio correctore habetur. Tutior eſt laudani uſus, ſi doſi minimâ, quartâ ſcilicèt grani parte, vicibuſque repetitis exhibeatur. Nemo neſcit quod opio vel laudano adſueti majorem doſim ferre queunt: nec deſunt exempla variorum utriuſque ſexûs qui poſt diuturnum narcotici uſum, ad integram drachmam accedunt; quam intrà viginti quatuor horas, citrà noxam, deglutiunt: nec impedit hic immodicus opii uſus quin illæſis ſenſibus & viribus ad ultimam ſenectutem proveniant: ut ſileamus de Orientalibus, quibus longâ conſuetudine ita familiare redditur opium, ut hoc ad plures drachmas innoxiè vorent. Illud per tranſennam notare juvat, laudanum aliaque opiata haud niſi quandòque poſt duodecim vel viginti quatuor horas, ſuum effectum exerere; quod altâ mente tenere debent inexperti.

HYPNOTICA.

(9.) *Pilulæ de cynogloſſo* incongruè ſic vocitantur; cùm ſuas vires ab hâcce ſtirpe minime mutuentur, uti titulus primâ fronte indicare videtur; ſed ab opio, ſemine hyoſcyami, croco & caſtoreo. Hinc patet cur inter narcotica & antiſpaſmodica numerentur; atque auxilio ſint hypochondriacis & hyſtericis. Præterea in familiarem uſum veniunt in variis tùm capitis, tùm pectoris fluxionibus. Doſis à granis duobus ad octo; quæ tutiùs partitis vicibus exhibetur; ni urgeant ſymptomata.

(10.) *Laudanum liquidum* SYDENHAMI, nonnullis guttæ anodynæ, paratur ſimplici infuſione, per plures dies, opii, croci, cinnamomi, & caryophyllorum in vino hiſpanico. Præter vim hypnoticam, inter roborantia, & ſtomachica recenſetur: prodeſt ſub dyſenteriâ, alvi fluxu & hypercatharſi. Conducit in variolis, febribus malignis, aliiſque morbis, ubi de reficiendis viribus opus eſt. A pluribus decantatur tanquàm febrifugum, ſi à guttis quindecim ad triginta exhibeatur, horâ antè paroxyſmum. Aliàs à guttis octo ad viginti & ultrà, præſcribitur in hauſtu congruo. SYDENHAMUS, ſummus opii fautor, hanc præparationem, quaſi præſtantiorem, familiariſſimè uſurpabat; quæ tamen, ut verum fateamur, haud alium effectum edit; nec cæteris minùs eſt pertimeſcenda. Etenim ultrà omne dubium poſitum eſſe videtur opiata, quorum uſus in

Hypnotica.

praxi fortè crebrior, diutiúſque quàm par eſt protelatus, ſæpiùs nocere quàm prodeſſe. Temporarium ſanè levamen adferunt, ſymptomata ſopiendo, brevi regreſſura, intactâ morbi causâ. Præterea morbi characterem, uti ſuprà innuimus, ſpiſsâ ſæpiùs caligine obnubilant; nec raro aliena ſymptomata excitando, morbum exaſperant; ſalubrioraque naturæ conamina infirmant, vel infringunt; adeò ut quandoque accidat ut morbus periculo vacans, hoc medicationis genere lethalis evadat.

(11.) *Liquor anodynus mineralis* Hoffmanni paratur oleo vitrioli & ſpiritu vini; è quibus accuratè mixtis, & diſtillationi commiſſis, prodeunt 1°. ſpiritus vini, eximendus & ſervandus; 2°. ſpiritus volatilis fragrantior ſeorſim excipiendus; 3°. phlegma acidum rejiciendum; poſtremò verò oleum dulce vitrioli, è phlegmate accuratè ſeparandum. Si priorum ſpirituum ſimul mixtorum unciis duabus addantur olei dulcis vitrioli guttæ duodecim, emergit prædictum anodynum minerale; quod inter præſtantiora remedia recenſetur: efferos enim ſpirituum motus compeſcit; ſomnumque conciliat vires reficiendo: præcipuum inſuper locum meretur in ſtomachicorum & carminantium ordine. Illud addere juvat quòd planè innoxium reſpectu cerebri deprehendatur; cur minime mirari ſubit ſi ſæpè ſæpiùs opiatis palmam præripiat. Præſcribi ſolet à guttis decem ad triginta, in hauſtu congruo. Notare juvat quòd ſi diù & improvidè ſervetur prædictus liquor, acidum vitriolicum ſiſtat evolutum, & quaſi reviviſcens.

(12.) *Cryſtallus mineralis*, vel ſal prunellæ, nil aliud eſt quàm nitrum, ut inquiunt, purificatum liquatione in crucibulo, identidem injectis floribus ſulphuris, ut hujuſce mineralis acido impregnetur. Sedantium & refrigerantium ſeriem ingreditur; atque diureticum eximium audit. Anodyni mineralis, annuente Stahlio, nomen ſibi vindicat ſal prunellæ, quod in familiariſſimum uſum cedit ſub febribus ardentibus: mira præſtat in morbis acutis; ubi lotium ægrè ſecernitur. Eamdem opem præſtare videtur nitrum; ſed dubitare licet nùm ſal prunellæ haud majori efficaciâ gaudeat. Datur à granis decem ad viginti in hauſtu congruo; vel additur ad ſemi-drachmam, cujuſvis ptiſanæ libris duabus: vulgò demùm recipitur in hauſtibus & potionibus catharticis. Quoad uſum externum gargariſmata anginoſa ingreditur, non ſecùs ac enemata refrigerantia, ad leniendum ſcilicèt interaneorum æſtum parata.

(13.) *Sal ſedativum* Homberg, duplici modo parari ſolet, ſublimatione & cryſtalliſatione. Quoad primum proceſſum; colcothar è vitrioli diſſolutione reſiduum, & borax, poſt ſolutionem in aquâ fervente, diſtillationi committuntur; quâ peracta, notiſſimâ arte ſublimatur ſal: materia ſuperſtes iterùm aquâ ſoluta, aliis diſtillationibus & ſublimationibus ſubjicitur; donec effœta maneat. In altero progreſſu; oleum vitrioli & borax, in aquâ fervente ſoluta, diſtillationi & ſublimationi, ſemel, aut bis traduntur; poſteà materia ſuperſtes, aquâ diluta, eva-

porationi committitur, ut emergant cryſtalli: utrumque uſurpatur; ſed pluris habetur ſublimatum. Nonnulli Chymici prioris notæ in eâ ſunt opinione, ut ſal ſedativum è ſolo borace prodeat; hinc quidpiam retinere è vitriolo planè negant: ſed de hiſce litibus parùm ſolliciti, illud dubium in medio relinquimus; ut ad certiora deveniamus. Sal ſedativum deprædicatur ad compeſcendum inordinatum ſpirituum motum, & leniendum humorum æſtum in febribus ardentibus; præſertim ubi viget delirium: egregiè ſe gerit in morbis convulſivis & ideò ſummam opem præſtat hypochondriacis & hyſtericis. Præſcribi ſolet à granis duodecim ad ſemi-drachmam, & ultrà.

HYPNOTICA.

ANTISPASMODICA, HYSTERICA ET EPILEPTICA.

VARIÆ ſanè quidem indolis, ſed viribus cognata, medicamina, epilepſiam, hyſterim, hypochondriaſim, alioſque morbos convulſivos reſpicientia; unâ, eâdemque claſſi, colligere operæpretium judicavimus. Eorum agendi modum conſultò prætermittimus; cùm etiam nunc, quidquid obganniant Phyſico-Medici, in cimmeriis lateat tenebris. Si aliquid tamen in re tam obſcurâ conjicere liceat; facilè crediderimus, ad hypnotica proximè accedere; cùm ſuum effectum exerere videantur, ſpirituum ataxiam cicurando; vel inordinatum eorum motum compeſcendo, impetumve retundendo. Nunc celeriùs, nunc tardiùs ſuam opem præſtant antiſpaſmodica: ſed hypnoticis tutiùs plerúmque uſurpantur. A ſolertioribus clinicis ſæpiùs conſociantur utraque medicamina; nec infelici ſucceſſu. Licèt hæc omnia tàm emporetica, quàm officinalia quæ in noſtris tabulis locum habent, adversùs omnes fermè affectus ſpaſmodicos exhiberi queant; delectu tamen opus; cùm nonnulla occurrant quæ hyſteri & epilepſiæ ſpeciatim dicantur; quod tùm in ſerie magiſtralium, tùm in commentariis ſedulò notare curavimus.

Antispasmodica.

EMPORETICA.

Radices pæoniæ maris ([1]), valerianæ ſylveſtris ([2]), & hortenſis ([3]), viperinæ, fraxinellæ ([4]), imperatoriæ, angelicæ; cyperus longus.

Folia artemiſiæ ([5]), matricariæ, rutæ, alliariæ ([6]), meliſſæ ([7]), menthæ, marrubii albi; ſalviæ, ſclareæ, tanaceti, origani, chamæpityos, botryos, millefolii, verbenæ, aurantiorum.

Flores tiliæ ([8]), gallii lutei ([9]), ſambuci, calendulæ, primulæ veris ([10]), lilii convallii ([11]), ſtœchados arabicæ, chamæmeli, hyperici, roriſmarini, caryophyllorum; crocus.... Semen pæoniæ, agni caſti ([12]); ſantonicum.... Cortex mali citrei, baccæ juniperi.... Kinakina, caſcarilla, cinnamomum.... Simarouba, viſcum quercinum ([13]).... Fuligo ([14]), camphora.... Aſſa fœtida, myrrha, galbanum, gummi ammoniacum.... Caſtoreum ([15]), moſchus, zibethum ([16]). Cranium humanum ([17]), ungula alcis ([18]).... Lapilli cancrorum, corallium... Petroleum, ſuccinum.... Nitrum, cinnabaris.

OFFICINALIA.

Aqua florum aurantiorum, florum tiliæ, meliſſophylli, menthæ, matricariæ.... Aqua meliſſæ compoſita ([19]), Reginæ Hungariæ... Syrupus de artemiſiâ, mercurialis, de ſtœchade, de betonicâ, de karabe.... Pulvis antiſpaſmodicus ([20]), de guttetâ ([21]), lumbricorum.... Conſerva florum aurantiorum, extractum juniperi.... Mithridatium ([22]), electuarium de baccis lauri ([23]).... Pilulæ de cynogloſſo, benedictæ Fulleri ([24]).... Tinctura caſtorei ([25]), ſuccini ([26]), croci, elixirium proprietatis ([27]).... Spiritus volatilis cornu cervi ſimplex, & ſuccinatus, ſpiritus ſalis ammoniaci; aqua dicta *de Luce*... Eſſentia antihyſterica ([28]), guttæ anglicæ.... Liquor anodynus mineralis Hoffmanni... Æther vitriolicum.... Oleum buxi, ſuccini, lavandulæ.... Sal volatile cornu cervi, ſuccini ([29]), flores benzoini.... Sal ſedativum, ſaturni, cinnabaris antimonii.... Pulvis temperans Stahlii.

MAGISTRALIA.

AQUA CAMPHORATA.

℞ Camphoræ drachmas duas. Incende & ſæpè extingue in aquæ librâ unâ; ad integram camphoræ conſumptionem. Cola pro duabus vel tribus doſibus. Ad hypochondriaſim.

PTISANA.

℞ *Radic. graminis* & *valerianæ* ſylveſtris ana unciam unam. *Capillorum veneris* manip. unum. *Liquiritiæ* ſemi-unciam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Fiat ptiſana ad epilepſiam.

JULAPIUM.

℞ *Aquæ artemiſiæ* uncias quatuor. *Aquæ florum aurantiorum* uncias duas. *Tincturæ caſtorei* guttas duodecim. *Syrupi de artemiſiâ* unciam unam. Fiat julepus, cui addere licet *ſalis volatilis ſuccini* grana octo; vel totidem guttas *laudani liquidi.*

℞ *Aquæ meliſſophylli* uncias ſex. *Trochiſcorum de karabe* ſcrupul. unum. *Syrupi de artemiſiâ* & *cydoniorum* ana ſemi-unciam.

℞ *Aquæ florum tiliæ* uncias quatuor. *Syrupi de ſtœchade* & *papaveris albi* ana ſemi-unciam; *ſpiritûs ſalis ammoniaci* guttas duodecim.

℞ *Aquæ bardanæ* uncias ſex. *Aquæ florum aurantiorum* unciam unam. *Liquoris anodyni mineralis; tincturæ caſtorei* ana guttas quindecim. *Syrupi limonum* ſemi-unciam.

HAUSTUS.

℞ *Foliorum meliſſæ hortenſis* pugill. unum. Infunde in aquæ ferventis unciis ſex. Adde *ſyrupi florum aurantiorum* unciam unam. Miſce. Fiat hauſtus.

℞ *Ætheris vitriolici* à guttis ſex ad octo. *Saccharo* q. ſ. excipiatur, ſolvendo in *aquæ florum aurantiorum tepidæ* unciis duabus; ad hauſtum illicò exhibendum. Hypochondriacis & hyſtericis ſummè prodeſt.

℞ *Aquæ florum aurantiorum* uncias tres. *Tincturæ caſtorei* guttas viginti. *Laudani liquidi* guttas decem. *Syrupi de betonicâ* unciam unam.

℞ *Aquæ naphæ* uncias duas. *Elixirii proprietatis; tincturæ caſtorei* ana guttas decem. *Laudani liquidi* guttas octo. *Syrupi de ſtœchade* unciam unam.

℞ *Camphoræ* in tantillo olei amygdalarum dulcium ſolutæ grana octo. *Aquæ papaveris rubri* uncias tres. *Syrupi de althæâ* ſemi-unciam. Miſce pro hauſtu.

ANTISPASMODICA.

℞ *Aquæ papaveris* errat. uncias duas. *Aquæ florum aurant.* unciam unam. In his extingue (ad integram conſumptionem) *camphoræ* accenſæ ſcrupulum unum.

℞ *Aquæ matricariæ* uncias tres. *Aquæ florum aurantiorum* unciam unam. *Pulveris de guttetâ*; *ſuccini præparati* ana grana decem. *Spiritûs volatilis cornu cervi* guttas ſex.

℞ *Aquæ betonicæ* uncias quatuor. *Boracis* ſcrupulum unum. *Tincturæ myrrhæ* guttas decem. *Sacchari* ſemi-unciam. Miſce. Fiat hauſtus.

MIXTURA.

℞ *Spiritûs ſalis ammoniaci* drachmas duas. *Tincturæ caſtorei* & *ſuccini* ana unciam ſemis. Miſce ad uſum. Doſis à guttis viginti ad quadraginta; ex *vino*, vel *aquâ florum aurantiorum*. Ter quaterve in die exhibeatur; ſi nonnulla ſe ſe produnt futuræ epilepſiæ inchoamenta.

POTIO.

℞ *Infuſi foliorum meliſſæ hortenſis* uncias ſex. *Aquæ florum aurantiorum* unciam unam. *Aquæ cinnamomi* drachmam unam. *Syrupi de artemiſiâ* unciam unam. *Tincturæ caſtorei* guttas viginti. *Olei ſuccini*, in ovi vitello ſoluti guttas ſex. Miſce. Capiat ex cochleari.

℞ *Infuſi florum tiliæ* uncias ſex. *Syrupi caryophyllorum* unciam unam. *Anodyni mineralis* ſemi-drachmam. Fiat potio cochleatim ſumenda.

℞ *Infuſi foliorum menthæ* uncias ſex. *Tincturæ myrrhæ* & *caſtorei* ana ſemi-drachmam. *Spiritûs volatilis cornu cervi* ſcrupulum unum. *Mithridatii* drachmam unam. Fiat potio è cochleari.

APOZEMA.

℞ *Viſci quercini* & *radicum valerianæ ſylveſtris* ana drachmas ſex. *Radic. pæoniæ maris* drachmas duas. *Florum tiliæ* & *gallii lutei* ana pugillum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi mercurialis* uncias duas. Fiat apozema ad epilepſiam.

℞ *Viſci quercini* & *radic. ſiccar. caryophyllatæ* ana ſemi-unciam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *foliorum meliſſæ*; *florum tiliæ* ana pugillum unum. In colaturâ diſſolve *ſyrupi de ſtœchade* uncias duas. Fiat apozema ad eumdem morbum.

JUSCULUM.

℞ *Radicum ſiccarum enulæ campanæ* & *pæoniæ maris* ana drachmam unam. *Foliorum cichorii* & *meliſſæ* ana manipulum unum. *Aſellos* vivos & lotos numero viginti. Fiat juſculum cum fruſto *carnis vitulinæ*. In primo cochleari diſſolve *tartari martialis ſolubilis* grana quindecim. Superbibendo reliquum.

℞ *Radicum ſiccarum valerianæ ſylveſtris*, & *gentianæ* ana drachmam unam. *Seminum pæoniæ maris* paria decem. *Cancrorum fluviatilium* paria duo.

duo. *Foliorum tanaceti* manip. unum. Fiat juſculum cum pullo. Sub finem adde *florum gallii lutei* pugillum unum.

ANTISPASMODICA.

PULVIS.

℞ *Pulveris de guttetâ* grana quindecim. *Croci martis aperientis* grana octo Miſce. Capiat ex aquâ florum aurantiorum.

℞ *Pulveris de guttetâ* grana duodecim. *Succini præparati* grana octo. *Croci orientalis* grana quatuor. *Caſtorei* grana duo. Miſce. Fiat pulvis.

℞ *Radicum Angelicæ ; ſeminum anethi* ana ſemi-drachmam. *Caſtorei* ſcrupulum unum. *Camphoræ* grana ſex. Miſce. Fiat pulvis, pro duplici doſi.

℞ *Caſcarillæ* & *cinnamomi* ana ſcrupulum unum. *Croci orientalis* grana ſex. *Boracis* ſemi-ſcrupulum. Miſce pro duabus doſibus.

℞ *Lapillorum cancrorum fluviat.* grana decem. *Salis volatilis ſuccini* grana octo. *Camphoræ ; caſtorei* ana grana tria. *Laudani* à grano ſemiſſe ad granum unum.

℞ *Corallii præparati* ſemi-unciam. *Viſci quercini* ; *radicum pæoniæ maris* ana drachmas duas. *Caſtorei* drachmam unam. Miſce. Fiat pulvis. Cujus doſis ad ſemi-drachmam pluriès in die.

℞ *Viſci quercini ; radic. valerianæ ſylveſtris* ana unciam unam. *Florum tiliæ* & *lilii convallium* ana ſemi-unciam. *Salis ſedativi* & *ammoniaci* ana drachmas tres. Miſce. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Cinnabaris antimonii , æthiopis mineralis conflagrati* ana drachmam unam. *Concharum præparatarum* drachmas duas. *Caſtorei* ſcrupulos duos. *Salis volatilis cornu cervi* ſcrupulum unum. Miſce pro pulvere cujus doſis à drachmâ ſemiſſe ad ſcrupulos duos.

BOLUS.

℞ *Pulveris de guttetâ* & *antimonii diaphoretici* ana grana decem. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de ſtœchade.*

℞ *Succini præparati* ſemi-drachmam. *Caſtorei* ; *myrrhæ* ana grana duodecim. *Croci* grana quatuor. *Olei lavandulæ* guttas duas. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de artemiſiâ.*

℞ *Mithridatii* ſcrupulum unum. *Aſſæ fœtidæ* & *Caſtorei* ana grana ſex. *Camphoræ* & *ſalis ſedativi* ana grana quatuor. *Spiritûs volatilis cornu cervi* guttas ſex Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo mercuriali.*

℞ *Laudani* & *aſſæ fœtidæ* ana grana duo. *Olei ſuccini* gutt. unam. *Syrupi de artemiſiâ* q. ſ. ad bolum hyſtericum.

℞ *Serpentariæ virginianæ* grana quindecim ; *caſtorei* grana octo ; *camphoræ* grana quatuor. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de artemiſiâ.*

℞ *Cinnabaris antimonii ; kinækinæ* ana grana quindecim. *Succini præparati* ; *ſalis abſinthii* ana grana decem. Fiat bolus cum *ſyrupo de cichorio.*

ANTISPASMODICA.

℞ *Pulveris de guttetâ, radicum valerianæ ſylveſtris, & aſellorum præparatorum* ana grana duodecim. Miſce. Fiat bolus cum *ſyrupo de abſinthio.*

O P I A T A.

℞ *Rhei* drachmam unam. *Croci martis aperientis, aſellorum præparatorum, radicum valerianæ ſylveſtris, & pulveris de guttetâ* ana drachmam ſemis. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo florum aurantiorum.* Pro quatuor doſibus.

℞ *Croci martis aperientis* unciam ſemis; *caſſiæ ligneæ, rhei, radicum pæoniæ maris & valerianæ ſylveſtris* ana drachmas duas. *Croci orientalis* drachmam unam. *Boracis* drachmam ſemis. In pulverem redacta & probè mixta cum *ſyrupo de cichorio compoſito*, ſubigantur ad opiatam; cujus doſis ad drachmam unam vel alteram.

℞ *Conſervæ kynorrhodon*; *caſtorei* ana drachmam unam & ſemis. *Aſſæ fœtidæ; ſalis abſinthii* ana drachmam unam. *Myrrhæ electæ; ſuccini præparati* ana ſemi-drachmam. *Laudani liquidi* ſcrupulum unum. Fiat opiata cum *ſyrupo capillorum veneris.* Pro ſex vel octo doſibus.

℞ *Extracti gentianæ; croci martis aperientis* ana drachmas duas. *Gummi ammoniaci; myrrhæ* ana drachmam unam & ſemis. *Salis abſinthii* drachmam unam. *Croci orientalis* ſcrupulos duos. *Syrupi de artemiſiâ* q. ſ. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Conſervæ radic. enulæ campanæ* ſemi-unciam. *Radic. valerianæ ſylveſtris; caſcarillæ* ana drachmas duas. *Aſellorum præparatorum* drachmam unam & ſemis. *Pulveris de guttetâ* drachm. tres. *Syrupi de cichorio compoſiti* q. ſ. Doſis à drachmâ unâ ad unam & ſemis.

℞ *Corticis peruviani* drachm. ſex. *Radic. ſerpentariæ virginianæ* drachmas duas. *Raſuræ eboris* drachmam unam & ſemis. *Rhei* electi; *corticum aurantiorum* ana drachmam unam. Fiat opiata cum *ſyrupo mercuriali.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Kinækinæ* drachm. tres. *Radic. valerianæ ſylveſtris; viſci quercini* ana drachmas duas. *Corallii præparati; cranii humani* violentâ morte extincti ana drachmam unam & ſemis. *Antimonii diaphoretici* drachmam unam. Fiat opiata cum *ſyrupo de abſinthio.* Doſis ad drachmam unam vel alteram.

℞ *Radic. & ſeminum pæoniæ maris* ana ſemi-unciam. *Viſci quercini* drachmas tres. *Lapillorum cancrorum*; *cornu cervi præparati* ana drachmas duas. *Antimonii diaphoret. cinnabaris factitii* ana drachmam unam. Fiat opiata cum *ſyrupo capillorum veneris.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Corallii præparati; terræ Japonicæ* ana ſemi-unciam. *Cinnabaris antimonii* drachm. tres. *Viſci quercini; caſtorei* ana drachmas duas. *Seminum rutæ & pæoniæ* ana drachmam unam. *Salis volatilis ſuccini* ſemi-drachm. *Cinnamomi* ſcrupulum unum. *Syrup. de ſtœchade* q. ſ. Doſis à drachm. ſemiſſe ad drachmam unam.

℞ *Radicum pæoniæ maris* & *valerianæ ſylveſtris* ana ſemi-unciam. *Corticis peruviani* drachmas ſex. *Pulveris de guttetâ ; corallii præparati* ana drachmas tres. *Rhei* electi ; *ſuccini præparati* ana drachmas duas ; *æthiopis mineralis* drachmam unam & ſemis. *Cinnabaris* drachmas duas. *Caſtorei* drachmam unam. Fiat opiata cum *ſyrupo de gentianâ*. Doſis ad drachmam unam. ANTISPASMODICA.

℞ *Croci martis* unciam unam & ſemis. *Radic. pæoniæ maris* unciam unam. *Kinakinæ* drachmas ſex. *Cinnabar. factitii* drachmas tres. *Æthiopis mineralis* conflagrati drachmas duas. *Caſtorei* drachmam unam. *Extracti rhabarbari* drachmam unam. Miſce. Fiat opiata cum *ſyrupo de ſtœchade*. Doſis ad drachmam unam.

℞ *Croci martis* drachmas tres. *Radicum valerianæ ſylveſtris* drachmas duas. *Cinnabaris antimonii* drachmam unam & ſemis. *Jalapæ* & *diacrydii* ana drachmam unam. *Trochiſcorum alhandal.* grana duodecim. Fiat opiata cum *ſyrupo de cichorio* cum rheo. Doſis ad drachmam unam.

PILULÆ.

℞ *Caſtorei* & *aſſæ fœtidæ* ana ſcrupulum unum. *Myrrhæ* electæ ſemidrachm. *Croci orientalis* ſcrupulum unum. *Camphoræ* ſcrupulum ſemis. *Theriacæ* q. ſ. ad conficiendam maſſam pilularem. Doſis à granis octo, ad ſcrupulum ſemis ; pluriès in die.

℞ *Terebinthinæ venetæ ; gummi ammoniaci ; galbani* ana drachmam unam. *Caſtorei* ſcrupulos duos. *Cinnamomi ; ſalis volatilis ſuccini* ana ſemidrachm. *Ambræ cineritiæ* grana quatuor. Fiant pilulæ cum *mithridatio*, de quibus utatur uti ſuprà.

℞ *Aſſæ fœtidæ* drachmas duas. *Aloës ſoccotrinæ*, *zingiberis*, & *ſalis martis* ana drachmam unam. Accuratè miſceantur & conficiantur pilulæ cum *elixirii proprietatis* q. ſ. Doſis à granis quindecim ad viginti, ſerò ante decubitum. Medentur alvo adſtrictæ quâ conflictantur hypochondriaci.

COMMENTARIA.

(1.) PÆONIA folio nigricante ſplendido, quæ mas, C. B. pin. (*Pivoine*).

Radices & ſemina, de quibus multa ſuperſtitioſa finguntur, inter antiepilectica celebrantur; nec ipſis denegatur locus in ſerie antihyſtericorum. Commendantur adversùs convulſiones & pavores nocturnos infantum. Suam etiam virtutem antiepilepticam exercere radicem de collo, amuleti inſtar, ſuſpenſam aſſerere minime dubitarunt GALENUS, FERNELIUS; aliique haud inferioris notæ Authores: ſed credat Judæus Apella. Radix datur in ſubſtantiâ pro adulto ad drachmam circiter unam, & ad duplum in infuſo. Semina verò à drachmis duabus, ad drachmas tres emulſiones ingrediuntur; vel ad ſemi-unciam in infuſo præſcribuntur. Licèt præclaras hujuſce plantæ vires in dubium revocare nil vetet; haud tamen ex albo expungendam eſſe cenſemus; ſed ulteriùs inquirendum.

(2.) *Valeriana hortenſis*, Phu folio oluſatri, C. B. pin. (*Grande Valériane*).

Hujuſce ſtirpis radix, odore ingrato cum nonnullâ amaritie prædita; in antiſpaſmodicorum vel antihyſtericorum claſſi haud infimum locum meretur; cephalicorum quoque ſeriem ſubit; atque in tractu tonicorum admittitur. Conducit in affectu hyſterico, ſuppreſſis menſibus, aliiſque morbis uterinis. A nonnullis, penès quos ſit fides, decantatur adversùs oculorum nubeculas, imò & visûs imbecillitatem. Datur in ſubſtantiâ à drachmâ ſemiſſe, ad drachmam unam & ſemis. Sicca verò præſcribitur à drachmis duabus ad ſemi-unciam in quâque librâ infuſi, vel decocti.

(3.) *Valeriana ſylveſtris* major, C. B. pin. (*Valériane ſauvage*).

Radix, ſuperiore fragrantior, cum quâdam amaritie & ſtypticitate, iiſdem proprietatibus, ac hortenſis, gaudet; imò & pluris æſtimatur adversùs epilepſiam, nec minorem laudem meretur in aſthmate convulſivo. Eâdem ratione uſurpatur; ſed plerùmque in ſubſtantiâ.

(4.) *Fraxinella*, Cluſ. Inſt. rei herb. Dictamnus albus, ſeu Fraxinella, C. B. pin. (*Fraxinelle* ou *Dictame blanc*).

Tota planta aromatica odorem quaſi bituminoſum ſpirat, cujus materia circà ambitum tantâ copiâ occurrit, ut ab admotâ propè caudicem candelâ, flammam ſubitò concipiat. Radix quæ in uſum venit, eodem odore prædita, cum quâdam amaritie, inter antihyſterica numeratur, & conducit in menſium, lochiorumve ſufflaminatione. Pro roborante inſuper & ſtomachicâ habetur; virtuſque anthelmintica ipſi adſcribitur. Haud multùm diſcrepare videtur, ratione virium, à radice gentianæ, cujus vices ſupplere valet. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam. Et à drachmis duabus ad ſemi-unciam, in infuſi librâ unâ.

(5.) *Artemiſia* vulgaris, J. B. (*Armoiſe*).

Olim celebratiſſima hæc planta, nonnihil aromatica, inter antihyſterica & uterina locum obtinens; ab uſu fermè receſſit. Haud tamen inutilem opem præſtare videtur in menſium lochiorumve ſuppreſſione; non ſecùs ac pro partu promovendo; vel ſecundinarum exitu. Folia præſcribuntur in decocto ad manipulum unum pro quâque librâ liquidi: vel propinatur aqua diſtillata ab unciis duabus ad quatuor. Enematum antihyſtericorum compoſitionem crebriùs ingreditur hæc planta; vel contuſa puerperarum abdomini à mulierculis admovetur.

ANTISPASMODICA.

(6.) *Alliaria*, Dod. Heſperis allium redolens, Moriſſ. hiſtor.

Raro apud Noſtrates in uſum trahitur hæc ſtirps, ſapore amaro prædita: quam nonnulli odore decepti pro ſcordii ſuccedaneâ habent. In antiſpaſmodicorum & emmenagogorum albo recipiuntur folia ad manipulum ſemis pro quâque librâ decocti præſcribenda. A pluribus laudatur eorum ſuccus, vel pulvis ad detergenda ulcera ſordida & cancroſa; ſed huicce præſidio parùm fidendum.

(7.) *Meliſſa* hortenſis, C. B. pin. Melliſſophyllum, Matth. (*Méliſſe* ou *Citronelle*).

Inter uſitatiores numeranda hæc planta, odore ſuaviſſimo, antiſpaſmodicorum claſſem jure ſubit: cephalicorum vel analepticorum ordini adſcribitur: in ſtomachicorum carminantium ſeriem aggregatur: nec ipſi denegatur virtus cardiaca. Hinc multùm deprædicatur in affectibus hyſtericis & hypochondriacis, non ſecùs ac in vertigine & cordis palpitatione, quæ exindè oriuntur: confert prætereà ſoporoſis & paralyticis: nec exiguam meretur laudem in ſuppreſſis menſtruis, ad promovendum lochiorum fluxum, &c. Proſtat in officinis aqua meliſſophylli, quæ exhibetur ab unciis duabus ad quatuor; & ideò ritè diſtinguenda ab aquâ meliſſæ compoſitâ, (vulgò *Eau des Carmes*), de quâ infrà. A nonnullis commendantur folia intùs admota adversùs humores ſcrophuloſos: ſed ut verum fatear, minoris eſt efficaciæ illud topicum.

(8.) *Tilia* femina flore minore, C. B. pin. (*Tilleül*).

Hujuſce procerioris arboris flores pro antiſpaſmodicis habentur; & cephalicorum gradum conſequuntur; ideò valent ſub affectibus hyſtericis & hypochondriacis; proſunt in epilepſiâ; conducunt in vertigine; palpitationibus medentur, &c. In infuſo præſcribi ſolent à pugillo uno ad duos pro ſingulis aquæ libris; vel ad potum ordinarium, habitâ ratione copiæ. Servatur in officinis aqua diſtillata quæ iiſdem gaudet proprietatibus; & exhibetur ab unciâ unâ ad quatuor.

(9.) *Gallium* luteum, C. B. pin. (*Caille-lait*).

Comæ floridæ hujuſce plantæ vulgatiſſimæ contrà infantum epilepſiam ſummè deprædicantur; ſæpiúſque ſub hoc ſcopo in uſum veniunt. Sunt qui velint flores gallii albi iiſdem viribus inſtrui, ſed nondùm experientiâ conſtat. Inſtar the uſurpantur flores gallii lutei; vel in ſubſtantiâ præ-

ſcribuntur à granis quatuor ad octo, & ultrà, ratione ætatis. Succum etiam propinare licet à ſemi-unciâ ad unciam unam.

ANTISPASMODICA.

(10.) *Primula veris* odorata flore luteo ſimplici, C. B. pin. (*Primevere*).

Ad antiſpaſmodicorum, imò & cephalicorum gradum promoventur flores hujuſce plantæ: ideò conducunt in affectu hyſterico; opitulantur vertiginoſis; commendantur demùm in paralyſi linguæ: inſtar the adhiberi ſolent. Si extùs admoveantur, anodynam vim obtinent; & à nonnullis ſub hoc conſpectu in arthritide commendantur.

(11.) *Lilium convallium* album, C. B. pin. (*Muguet* ou *Lys des vallées*).

Flores hujuſce plantæ, fragrantes & amaricantes, inter antiſpaſmodica & cephalica numerantur; atque in uſum ſæpiùs vocantur adversùs epilepſiam, alioſque affectus ſpaſmodicos; non ſecùs ac contrà apoplexiam & paralyſim. Sumuntur inſtar the. Eorum pulvis inter mitiora errhina recenſetur.

(12.) *Agnus caſtus* officinarum. Vitex foliis anguſtioribus cannabis modo diſpoſitis, C. B. pin.

Summè deprædicatur ſemen hujuſce fruticis ad extinguendum veneris æſtum & caſtitatem tuendam, undè nomen traxit tota planta. Antihyſtericorum inſuper & ſedantium ordinem ſubit; ipſi demùm vis aperiens adſcribitur, quæ reſpicit infarctum viſcerum: ſed rarò, ni fallor, in hunc ſcopum adhibetur, cùm haud deſint varia medicamina quæ tutiùs hanc opem conferre queunt. Datur prædictum ſemen in ſubſtantiâ, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam; & ad duplum & ultrà in emulſione aut infuſo. Quoad vires externas; nonnunquàm, tanquàm reſolvens, fotus vel cataplaſmata ingreditur.

(13.) *Viſcum quercinum*, J. B. Viſcum baccis albis, C. B. pin. (*Le Guy*).

Prodit hic frutex paraſitus & ſemper virens, antiquorum Druidarum ſuperſtitioſâ veneratione exceptus, è caudice & ramis quercûs, aliarumve arborum, nimirùm betulæ, coryli, amygdali, ſalicis, tiliæ, &c. Ejus lignum inter antiſpaſmodica & cephalica numeratur: ideò uſurpari ſolet in epilepſiâ, vertigine, &c. adeò ut vix ulla proſtet pulveris antiepileptici deſcriptio, cui hoc lignum non immiſceatur; de cujus tamen viribus dubitant nonnulli inter recentiores, & de praxi optimè meritos; hiſce adducti rationibus quod nil virtutis ſapore & odore in hocce ligno deprehendatur; & inanem, uti omnibus fermè videtur, operam præſtet in curandâ epilepſiâ. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam; & à ſemi-unciâ ad unciam unam pro librâ unâ infuſi aut decocti. Suppeditabat olim hæc planta paraſita gluten illud aucuparium, (vulgò *la Glu*), quod hodiè minori diſpendio è cortice agrifolii educitur.

(14.) *Fuligo* (*la Suie*), quæ eruitur è camino furnaceo piſtorum,

cæteras antecellit. Antiſpaſmodicorum gradum aſſequitur; febrifugorum munere fungitur; & reſolventium ſeriem ſubit. Plurimùm valet, teſte experientiâ, in affectu hyſterico pertinaciori; nec inutilem opem confert in contuſionibus, poſt caſum ab alto, &c. Doſis in ſubſtantiâ à granis quatuor ad viginti, & ultrà. Ceu detergens extrinſecùs admovetur; & ſæpiſſimè hâc ratione linimenta ingreditur, quæ ad tineam & ſcabiem parantur.

ANTISPASMODICA.

(15.) *Caſtoreum* hyperbolicè celebratum à JOH. MARIO & FRANCO; eſt ſubſtantia dura & friabilis, reſinoſa & inflammabilis, colore fuſco, ſapore acri, & odore ingrato. Fluida obvolvitur folliculo membranaceo qui in caſtoris abdomine; vel utrimque in inguinibus ſub cute reperitur; & dein fumo exponitur, ut firmitatem contrahat. Præſtantiſſimum audit antiſpaſmodicum, quod crebrò & fauſtè uſurpatur in affectu hyſterico; menſium ſuppreſſione, cordis palpitatione & ſingultu. Sedantium inſuper vices explet in cardialgiâ, colico dolore, &c. Doſis in ſubſtantiâ à granis octo ad viginti, & ultrà. Proſtat in officinis tinctura de quâ infrà. Notare expedit quòd caſtoreum pro opii correctore haud immeritò habeatur.

(16.) *Zibetum* (*la Civette*), eſt materia fluida unctuoſa, odore forti & ingrato, quæ extrahitur è quodam quadrupede orientali & americano, hyenæ odoriferæ nomine noto. In folliculo, circà utriuſque ſexûs genitalia ſito, recondi fertur zibetum; quod inter antiſpaſmodica & ſedantia locum obtinet; & à grano ſemiſſe ad grana duo exhibetur. Sed plures hoc odoramentum ægrè ferunt; cur fit ut rarò uſurpetur. Opportunè nonnunquàm umbilico infantum admovetur, ad compeſcenda tormina.

(17.) *Cranium humanum*, deſumptum à corpore ſanorum violentâ morte extinctorum, à multis deprædicatur tanquàm ſpecificum adversùs epilepſiam; de quo tamen dubitare fas eſt. Vi præterea abſorbente & diaphoreticâ gaudet: ſed rarò à noſtratibus uſurpatur. Doſis in ſubſtantiâ, à ſemi-drachmâ, ad drachmam integram.

(18.) *Ungula alcis* (*le Pied d'élan*), inter etiam celebriora antiepileptica, nec fortè potiori jure, locum habet. Nùm ejus vires innitantur fabulâ, quâ fertur alcem epilepſiæ obnoxium ab inſultu liberari ungulam auri immittendo? ſolertioribus examinandum relinquimus. Datur in ſubſtant. ab ſcrupulo uno ad drachmam unam.

(19.) *Aqua meliſſæ compoſita* (*Eau des Carmes*), eſt tinctura ſpirituoſa meliſſæ, corticum citrei, coriandri, caryophyllorum orientalium, cinnamomi & angelicæ. Inter anti-hyſterica plurimùm decantatur; ac in quotidianum uſum venit; nec inferiorem gradum obtinet in ſerie cardiacorum; ſæpiùſque ad præcavendam vel fugandam lipothymiam adhibetur. Doſis à guttis quindecim ad triginta ex aquâ florum aurantiorum, vino, vel alio hauſtu congruo: extùs in eumdem finem naribus, temporibus & cervici admovetur, haud ſanè infelici ſucceſſu. Prodeſt demùm membris contuſis, ſuggillatis, debilibus & paralyticis. Illud notare juvat quòd nonnulli Pharmacopœi vinum album loco ſpiritûs

ANTISPASMODICA.

vini adhibeant; cur fit ut majori doſi propinetur; ſcilicèt à ſemi-unciâ ad unciam unam.

(20.) *Pulvis antiſpaſmodicus* è viſco quercino; radicibus valerianæ & pæoniæ, ungulâ alcis, cranio humano, caſtoreo, cinnabari, &c. conficitur. A perſpectis compoſitione & titulo ſat patent vires anti-epilepticæ: hoc ſolo præſidio, haud poſthabitis præmittendis, nonnunquàm evincitur epilepſia. Doſis à ſemi-ſcrupulo ad ſcrupulos duos.

(21.) *Pulvis de guttetâ* à vocabulo (*Goutete*), quod epilepſiæ puerorum audit apud Gallo-Provinciales, ſic nuncupata, parùm diſcrepat, ratione compoſitionis & proprietatis, à poſtremo, & ſimili fermè ratione uſurpatur, ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſemi-drachmam pro adulto; & à granis quatuor ad quindecim pro infantibus quibus præſertim dicatur.

(22.) *Mithridatium* electuarium à Mithridate, uti narrant inventum, ingenti ingredientium numero conflatur, non ſecùs ac theriaca, cujus vires æmulatur. Præter quas laudatur hoc electuarium, nec immeritò ad affectum hyſtericum; & in hunc ſcopum ſæpiùs adhibetur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

(23.) *Electuarium de baccis lauri*, cui mel baſim præbet, recipit præter haſce baccas, caſtoreum, rutam, piper, varia ſemina aromatica, ſagapenum, opopanax, &c. affectibus hyſtericis præſertim dicatur: conducit in ſuppreſſis menſibus; colicam flatulentam compeſcit, & ſtomachi vires refocillat. Doſis ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Sed crebriùs ingreditur enemata anti-hyſterica à drachmis duabus ad drachmas ſex.

(24.) *Pilulæ benedictæ Fulleri*, à paucis notæ, celebrioribus remediis nequaquàm cedunt: conſtant è croco, myrrhâ, galbano, aſsâ fœtidâ, maci, ſale martis, oleo ſuccini & ſyrupo de artemiſiâ; quibus accedunt ſenna & aloë. Inter exquiſitiora anti-hyſterica & emmenagoga recenſeri debent; alvum prætereà laxant; & à nonnullis ſub hoc ſolo conſpectu uſurpantur. Horis ſerotinis exhibentur, non ſecùs ac aliæ pilulæ aloëticæ, ab ſcrupulo uno ad duos, & ultrà. Singulis diebus, vel alternis, pro re natâ præſcribi ſolent.

(25.) *Tinctura caſtorei* è ſimplici digeſtione hujuſce ſubſtantiæ in ſpiritu vini donec ſaturetur, emergit. Celebratiſſimum eſt anti-hyſtericum, multiplicique uſu comprobatum; à guttis decem ad triginta, in liquore congruo. Naribus admota hæc tinctura vertigini nonnunquàm medetur. Auribus immiſſa confert ad hujuſce organi tinnitum; ingreditur demùm enemata anti hyſterica, à drachmâ unâ ad duas.

(26.) *Tinctura ſuccini* eodem proceſſu perficitur, ac illa caſtorei; nec alias fermè vires obtinet. Ideò antiſpaſmodicorum claſſem ſubit, & ſæpiùs opportunè uſurpatur adversùs hyſterim, imò & epilepſiam, à guttis decem ad ſemi-drachmam. *Vide* oleum ſuccini.

(27.) *Elixirium*

CEPHALICA

(27.) *Elixirium proprietatis* Paracelſi eſt tinctura chymica myrrhæ, aloës & croci, ope ſpiritûs vini & ſpiritûs ſulphuris acidi. Pro anti-hyſterico eximio habetur : cordis palpitationi medetur : conducit ſub ſuppreſſis menſibus : nec minùs laudatur ad partum promovendum. Inſuper roborantium & ſtomachicorum ordinem ingreditur : nec ipſi denegantur vires anthelminticæ : illud caveant cuicumque hæmorrhagiæ obnoxii. Doſis à guttis quatuor ad triginta in hauſtu congruo. Præterea tanquàm detergens & antiputridum externum ſæpiùs fauſtè uſurpatur. Sed notare expedit quòd juxtà varios proceſſus paretur prædictum elixirium : etenim proſtant id genus elixiria in nonnullis officinis juxtà methodum helmontianam, boerhaavianam, helvetianam, &c. Hinc multiplex emergit differentia reſpectu virium & doſium, inter medicamina quæ eodem titulo inſcribuntur : quod altâ mente tenere debent incauti qui omnia remedia officinalia, cujuſvis Pharmacopolæ, indiſcriminatim adhibent.

(28.) *Eſſentia anti-hyſterica* è miſcellâ & digeſtione caſtorei, aſſæ fœtidæ, camphoræ, oleorum eſſentialium rutæ & ſabinæ, olei ſuccini, ſpiritûs volatilis cornu cervi & ſpiritûs vini duplici diſtillatione prodit. Egregium eſt antiſpaſmodicum, quod opportunè exhibetur, tùm epilepticis, tùm hyſtericis : cephalicorum prætereà ordinem ſubit, atque alexiteriorum munia obit. Doſis à guttis decem ad triginta, in aquâ meliſſæ, vel florum aurantiorum.

(29.) *Sal volatile ſuccini* poſt ſolitam diſtillationem ſpiritûs & olei ſublimiora petit. Inter famigeratiſſima anti-hyſterica & epileptica numeratur. Inſuper delirium febrile ſedat : aſthmaticis ſuccurrit : diureſim movet & infarctibus viſcerum haud inutilem opem præſtat. Datur formâ pilulari, à granis tribus ad quindecim; vel in quovis hauſtu diſſolvitur. Sed notare juvat prædictum ſal ſæpiùs adulteratum in officinis proſtare ; uti minime fugit expertos.

CEPHALICA

CEPHALICA ET ANTI-PARALYTICA.

Sic vocitantur hæc ſtimulantia, aromatica, balſamica & ſpirituoſa, quæ, præmiſſis præmittendis, apoplexiæ, morbis comatoſis & paralyſi occurrunt; ſed eâ tantùm conditione, ut prædicti affectus à cerebri concidentiâ, nervorum atoniâ vel ſtupore, nullâ præviâ compreſſione ſoboleſcant. Docet enim autopſia anatomica plures apoplexiæ, & paralyſeos ſpecies pendere ab ſtaſi ſanguinis in vaſis cerebri, utplurimùm varicoſis; vel ab horumce tubulorum dilaceratione; cur fit ut cerebri ventriculi ſanguine plerúmque obruantur: ſub quo caſu, nemini rebus phyſico-anatomicis edocto haud obvium fit, cephalica nullius fore efficaciæ: quin potiùs ſummam perniciem inferre; morbumque exaſperare queant; qui tùm venæ ſectiones, diluentia, & topica revulſionem agentia, potiùs expoſtulat. Quibus verò accuratè peractis, ad cephalica nonnunquàm confugere licet; quæ tunc temporis effectum duntaxat, ſublatâ causâ, oppugnare valent: hinc intelligitur cur cephalica, de quibus in præſentiarum, nonnullis ſint proficua; dùm alios in vitæ diſcrimen trahunt. Hæc altâ mente tenere debent plerique medentes, rerum anatomicarum inſcii, qui, nullâ habitâ ratione morbi cauſæ, omnes obvias apoplexiæ ſpecies; alioſque affines morbos, iiſdem telis indiſcriminatim aggredi ſolent.

CEPHALICA

EMPORETICA.

RADICES apii, feniculi, valerianæ ſylveſtris & hortenſis, raphani ruſticani, caryophyllatæ, imperatoriæ, ſerpentariæ virginianæ. Galanga. Acorus. Calamus verus. Been album (1).

Folia betonicæ (2), dictamni cretici, calaminthæ (3), mari, majoranæ, chamæpityos, ocimi, meliſſæ, menthæ, origani, pulegii (4), ſalviæ, ſatureiæ, ſerpilli, roriſmarini, thymi, lauri; thea.

Flores ſtœchados arabicæ (5), betonicæ, lavandulæ (6), roriſmarini, lilii convallium, tiliæ, primulæ veris... Semina coriandri, aniſi. Baccæ lauri, juniperi.... Caffe. Nux moſchata, macis; caryophylli; cubebæ; amomum racemoſum; cardamomum.... Caſcarilla. Cinnamomum. Caſſia lignea. Cortex Winteranus (7). Viſcum quercinum... Styrax calamita. Benzoinum.... Balſamum judaïcum, peruvianum, tolutanum, canadenſe... Kermes. Moſcus. Cranium humanum.... Aquæ Bellilucanæ, Plumberianæ, Luxovienſes (8), Vicienſes, Borbonienſes Arcimbaldicæ... Ambra cineritia (9). Succinum. Cinnabaris.

OFFICINALIA.

AQUA betonicæ, corticum citrei, lavandulæ, menthæ; florum aurantiorum, tiliæ; meliſſophylli.... Syrupus caryophyllorum, de ſtœchade (10), de betonicâ (11).... Balſamum apoplecticum Commendatoris.... Pulvis viperinus, de guttetâ.... Conſerva florum aurantiorum, florum roriſmarini.... Confectio alkermes, de hyacintho. Extractum juniperi.... Mithridatium. Theriaca. Opiata Salomonis.... Aqua cinnamomi ſimplex, & hordeata, meliſſæ compoſita, imperialis, theriacalis, Reginæ Hungariæ.... Oleum lavandulæ (12), cinnamomi, caryophyllorum.... Tinctura caſtorei; ſuccini... Eſſentia anti hyſterica. Elixirium Garuſi. Guttæ anodynæ Sydenhami.... Guttæ Anglicæ (13), elixirium aureum (14). Lilium Paracelſi.... Spiritus volatilis viperarum, cornu cervi (15), ſalis ammoniaci; aqua dicta *de Luce*.... Sal Anglicanum, volatile cornu cervi, viperarum.... Diaphoreticum minerale. Cinnabaris antimonii.

CEPHALICA

MAGISTRALIA.

JULAPIUM.

℞ *AQUÆ florum tiliæ* uncias quatuor. *Syrupi de ſtœchade* unciam unam. *Aquæ cinnamomi* drachmas duas. Miſce. Fiat julepus.

℞ *Aquæ corticum citrei* uncias ſex. *Confectionis alkermes. Syrupi de tunicis* ana unc. unam. *Aquæ theriacalis* drachmas duas. Miſce.

℞ *Aquæ meliſſophylli* uncias quatuor. *Syrupi de betonicâ* unciam unam. *Tincturæ caſtorei* guttas quindecim. Pro julapio.

MIXTURA.

℞ *Aquæ florum aurantior.* cochlear unum. *Spiritûs ſalis ammoniaci* à guttis decem ad viginti.

℞ *Aquæ betonicæ* uncias quatuor. *Spiritûs volatilis cornu cervi* guttas decem. *Succini præparati* ſcrupulum ſemis. *Pulveris de guttetâ* ſcrupulum unum.

℞ *Aquæ corticum citrei* uncias quatuor. *Syrupi de ſtœchade* unc. unam. *Aquæ imperialis* drachmas duas. *Tincturæ caſtorei ; ſpiritûs cornu cervi* ana guttas decem. Miſce pro hauſtu.

POTIO.

℞ *Aquæ lavandulæ* uncias ſex. *Aquæ naphæ* unciam unam. *Aquæ cinnamomi* drachmas duas. *Salis ammoniaci* ſemi-drachmam. *Spiritûs volatilis cornu cervi* ; *lilii Paracelſi* ana guttas duodecim. *Syrupi caryophyllorum* unciam unam. Miſce. Fiat potio cochleatim ſumenda.

℞ *Aquæ ſalviæ* & *betonicæ* ana uncias tres. *Aquæ florum aurantiorum* ſemi-unciam. *Confectionis de hyacintho* drachmam unam. *Kermes mineralis* grana duo. *Lilii Paracelſi* guttas triginta. *Syrupi de ſtœchade* unciam unam. Fiat potio è cochleari.

APOZEMA.

℞ *Radic. enulæ campanæ* & *caryophyllatæ* ana drachmas duas. *Baccarum juniperi* unciam unam. *Foliorum ſalviæ* & *meliſſæ* ana ſemi-manipulum. *Florum ſtœchados* pug. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Adde *ſyrupi caryophyllorum* uncias duas.

℞ *Radicum pæoniæ maris* ſemi-unciam. *Foliorum calaminthæ* & *chamæpityos* ana manipulum unum. *Florum betonicæ* manipulum ſemis. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de ſtœchade* uncias duas.

℞ *Radic. ſalſæ parillæ* & *valerianæ ſylveſtris* ana drachmas duas. *Folior. hyſſopi* & *majoranæ* ana manip. ſemis. *Florum lavandulæ* pugill. unum. Bulliant ex arte in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de betonicâ* uncias duas. CEPHALICA

℞ *Radic. apii ſylveſtris* unciam unam. *Radic. ſiccarum ſerpentariæ virginianæ* drachmas duas. *Folior. betonicæ* & *hyſſopi* ana manip. ſemis. *Florum ſalviæ* pugill. duos. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſyrupi de quinque radicibus* uncias duas.

℞ *Guaiaci* unciam ſemis. *Fol. ſalviæ* manip. unum. *Flor. ſtœchados* manip. ſemis. Coque in aq. font. q. ſ. ad libram unam. Adde *tincturæ caſtorei* drachmam unam. *Sacchari* ſemi-unciam. Ad *apoplexiam* & *epilepſiam.*

JUSCULUM.

℞ *Radic. feniculi* unciam unam. *Radicum ſiccarum helenii* & *caryophyllatæ* ana drachmam unam. Coque per horam in *juſculo pulli.* Dein adde *folior. betonicæ* & *meliſſæ* ana man. ſemis. *Foliorum dictamni cretici; florum ſtœchados* ana pugill. unum.

℞ *Rad. valerianæ ſylveſtris* unc. unam. *Viſci quercini* drachmas duas. *Folior. menthæ* & *origani* ana manip. ſemis. *Florum tiliæ* pugill. unum. Fiat juſculum cum fruſto *carnis vitulinæ.*

PULVIS.

℞ *Radic. imperatoriæ* ſemi-drachmam. *Caryophyllorum* ſcrupul. ſemis. *Pulveris de guttetâ* grana octo. Miſce pro pulvere, cui addere licet *olei cinnamomi* guttas duas.

℞ *Radic. caryophyllatæ* ſcrupul. unum. *Galangæ minoris; nucis moſchatæ* ana grana duodecim. Adde *olei lavandulæ* gutt. unam.

BOLUS.

℞ *Mithridatii* drachmam unam. *Conſervæ florum aurantiorum* ſemi-drachmam. *Olei caryophyllorum* gutt. duas. Miſce pro bolo.

℞ *Radic. imperatoriæ* ſemi-drachmam. *Salis volatilis cornu cervi* grana quindecim. *Camphoræ* grana duo. *Extracti juniperi* q. ſ.

℞ *Pulver. de guttetâ* grana duodecim. *Diaphoretici mineralis* grana decem. *Cinnabaris antimonii* grana duo. *Confectionis alkermes* q. ſ.

OPIATA.

℞ *Conſervæ flor. aurantiorum, extracti rhabarbari* ana ſemi-unciam. *Antimonii diaphoretici* drachmas tres. *Caſcarillæ* & *galangæ* ana drachmam unam & ſemis. *Aſellor. præparatorum* drachmam unam. *Cinnabaris factitii*

ſemi-drachmam. Fiat opiata cum *ſyrup. caryophyllorum.* Doſis ad drachmam circiter unam.

CEPHALICA ℞ *Conſervæ florum roriſmarini* uncias quatuor. *Opiatæ Salomonis* unciam unam. *Radic. valerianæ ſylveſtris* ſemi-unciam. *Pulveris viperini* drachmas tres. *Salis ammoniaci* drachmam unam. *Olei caryophyllor.* gutt. viginti. *Balſami Commendatoris* q. ſ. ad opiatam. Doſis à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Conſervæ radicum helenii* drachmas tres. *Aſellorum præparatorum* & *ſalis Glauberi* ana drachmas duas. *Rhei* & *foliorum ſennæ* ana drachmam unam. Miſce cum *ſyrupo caryophyllorum.* Fiat opiata pro duodecim doſibus.

PILULÆ.

℞ *Mithridatii* unciam unam. *Radic. valerianæ ſylveſtris* drachmas tres. *Salis ammoniaci* drachmam unam. Miſce. Fiant pilulæ cum *ſyrupo de ſtœchade.* Doſis ad drachmam unam.

℞ *Extracti juniperi* ; *radicis pæoniæ maris* ana ſemi-unciam. *Croci martis* ; *gummi ammoniaci* ana drachmas duas. *Nucis moſchatæ* drachmam unam. Fiat maſſa cum *ſyrupo de artemiſiâ.* Ad eamdem doſim.

COMMENTARIA.

(1.) BEEN ALBUM, vel radix cujuſdam jaceæ orientalis, de quâ TURNEFORTIUS, minoris digiti craſſitiem æmulatur; colorem cinereum præ ſe fert; ipſique ineſt ſapor amaricans. In cephalicorum agmine locum obtinet; à ſemi-drachmâ ad drachmam unam in ſubſtantiâ, & ad duplum in infuſo; ſed ab omnibus poſthabetur; & è remediorum albo expungitur. Neceſſarium tamen duxi, quaſi per tranſennam, varias res exponere, quæ eodem nomine ſalutantur. Sunt enim duæ radices plantarum indigenarum, & fructus exotici; quæ ſic vocitantur. 1ª. Radix, quæ been noſtras audit, pertinet ad ſpeciem lychnidis ſylveſtris, quæ ubique creſcit. 2ª. Radix refertur ad limonium maritimum majus. Fructus verò dicitur ben parvum Monardi, vel glans unguentaria (*Noix de ben*); & formâ quodammodo triangulari ad avellanæ molem accedit: è quo fructu, teſtâ purgato, extrahitur oleum ben, à nonnullis decantatiſſimum adversùs herpetem, aliaſque defœdationes cutaneas.

(2.) *Betonica* purpurea, C. B. pin. (*Bétoine*).

Folia & flores hujuſce plantæ inter cephalica & roborantia recenſentur: indéque conducunt in affectibus ſoporoſis; fauſtéque uſurpentur contra vertiginem, tremorem, paralyſim, &c. Dantur, inſtar the. Laudatur

pulvis foliorum ad drachmam unam vel alteram, ex ovi vitello, ad febrem quartanam : exhiberi ſolet hoc remedium quatuor horis poſt abſolutos paroxyſmos. Proſtat aqua diſtillata quæ baſim præbet variis julapiis, aliiſque hauſtibus cephalicis. Neminem fugit pulverem, vel ſuccum prædictæ plantæ ſternutationem movere : omnibus etiam innoteſcit fumum foliorum betonicæ per ſe, vel cum tabaco permixtorum, fiſtulâ congruâ, ore exceptum haud inutilem opem conferre in variis capitis affectionibus. CEPHALICA.

(3,) *Calamintha* vulgaris vel officinarum Germaniæ, C. B. pin. (*Calament*).

Varias cognomines & cognatas antecellere videtur hæc ſpecies; quæ cephalicorum & roborantium numero adſcribitur : inter ſtomachica carminantia recenſetur; ſeriemque diureticorum & menſes moventium ſubit. Datur in infuſo theiformi, non ſecùs ac ſalvia, meliſſa, aliæque ſtirpes aromaticæ.

(4.) *Pulegium*, J. B. Mentha aquatica, ſive Pulegium vulgare, Inſt. rei herb. (*Pouliot*).

Menthæ hortenſis inſtar, cujus eſt analogum, inter cephalica & ſtomachica recenſetur; partium debilitati medetur; obſtructiones reſerat; urinam, menſes & lochia movet, &c. ad manipulum ſemis præſcribitur pro quâque librâ infuſi vel decocti. Quoad vires externas, cæteris plantis aromaticis minime cedit.

(5.) *Stœchas purpurea*, C B. pin. Spica florida, *ſtœchas arabica* vulgò dicta, J. B. (*Stéchas arabique*).

Capitula florida ſummè aromatica, inter cephalica emporetica primatum quaſi ducunt : vires redintegrant : obſtructiones reſerant : diureſim movent, &c. Fauſtè uſurpantur in lethargo, vertigine, tremore & paralyſi. Inſuper expectorationem juvant & nonnullis aſthmaticis opitulantur. In infuſo inſtar the exhibentur; vel pulvis in ſubſtantiâ ad ſemidrachmam præſcribitur. Proſtat in officinis ſyrupus de quo infrà.

(6.) *Lavandula* anguſtifolia, C. B. pin. (*Lavande*).

Eaſdem fermè vires obtinent hujuſce plantæ flores fragrantiſſimi : hinc fauſtè uſurpantur adversùs morbos cerebri & nervorum ab atoniâ oriundos. In infuſo aquoſo vel vinoſo exhibentur ad pugillum unum pro quâque librâ liquidi. Sed uſitatior eſt aqua diſtillata ab unciis duabus ad quatuor. Proſtat etiam oleum eſſentiale, de quo infrà. Quod ad uſum externum attinet; manduntur prædicti flores ad loquelam impeditam; atque ingrediuntur fotus & cataplaſmata, tùm reſolventia, tùm roborantia. Alia occurrit lavandulæ ſpecies nempè latifolia, vel ſpica officinarum, quam ſimili ratione adhibere licet. Illud obiter notare expedit de plantis aromaticis, quòd montana cæteris præſtent.

(7.) *Cortex Winteranus* (*Canelle blanche*), à quòdam Anglo ſic nuncupatus, albicans & fungoſus exſolvitur è lauri americanæ & orientalis

CEPHALICA

ſpecie, de quâ LINNÆUS. Gratiſſimum odorem, non secùs ac cinnamomum, cujus vires æmulatur, ſpirat: ideò cephalicorum claſſem ſubit; in ſtomachicorum ordine recipitur & pro tonico eximio habetur. A nonnullis laudatur prædictus cortex tanquàm antiſcorbuticum eximium: ab aliis potiori jure commendatur in febre quartanâ. Datur in ſubſtantiâ ad ſcrupulum unum vel alterum: ad duplum verò in infuſo vinoſo.

(8.) *Aquæ Luxovienſes* (*de Luxueil*), oppiduli Comitatûs Burgundiæ (*Franche-Comté*), apud montis Vogeſi radices; propè ſcilicèt Lotharingiæ confinium; duodecim leucis ad Septentrionem à Veſuntione (*Beſançon*); & ab Alſatiâ ſex leucis in Occaſum diſtantis. Romanis olim notiſſimæ, dein quaſi delituerunt; donec paucis abhinc annis incolarum curâ è tenebris emerſerint: thermales ſulphureæ, ſapore nonnihil pingui, vires ſtomachi inſtaurant & alvum laxant. Inter depurantia haud infimum locum obtinent; in aperientium incidentiumque claſſem ſubeunt. In cephalicorum agmine recipiuntur: hinc conducunt in vertigine & affectibus ſoporoſis. Urinæ fluxum, diaphoreſimque promovent; nec vi febrifugâ defraudantur. Propinari ſolent à libris duabus ad ſex, per duodecim vel quindecim dies. Fauſtè adhibentur balnea, & irrigationes ab alto adversùs paralyſim, & tremorem. Profunt ſub rheumatiſmo, artuum contracturâ & intumeſcentiâ. Morbis pruriginoſis medentur; vique vulnerariâ gaudent: poſtremò aquarum Plumberianarum, à quibus vix tribus leucis ad Notum recedunt; vires æmulantur, in mitiori tamen gradu; cur fit ut harum uſus ſit fortè tutior.

(9.) *Ambra cineritia* eſt materia informis, levis, firma & fragrantiſſima, quæ in variis locis, circà maris indici littora colligitur. Fruſta nonnunquàm ſtupendæ magnitudinis paſſim in Indiâ reperiuntur: imò de maſsâ ambræ, centum & triginta libras pendente, in littore japonico inventâ mentionem ſubjecit KŒMPFERUS. De ejus indole & geneſi nondùm conſtat: igne liqueſcit ambra, & flammam concipit, gratiſſimumque odorem latè ſpargit; & ideò ab unguentariis & comptis vulgò adhibetur. Quoad uſum medicum, tanquàm roborans deprædicatur reſpectu cerebri, cordis & ſtomachi; nec ipſi denegatur virtus anodyna, cujus ratione conducit ſub fame caninâ; valetque in affectibus catarrhalibus. Minime mirari ſubit, ſi, uti ſuprà notavimus, idem remedium, nunc ſpiritus exſuſcitet, nunc eorum motum compeſcat; quod abundè patet ex effectu vini, &c. quæ hilaritatem, vel ſomnum conciliant. Sumitur ambra in ſubſtantiâ à grano ſemiſſe ad grana duo ad ſummum, ex vino, vel ovi vitello; cum tantillo ſacchari etiam miſcetur. Notare expedit plures compoſitiones officinales ſubingredi ambram; quas nonnullæ mulieres, ob illud odoramentum, averſantur. Experientiâ denique compertum manet diuturniorem ambræ uſum mentis functiones impedire.

(10.) *Syrupus de ſtœchade* compoſitus recipit hancce plantam, cinnamomum, zingiber, acorum, ſalviam, thymum, aliaque vegetabilia aromatica,

matica, quæ omnia in aquâ calidâ per triduum digeruntur, & poſteà diſtillationi committuntur; ut demùm aquâ quæ hinc prodit, coquatur ex arte cum ſaccharo. Tonicum audit reſpectu cerebri, cordis & ſtomachi; flatulentiæ medetur; diaphoreſim movet, urinam & menſes ciet ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam per ſe; vel in hauſtu congruo.

CEPHALICA

(11.) *Syrupus de betonicâ* paratur cum ſummitatibus floridis hujuſce plantæ, quarum tinctura extrahitur maceratione in aquâ diſtillatâ betonicæ, quæ demùm juxtà ſolitum proceſſum coquitur in ſyrupum. Cephalicorum claſſem ſubit, & antiſpaſmodicorum numero adſcribitur; ſuccurrit debilibus; obſtructa reſerat, &c. Datur à ſemi-unciâ, ad unciam unam.

(12.) *Oleum lavandulæ* ſicuti alia olea eſſentialia, è floribus hujuſce ſtirpis diſtillatione elicitur. Inter cephalica deprædicatur: nec minorem laudem meretur in affectibus convulſivis: ac ſub hoc conſpectu hyſtericis opportunè exhibetur à guttis duabus ad ſex, ex aquâ florum aurantiorum, vino, alioque liquore congruo.

(13.) *Guttæ anglicæ* cephalicæ (*Gouttes d'Angleterre*), conficiuntur è miſcellâ ſpiritûs volatilis ſerici cum ſuo ſale, olei lavandulæ & ſpiritûs vini; quæ præviâ digeſtione viginti quatuor horarum diſtillationi committuntur; donec oleum prodeat. Inter cephalica præſtantiora jure numerantur; in ſerie antiſpaſmodicorum primatum quaſi ducunt; cardiacorum ordinem ſubeunt; nec ipſis denegantur vires alexiteriæ. Ideò conducunt in ſoporoſis affectibus; inſultus hyſtericos fugant; utilemque opem conferunt in febribus malignis. Doſis à guttis quatuor ad quindecim in hauſtu congruo.

(14.) *Elixirium aureum* (*Gouttes du Général* LAMOTHE), adhuc pro arcano venditatur; licèt curâ & induſtriâ clariſſ. POTT, hujuſce præparationis proceſſus omnibus innoteſcat. Inter varias auri tincturas ab agyrtis & empiricis excogitatas, nulla, ni fallor, majoribus encomiis excepta eſt. Ad hoc opus miſcetur auri diſſolutio per aquam regiam cum oleo æthereo Frobenii, loco ſpiritûs vini quem adhibebat prædictus Lamothe. Quod oleum recipit auri ſolutas moleculas, quibus orbatur ſubſidens aqua regia. Ritè ſeparatum hoc æther auro imprægnatum, digeſtioni per menſem committitur balneo arenæ cum ſpiritu vini, ad quantitatem quinquiès auctam; è quâ digeſtione prodit liquor eleganti colore aureo tinctus, quem lubuit nuncupare elixirium aureum. Nullum eſt dubium quin hicce liquor penès ſe recondat genuinum aurum; ſed jure ambigitur nùm hoc metallum aliquam virtutem impertiatur elixirio; cùm ejus proprietates potiùs referri debeant liquori æthereo. Tanquàm cephalicæ deprædicantur guttæ aureæ; & auxilio ſunt comatoſis & apoplecticis: vires reficiunt & diaphoreſim movent: ipſis demùm ineſt quædam vis anodyna. Præſcribi ſolent à guttis ſex ad triginta, in vino, aquâ florum aurantiorum juſculo, &c. quod in caſu urgentiori pluriès per diem iterare licet.

CEPHALICA

(15.) *Spiritus volatilis cornu cervi* elicitur eodem proceſſu, ac ſal volatile, de quo alibi. Inter cephalica & antiſpaſmodica præſtantiora recenſetur; roborantium claſſem ſubit; atque in ordine alexiteriorum collocatur. Ideò laudatur ſub apoplexiâ & paralyſi: prodeſt hyſtericis & epilepticis; conducit in febribus mali moris; præſertim ubi accedunt delirium & motus convulſivi. Si ipſi addatur ſal volatile ſuccini ad ſaturationem emergit ſpiritus cornu cervi, ut inquiunt, ſuccinatus. Utriuſque doſis à guttis quatuor ad viginti in liquore congruo.

PRAXEOS MEDICÆ
PARS SECUNDA.

LIBER SECUNDUS,
DE MEDICAMENTIS EXTERNIS.

PRÆNOSCENDA.

EA duntaxàt medicamina quæ intrinſecùs ſumuntur, vel ad ſtomachum appellunt interna vocitari, jam ſuprà notavimus: cætera verò, cujuſvis ſint indolis, externa audiunt; licèt cuti & vulneribus admoveantur; vel interiora narium, oris, aurium, ani & genitalium reſpiciant. Hæc omnia colligere, ut ictû oculi ſingulis pateant, & in multiplicem ſcopum adhiberi queant, cogit propoſitum. Præter enim varios morbos externos, quorum curatio meris topicis peragitur, ſuum etiam ſymbolum conferunt hæc remedia in medelâ affectuum internorum; nervos ſcilicèt ſtimulando uti rubefacientia, ſinapiſmi & veſicatoria; evacuationem quamdam promovendo, uti ſternutatoria, ſialalogoga, ſetaceum, cauteria, &c.; vel cutis ſpiracula ſubeundo, ut interiora petant; id genus ſunt hydrargyrus, narcotica, cathartica, vermifuga, ſtomachica, diuretica, cardiaca, febrifuga, hyſterica, aut paralytica, roborantia, &c. cætera demùm emolliunt, demulcent, purulentiam promovent, conſolidant; detergunt; putredinem arcent, &c. Utraque ſub multiplici formâ præcipiuntur; etenim nemo non novit ſuffumigia, balnea diverſi generis, fotus, irrigationes, lotiones, injectiones, epithemata, cataplaſmata, linimenta & emplaſtra, quæ ad omnes partes ſpectant. Scitur inſuper collyria reſpicere

Præenoscenda.

oculos; gargariſmata, internas oris partes; peſſaria, vaginam; clyſteres & ſuppoſitoria, internum anum. Hæc ſingula ſub generali conſpectu in hiſce prolegomenis luſtrabimus: poſteà de venæ ſectione mentionem injiciemus; atque parergi loco nonnulla trademus circà hirudines, cucurbitulas & cauſtica; quæ ad rem medicam ſanè pertinent: ſed extrà oleas evagaremur; vel in aliam meſſem falcem immitteremus, ſi alias operationes chirurgicas hùc attexeremus; quas, ut hæc generalia propriis cancellis includantur, tanquàm à noſtro inſtituto planè alienas, ſilentio prætermittere conſultius viſum fuit.

Neminem latet *ſuffimentum*, nunc eſſe ſiccum, nunc humidum; excitatur nempè à fumo vel à vapore. Reſinæ, gummi, plantarum folia, flores, ſemina & ligna; variæ ſubſtantiæ animales & minerales fumum præbent: aqua, acetum, vinum, ſpiritus ardentes, aquæ fragrantes; infuſa vel decocta aromatica, ſedantia, reſolventia, &c. vaporem ſuppeditant. Alterutro modo excitatum ſuffumigium adhibetur ad roborandum, reſolvendum, compeſcendum & ſtimulandum; ad fugandas convulſiones; ad ſollicitandam quamdam evacuationem, &c. Ideò laudatur in coryzâ, morbis oculorum & aurium; uſurpatur contrà ani & vaginæ prolapſum; adversùs hæmorrhoïdes; &c. in uſum etiam venit ſuffitus ad inquinatum aërem corrigendum, vel arcendum contagium.

Corporis immerſio ad cervicem uſque, in quodcumque liquidum, *balneum* audit: non ſolùm ab ægris; ſed etiam à ſanis munditiei ſtudioſis ſummè cultum; jejuno ventriculo ſalubrius cenſetur, ſed vitetur poſt paſtum. Huic inſedendum ab horæ quadrante ad horam integram, & ultrà, ſi vires ferant; quod pro re natâ per diem iterare licet. Inter balneum, vel ſub egreſſu, nonnunquàm propinatur cremor oryzæ, vel hordei; juſculum, lac, ſerum lactis, the, &c: poſteà probè exſiccatum corpus quieti traditur: aliquandiù ſcilicèt in lecto ſe componunt ægri, ut promoveatur perſpiratio. *Balnea domeſtica* tepida, vel calore humano paululùm temperatiora, humorum ferociam coërcent; villos muſculares, aliaque ſolidorum ſtamina obſequioſiora reddunt: affectionibus ſpaſmodicis medentur; caput levant; dolores compeſcunt; nephriticis opitulantur; conducunt in ſtranguriâ; valent in ileo; proſunt in melancholicis & maniacis; variolas erumpentes tardiores juvant; in delirio nonnullarum febrium, laudem obtinent, &c. Raró tanquàm prophylactica præſcribuntur balnea, ni præmiſſo quodam regimine, quod circà venæ ſectionem, cathartica, refrigerantia, depurantia, aperientia, &c. verſatur. Decoctum omaſorum, plantarumve emollientium, & aromaticarum; oleum vel magma olivarum; vinacea, lac, &c. ſæpiùs ad varium ſcopum adhibentur. Cum balneis domeſticis ſimplicioribus coincidunt *balnea fluminum*, quæ ardente Syrio in uſum veniunt; nec minorem laudem merentur, dummodò ad hæcce lavacra mane vel quatuor horis poſt prandium accedatur.

PRÆNOSCENDA.

Balnea frigida, quæ, ſæviente brumâ, cautè uſurpari queunt, à Veteribus ſummè deprædicata; & apud plures gentes, venuſtatis vel religionis causâ adhuc uſitatiſſima, rarò apud noſtrates, neſcio quo fato, commendantur. Hæc ſummis laudibus extollunt Angli; non ſolùm ad rheumatiſmum, arthritidem & affectus hyſtericos, ſed etiam ad præcavendos catarrhos, alioſque id genus morbos, quibus obnoxii ſunt. Haud ultrà duo vel tria minuta protrahi debent, hybernâ tempeſtate, prædicta balnea frigida; ni ſinat conſuetudo; ſed ad ſemi-horam, & ultrà, protelari poſſunt in menſibus æſtivis; quæ tamen caveant, qui pectore laborant. Nullum fortè balneo frigido occurrit præſentius remedium contrà imminentem rachitidem, alioſque graviores & pertinaciores infantum morbos, ob vires roborantes quibus pollet; cur fit ut plurimùm conferat ſub pedis diſtorſione: præcavetur enim partis intumeſcentia, ſi illicò immergatur in aquam frigidam, per horam integram & ultrà. Nec minorem fortè laudem meretur balneum frigidum in urinæ incontinentiâ, & adversùs ſanguinis profluvia; atque ſub ſpaſmodicis nervorum morbis, dummodò tamen ejus uſus diù proteletur; nonnullis, pro re natâ, adhibitis intervallis. Cavendum inſuper ne ſanguis, conſtrictis vaſis cutaneis, majori impetu ad cerebrum, aliaque viſcera feratur. Multiplici experientiâ ſcitur delirium febrile, & furorem maniacum huicce præſidio pluriès ceſſiſſe. Quantùm valeat ad præcavendam rabiem nemo neſcit. Illud ſedulò animadvertere debemus ferè omnes qui poſt balneum frigidum lecto ſe committunt, in ſudoris rivulos diffluere; quod ſanè quidem omnem impeditæ perſpirationis ſuſpicionem amovet.

Balneum aquarum thermalium inter præſtantiora remedia adversùs morbos chronicos pertinaciores recenſetur: mira præſtat in variis irruptionibus, quibus cutis defœdatur; doloribus rheumaticis occurrit; decantatur in paralyſi; medetur membrorum contracturæ & atrophiæ; valet in tremore; prodeſt in ſtupore, &c. Hujus ope abſtergitur cutis, & reſerantur occluſa tegumentorum ſpiracula, quæ non ſolùm ſudori egreſſum largiuntur; ſed etiam moleculis aqueo-mineralibus ingreſſum parant. Morandum in balneo ab horæ quadrante ad ſemi-horam, & ultrà, ſi vires ferant: haud niſi ſummâ cautelâ præſcribi debent prædicta balnea vertiginoſis & epilepticis, hypochondriacis & hyſtericis, phthiſicis, &c. Notare expedit quòd inter horum uſum, haud ulteriùs ſit progrediendum; ſi vires deficiant; ſomnus arceatur & appetitus langueſcat.

Balneum vaporarium, vel *ſudatorium* (vulgò *Etuves*), aſſumitur in cœnaculo quod replet vapore aquarum thermalium, quo brevi ſudor copioſiſſimus prolicitur: ſed plerúmque caput & pulmones afficit hypocauſtum illud humidum; adeò ut nonnulli illud ægrè ferant, ni notiſſimâ arte & peculiari balneorum induſtriâ, caput & os tueantur. Hâc cautelâ, tectis ſcilicèt ſuperioribus, aquæ ferventis vulgatiſſimæ vapor, cum ægrorum levamine familiariſſimè excipitur. Hæc cujuſcumque ſortis balnea

caute adhiberi debent, tàm in teneriori, quàm in provectiori ætate: noxam ſæpiùs inferunt plethoricis & cachecticis: ab illis abſtineant quorum pulmones afficiuntur. Obſtant quoque animi pathemata, hæmorrhagiæ, alvi profluvia, &c.

PRÆNOS-CENDA.

Præter jam traditas balneorum ſpecies, aliæ ſub vario ſcopo adhibentur: *balneum* nempè *aquæ maris* reſpicit hydrophobiam, & conducit in ſcabie. *Balnea aromatica* vel *vinaceorum* pro roborantibus eximiis, imò & reſolventibus habentur. *Balnea ex oleo* vel *magmate olivarum*, è *lacte*, vel *decocto omaſorum* inter præſtantiora demulcentia & emollientia recenſentur. *Balneum arenæ*, circà maris littora, vel in alveo fluminis, radiis ſolaribus excalefactæ, pluris habetur ad dolores rheumaticos; vel crurum intumeſcentiam œdematoſam: idem ſabulum calore furni impregnatum haud minorem opem præſtare videtur. In eumdem uſum vocantur furfur, folia alni, aliarumve arborum; quæ ſcilicèt in furno aliquandiù recluduntur, vel ſoli æſtivo exponuntur, ut debitum calorem contrahant.

Singulæ materies humidæ vel ſiccæ, de quibus hactenùs, ad balnea pecularia, hanc vel illam partem reſpicientia etiam uſurpantur. *Semicupium* audit, ſi æger renibus vel inguinibus tenùs in aquam, aliumve liquidum ſe dimittat: crebrò hâc ratione uſurpatur adversùs nephritidem, iſchuriam renalem, & veſicarem, colicam hepaticam, &c. Ubi crura arthritide, œdemate, ulcere, aliove morbo tacta, extrà labrum collocantur, *inceſſus* vocitatur, nec minùs fortè proficuus ſub præmemoratis caſibus; qui aliàs ob minorem quem requirit apparatum, omnibus magis arridet. Si pedes duntaxàt, vel crura madeant, *Pediluvium* dicitur, quod commendatur in variis capitis morbis, dolore vel ſpaſmo ſtipatis; valet in fluxionibus oculorum; conducit in aſthmate convulſivo & cordis palpitatione; prodeſt in ſuppreſſis menſtruis, vel hæmorrhoïdibus, &c. Somnum quandóque accerſit: præſertim ſi loco aquæ, adhibeatur decoctum capitum papaveris albi, aliarumve plantarum narcoticarum Haud diſſimili demùm ratione balneantur brachia, doloribus, intumeſcentiâ, vel contracturâ impedita.

Embrocatio, vel *irrigatio ab alto*, (*la Douche*), eſt quædam balnei ſpecies à lapſu aquæ, alteriuſve liquidi producta. Si guttatim vel levi ſtillicidio delabatur liquidum, ope lintei, panni, vel ſpongiæ hocce imbutorum, dicitur *embrocatio*: ubi verò pleno gurgite irruit è fonte naturali vel artificiali; aut quâvis aliâ arte injicitur & vibratur, *irrigatio ab alto* audit. In hunc uſum veniunt aquæ thermales, varia infuſa aut decocta pro vario ſcopo: ſic adhibitæ aquæ thermales, efficaciſſimæ cenſentur ad emolliendos vel reſolvendos tumores pertinaciſſimos; ſummè deprædicantur in exoſtoſibus, cæteris remediis obſurdeſcentibus: dolores fugant diuturniores; ulcera vetuſtiora ſanant; contracturæ artuum medentur, &c. Nec omni virtute deſtituitur aqua communis; dummodò

ex altiore loco, & uberrimo proventu fluat: experientiâ enim compertum manet varios tumores artuum, tàm arthriticos, quàm ſcrophuloſos nullâ arte domandos hocce præſidio brevi evanuiſſe. Ad irrigationem etiam referri debet hæc aquæ frigidæ aſperſio in faciem lipothymiâ correptorum, cujus efficacia haud fugit ipſaſmet mulierculas.

PRÆNOSCENDA.

Ejuſdem commatis ſunt *fotus*, balneorum vicem ſupplentes, quorum materiam præbent aqua communis vel diſtillata; infuſa vel decocta, lac, vinum, oxycratum, lixivia, aqua calcis, &c. quibus imbuuntur linteamina; panni, ſpongiæ, in varium finem parti admovenda. Ad fotus proximè accedunt *lotiones*, quæ iiſdem liquoribus peraguntur. A lotionibus, ſolo utendi modo, diſcrepant *injectiones* quæ reſpiciunt aures, urethram & veſicam, vaginam & uterum, anum & ulcera fiſtuloſa: ad hoc opus uſurpantur aquæ thermales, hydromel vel aqua mulſa, infuſa & decocta, ſucci, olea, lac, &c. Hinc patet alias eſſe demulcentes & anodynas; alias vulnerarias, adſtringentes, &c.

Vix definire licet quid ſit intelligendum per *epithema*; cùm illud vocabulum à mero curantium arbitrio pendere videatur. Sic nuncupantur peculiares fotus ſcrobiculo cordis, cervici, fronti, temporibus, &c admovendi. *Veſica* bubula lacte, aquâ, &c. ſemi-turgida, inter paregorica externa recenſenda epithematum claſſem ſubit: eamdem ingreditur *ſcutum* conſtans pulveribus aromaticis, vermifugis, catharticis, antiſpaſmodicis, balſamis, reſinis, quæ goſſypio carpto excipiuntur; vel liquefacta & ſubacta, cataplaſmatis vel emplaſtri inſtar, umbilico aut circà præcordia imponuntur. In eâdem epithematum ſerie recipiuntur *ſacculi* quibus includuntur varii pulveres aromatici, ſalia, &c. regioni epigaſtricæ utplurimùm admovendi; nunc ſicci, nunc vino, alterive liquido priùs immerſi; quibus egregiæ nonnunquàm tribuuntur vires à variis nebulonibus, quos nænias venditare non pudet. In eodem ordine etiam collocatur *dimidium panis* illicò è furno extracti, cujus efficaciam nemo non novit; tàm ad ſedandos dolores acutiſſimos, quàm ad reſolvendum recentem infarctum; vel *panis aſſatus* vino generoſo vel aquâ vitæ irroratus & pulveribus aromaticis inſperſus regioni epigaſtricæ, volæ manuum aut plantæ pedum ad reficiendas vires imponendus. *Columbæ* demùm, *catelli*, aliaque animalia viventia ſecta; *omentum* vervecinum, agninum, &c. quæ maximo ægrorum levamine capiti, aut regioni ſtomachi applicantur, epithematum etiam gradum conſequuntur.

Innumeræ fermè ſunt materies quæ *cataplaſmata* ingredi queunt; radices ſcilicèt; folia, flores, fructus, grana & farinæ; mica panis, fermentum piſtorum, gummi, ſapones, unguenta, electuaria, lutum, terræ; aliique pulveres; non ſecùs ac aqua, vinum, acetum, aqua vitæ, lac, mel, vitellum ovi & albumen, butyrum, olea, axungiæ, &c. è quibus crudis vel coctis parantur cataplaſmata: nonnulla è ſimplici horum miſcellâ conficiuntur; alia teruntur & per ſetaceum trajiciuntur; &c. adeò

PRÆNOSCENDA.

ut exhinc emergat medicamen pultiforme cujus vires diverſas eſſe nemini haud obvium: cataplaſmata enim, alia ſunt maturantia, digeſtiva, emollientia, anodyna & reſolventia; alia repercutientia, adſtringentia, roborantia, cathæretica, antiputrida, &c.

Agmen topicorum generalium claudet *linimentum* vel litus, cujus materiam præbent balſama naturalia, officinalia, vel magiſtralia; olea, axungiæ, medullæ, butyrum & unguenta. Linimentum, cui additur tantillum cujuſdam liquidi ſpirituoſi, ut penetrantius evadat, non ſolùm calidè uſurpari debet; ſed iners cenſetur, vel levis efficaciæ, ni pars prævio frictu incaleſcat: nemo enim neſcit hâc cautelâ adhiberi unguentum mercuriale, litus ad ſcabiem, &c. Ægrè tamen cutem trajiciunt linimenta, quâcumque arte admoveantur; ni præmittantur balnea quorum ope patentes poruli moleculis oleoſis ingreſſum largiuntur. De *emplaſtris*, quibus olea, axungiæ, medullæ, butyrum, cera, pix & reſinæ baſim præbent; meris compoſitionibus officinalibus, quorum utendi modus neminem vel inexpertum fugit, nil addimus.

Abſolutis quæ brevi erant dicenda de remediis externis generalibus, nonnulla addere licet de illis quæ peculiarem corporis partem reſpiciunt; inter quæ primatum obtinent oculis dicata, *collyria* nempè, quorum diverſæ ſunt vires: alia enim ſunt refrigerantia, demulcentia, vel anodyna; alia repercutientia, reſolventia, detergentia, &c. Collyriorum materiam ſuppeditant aqua communis vel diſtillata, aquæ minerales, vinum, lac, varia decocta & infuſa, &c. quibus addere licet ſpiritus ardentes, nonnulla ſalia, atque quoſdam pulveres. Inſuper pulpa malorum, albumen ovi, mucilagines, variaque cataplaſmata, quæ pro re natâ oculis admoventur; non ſecùs ac pulveres qui in ipſos inſufflantur, in collyriorum ordine recipiuntur. Circà hæc remedia notare expedit alia eſſe, quæ eodem titulo perperàm inſigniuntur, licèt ad oculos minimè ſpectent; exemplo ſit collyrium Lanfranci, quod in ulcerum curatione, ceu cathæreticum, uſurpatur.

Gargariſmata circà fauces, reflexo capite, agitanda; vel lotionis inſtar, cæteris oris partibus proſpicientia, conficiuntur ex aquis diſtillatis, vel thermalibus, è variis infuſis aut decoctis; ex oxycrato, lacte; ſpiritibus ardentibus aquâ temperatis, melle, ſyrupis, mucaginibus, &c. Hinc obvium fit alia eſſe demulcentia, anodyna, emollientia & ſtimulantia; alia repercutientia, adſtringentia, reſolventia, maturantia, detergentia, antiſcorbutica, &c. Si ægrè gargariſmate utantur decumbentes, vel modum aſſequi nequeant, uti infantes; hujuſce vires gerit injectio ejuſdem liquoris, quæ eumdem effectum præſtat; imò & majorem opem fert.

Pudoris ſinum reſpicit *Peſſarium*, nunc molle, nunc firmum; ſub multiplici formâ & diverſæ molis, ratione varii curantium conſpectûs, conficitur è goſſypio oleis & unguentis inuncto, è panno lineo vel ſericeo, in quo includuntur nonnulli pulveres, è melle cocto variis rebus impregnato;

impræ̈gnato; è quibuſdam radicibus, &c. Crebriùs tamen uſurpatur ſolidum ſimpliciſſimum ex ebore, ligno, vel ſubere cerâ obducto, ad præcavendum vaginæ prolapſum, aut pro urinæ incontinentiâ. È diverſis verò materiebus propriis conficitur medicamentoſum; quod inditur ad promovendum menſtruorum fluxum, vel ut nimius cohibeatur proventus; ad compeſcendum pruritum; ad detergenda ulcera, &c. Mulieribus duntaxàt congruunt peſſaria; aliàs non ſunt adhibenda ne lædantur virginitatis clauſtra; quod in Medici opprobrium cedere valet.

PRÆNOSCENDA.

Omnibus innoteſcit *enemata* parandi & injiciendi modus; nec latet quòd horum ope promoveatur ſcybalorum exitus; leniatur interaneorum æſtus; ſedentur dolores, & flatus expellantur. Nonnulla è jure carnium parata nutrientia audiunt, & ſuppetias ferunt miſellis ægris quorum obſtructæ ſunt deglutitionis viæ: alia ſunt adſtringentia, detergentia & antiputrida; alia febrifuga, hyſterica, ſtimulantia, &c. Scire expedit quòd nonnunquàm intromittatur *fumus tabaci*, ad adſtrictionem alvi pertinaciſſimam, non ſecùs ac adversùs ileum etiam ab herniâ productum. Ad hoc opus adhibetur nicotianæ ſemi-uncia, cujus fumus in anum detruditur ope inſtrumentorum à DEKKERO & aliis delineatorum; vel beneficio veſicæ; aut quâvis aliâ arte. Quandòque demùm, ut nil intactum relinquamus, *folle fàbrili* inſufflantur inteſtina; & hoc præſidium nonnullis ilioſis optimè ceſſiſſe videtur.

Vix diſcrepat ratione formæ *ſuppoſitorium* à peſſario: primum ano dicatur; aliud vaginæ proſpicit. Suppoſitorii materiam præbent, præter goſſypium & linteamina, caulis betæ, braſſicæ, mercurialis, aliarumque conſimilium; porrum, ſapo, lardum, ſebum, butyrum cacao, mel coctum, caſeum ſalitum, &c. quibus addere ſolent ad ſollicitandam alvum, ſal gemmeum, vel ammoniacum, diacrydium, agaricum, aloe, colocynthidem, euphorbium, aliaque ſtimuli vices gerentia: vel ad alium ſcopum conficiuntur ſuppoſitoria; emollientia nempè, demulcentia & anodyna; reſolventia, adſtringentia, vermifuga, detergentia, &c. quæ ſub variis caſibus proficuè adhiberi queunt.

Inter præſidia externa præſtantiora jure recenſetur *ſanguinis miſſio*: hinc ab inſtituto haud alienum de ejus ſpeciebus, earumque proſperis & adverſis effectibus, quaſi per tranſennam, vel mantiſſæ inſtar, nonnulla in medium adducere; miſſis tamen quæ ad encheireſim chirurgicam, à noſtro propoſito planè alienam, ſpectant: omnibus notum eſt ſanguinem mitti è venis brachii, manûs, pedis, cervicis, linguæ, frontis, oculorum, &c. atque pro vario ſcopo hanc vel illam tundendam eſſe: nec minùs patet hâc operatione depleri vaſa, primò partis phlebotomo ſubjectæ; dein cæterarum partium, juxtà notiſſimas ſanguinis circuitûs leges. Haud reticendum arteriam etiam temporalem ſecari, abſque aneuriſmatis periculo, ob ſubjectum os: quod remedii genus ſub gravioribus capitis affectibus plures fauſto beavit eventu. Opportunè adhibetur *venæ*

PRÆNOSCENDA.

ſectio ſub ingreſſu febrium : egregiam opem confert in apoplexiâ ſanguineâ ; aliiſque morbis congeneribus ; in anginâ, nephritide, peripneumoniâ, aliiſque inflammationibus internis : nec minùs proficua cenſetur in gravioribus vulneribus, poſt caſum ab alto, &c. tanquàm prophylactica celebratur, poſt ſufflaminatam quamcumque hæmorrhagiam ; ſi plethoræ ſint indicia, vel ingruat ſomnolentia cum torpore ; inter cordis palpitationes, vertigines, cephalalgias, hæmorrhagias crebriùs recurrentes, &c. Sed haud ultrà modum eſt repetenda, ne ægrorum res in deteriora ruant, & exhauſtis viribus fatum acceleretur. Hæc præſertim occurrunt pericula temperie biliosâ præditi. Summâ etiam cautelâ infantibus, non ſecùs ac ſenio confectis præcipi debet : illam ægrè ferunt debiles, tabidi, phthiſici & hydropici : ab illâ abſtinendum in apoplexiâ ſerosâ : nec magis confert, niſi in urgentiori caſu, poſt variolarum & morbillorum eruptionem : noxam demùm infert nonnullis hyſtericis & hypochondriacis, non ſecùs ac paralyticis, arthriticis, &c. Venæ ſectio demùm, ut hæc omnia in unum contrahamus, præſentiſſimum remedium audit ; ſi opportunè celebretur ; aliàs inutilis vel lethalis evadit. Per tranſennam notare expedit, plures repetitis, ſtato tempore, venæ ſectionibus aſſuetos, circà ſolitum phlebotomiæ tempus, eadem mala pati, quibus conflictantur feminæ, retentis menſibus ; quod altâ mente tenere debent huic uſui plus æquo addicti.

Sanguinis miſſionem, tanquàm ſuccedaneæ, excipiunt *hirudines* (*les ſangſues*) ; quæ etiam ad deplenda vaſa ſanguinea adhibentur. Scitur hancce vermium paluſtrium latam ſpeciem cuti pertinaciter hærentem cruorem exſugere, quo ſenſim turget ad crepaturam. Variis partibus, temporibus nempè ; ponè aures ; majori oculi cantho, palpebræ inferiori ; internis naribus, ano, artubus, &c. in aquâ priùs expurgatæ in varium finem admoventur hirudines : ad exinanienda ſcilicèt viciniora vaſa, vel ad quamdam revulſionem excitandam ; cujus ratione egregiam opem præſtant in ophthalmiâ pertinaciori, aliiſque capitis fluxionibus ; conducunt in delirio ; cephalalgiam compeſcunt ; valent in hæmorrhagiâ narium, pulmonum, alteriuſve partis ; tumentibus hæmorrhoïdibus medentur, &c. Circà utendi modum addere juvat quòd proboſcidem ægrè cuti infigant, ni priùs frictu incaleſcat ; vel aquâ tepidâ, lacte aut ſanguine columbæ madeat. Ubi cruore turgent hirudines ; utplurimùm decidunt : aliàs ſale vel cinere inſpergi ſolent, ut cutem dimittant. Si majorem ſanguinis copiam educere animus ſit ; earum cauda amputatur, ut hoc vulnere ſanguis ſtillet : his tamen remotis haud deſinit quandóque fluere hic latex ; ni aquâ ſtypticâ inflictum vulnus foveatur. Notare expedit hirudines haud ſine cautelâ ori, naribus, ano admovendas eſſe, ne prædictos hiatus ſubeant ; quod haud ſine præſenti vitæ diſcrimine pluriès accidiſſe fertur. Ubi ſub hoc infortunio, ad ſtomachum vel tubum inteſtinalem appellunt prædicta inſecta ; aquâ ſalsâ, vel purgantibus reme-

diis domari, & foràs expelli queunt: ſed ſi in narium latebras ſubrepant; nil calamitoſius poteſt excogitari; ni fortè fortunâ, violentâ ſternutatione foràs abigantur.

PRÆNOSCENDA.

Concurbitulæ (*les Ventouſes*), quarum forma & utendi modus neminem latent, imponuntur ſcapulis, dorſo, poſticæ cervicis parti, coxis, ſuris, &c. Scitur quoque alias, ut inquiunt, eſſe ſiccas, alias cruentas. Siccæ minoris ſunt efficaciæ, ni aliquod juvamen afferant à partis intumeſcentiâ: cruentæ verò vel ſcarificatæ, quibus cruor pro libito educitur, phlebotomiæ minime cedunt; imò & ſub variis caſibus pluris habentur. Ob dolorem quo ſtipantur hæ poſtremæ, torpentes ſpiritus exſuſcitant in apoplexiâ, aliiſque affectibus comatoſis: ex eodem fonte emergit revulſio in morbis convulſivis ſummè proficua. Nec minorem laudem merentur cucurbitulæ ſcarificatæ in aliis capitis morbis; in affectibus oculorum, oris, &c. Egregiam poſtremò opem ſæpiùs conferre in pleuritide, ſi propè locum affectum admoveantur; multiplici ſolertiorum experientiâ conſtat.

Neminem fermè fugit *fonticulum*, de quo ſupereſt ut dicamus, nuncupari illud ulcus artificiale, à lapide cauſtico, infernali, aliove congenere, vel à ferro candente productum. Brachia, crura, occiput, &c. huicce operationi pro curantium mente vel arbitrio ſubjiciuntur. Tutiori & breviori viâ incedere videntur, qui vulnuſculum ad hoc opus cuti infligunt: cauſticum tamen officinale, etſi majorem dolorem concitat, uſitatius eſt; imò nonnunquàm præſtantius. Hoc excipit *cauterium*, ut inquiunt, *actuale*, vel ferrum candens, cujus inuſtionem pavent meticuloſi; quod tamen cæteris palmam præripit ob extemporaneam revulſionem, quam in nonnullis caſibus maximi eſſe momenti ratum apud Practicos manet. Exolevit tamen hæc inuſtio quæ vix à noſtratibus commendatur, niſi ad oſſium cariem: nullum ſanè quidem præſentius eſſe remedium ad illicò extinguendum venenum horrendum quod à morſu viperæ, animaliumque rabidorum ſoboleſcit; multiplici experientiâ compertum manet.

Ad cauterium actuale referri debet aduſtio quæ peragitur ope *moxæ Sinenſium*; quæ nil aliud eſſe videtur quàm tomentum cujuſdam artemiſiæ exoticæ de quâ Linnæus. Ad formam pyramidalem convolvitur, cujus baſis diametri unius circiter pollicis cuti glutinatur, ope gummi arabici; ut ignis ab apice ad baſim accedens cutem afficiat. Huic ambuſtioni, nunc iteratæ; aliàs pro vario ſcopo multiplicatæ, admoveri ſolet unguentum baſilicum. Sinenſes & Japonenſes hoc cauterii genus majori encomio deprædicant ad eradicandos dolores pertinaciores rheumaticos, arthriticos, alteriuſve indolis: ſic medentur apoplexiæ, epilepſiæ, aliiſque morbis congeneribus, qui huic violentæ revulſioni cedere ſolent. Moxæ conſimilem materiam ſuppeditare valent variæ plantæ lanuginoſæ indigenæ: tomentum enim cujuſdam echinopi, apud Hiſpanos familiariſſimi. Agaricus igniarius, cæteris ſubſtantiis fortè præſtantior; clematitidis pappi, aliarumve ſtirpium: goſſypium vulgatiſſimum, linum, &c. eâdem ratione uſurpari queunt.

PRÆNOSCENDA.

Cauterium , ut hiſce generalibus, fortè prolixioribus, finem imponamus, non ſecùs ac *ſetaceum* , quod hùc coincidit, quâvis arte excitetur & cuivis parti admoveatur , inter exquiſitiora & tutiora præſidia recenſeri debet, non ſolùm ad præcavendos morbos ſonticos; ſed etiam ad leniendos vel eradicandos diuturniores. Egregiam opem præſtat ſub variis capitis affectibus , & præſertim oculorum ; conducit in iſchidiaco dolore ; omnibuſque caſibus , ubi revulſionis opus eſt. Coronidis loco addere juvat hanc ſentinam annoſam haud ſine præſenti periculo exareſcere in provectiori ætate : quod ſi fortè accidat omni ope moliendum , ut ſaburra purulenta per hancce viam eliminari & purgari ſolita, ad ſuum alveum revocetur; vel quâvis aliâ arte foràs deturbetur; ne cerebrum , pulmones, aliave organa impetat.

SECTIO PRIMA.

DE MEDICAMINIBUS GENERALIBUS, quæ ſcilicèt ſingulis partibus admoveri ſolent.

EMOLLIENTIA.

Sub hoc titulo comprehenduntur ea medicamenta externa quæ rigidioribus fibris flacciditatem impertiri; ac partibus duris & renitentibus mollitiem conciliare valent : cur fit ut dolores ab hiſce cauſis prognatos leniant & compeſcant. Hiſce effectibus ritè perſpectis, minime mirari ſubit; ſi concretis & impactis fluxilitatem inducendo, reſolventium ſæpiùs & maturantium vices gerant prædicta topica; quorum ſalubres effectus in propatulo ſe ſiſtunt; licèt ſub vaporis, lotionis, irrigationis, balnei, fotûs; vel cataplaſmatis, linimenti, emplaſtri, &c. formâ adhibeantur. E conſpectu ſequentis ſeriei luce clariùs patet haſce materies ſuam virtutem mutuari à particulis aqueis, mucilaginoſis, pinguibus & oleoſis, quibus ſcatent; quæ calore actuatæ ſubjacentium partium intercapedines altiùs ſubeunt; ac peroptatum effectum feliciùs exerunt. Hinc patet quid valeat aquæ tepidæ ſimpliciſſimæ vapor, quæ inter emollientia principem locum jure obtinet. Priuſquàm album emollientium ſiſtamus, non abs re erit animadvertere quod, inter herbas recenſendas, quinque numerentur, nempè althæa, malva, mercurialis, parietaria & viola, quæ in officinis emollientes audiunt : nonnulli tamen loco malvæ & violæ, brancam urſinam & betam in hoc cenſu admittunt.

EMOLLIENTIA.

EMPORETICA.

RADICES althææ, nymphææ, liliorum, coronæ imperialis ([1]), lapathi. Folia malvæ ([2]), althææ, ſenecionis ([3]), acanthi ([4]), mercurialis, parietariæ, betæ ([5]), bliti, verbaſci, violæ ([6]), borraginis, telephii, ſonchi, portulacæ, ſedi.

Flores chamæmeli, meliloti, verbaſci, ſambuci.... Semina lini, fænugræci.... Farina hordei, orizæ, lupini, ſecalis, tritici ([7]), mica panis... Malum, caricæ, amygdalæ dulces, nuclei pinei.... Oleum ([8]), magma olivarum, ſapo, gummi... Lac; butyrum, cremor lactis, ſperma ceti... Medullæ, axungiæ, omaſa.... Animalia recèns mactata, lana ſuccida... Aquæ Plumberianæ, Borbonienſes Anſelmienſes, Dinienſes, Granenſes, Vicienſes, Baregienſes. Lutum aquarum Amandinarum, cæterarumque thermalium, ipſamet aqua communis tepida.

OFFICINALIA.

AQUA ſperniolæ, liliorum.... Mucilago ſeminum pſyllii, cydoniorum.... Oleum ſeminum frigidorum, amygdalarum dulcium, lini, cannabinum ([9]), liliorum ([10]), chamæmeli ([11]), laurinum, lumbricorum, catellorum, ovorum.... Unguentum de althæâ, roſaceum, fuſcum, populeum.... Ceratum Galeni, pomatum rubrum.... Emplaſtrum de mucaginibus ([12]), diachylon ſimplex & gummatum, de ſpermate ceti, de meliloto ([13]).

MAGISTRALIA.

FOTUS.

℞ *RADICUM althææ* & *nymphææ* ana uncias duas. *Folior. malvæ*, *parietariæ* & *violæ* ana manipulos duos. *Florum chamæmeli* & *meliloti* ana ſemi-manipulum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Et fiat fotus quo imbuuntur lintea quadruplicata, vel panni lanei molliuſculi; quæ parti admoventur, donec refrixerint.

℞ *Radic. liliorum* & *lapathi* ana uncias duas. *Folior. malvæ*, *ſenecionis* & *verbaſci* ana manipulos duos. *Seminum lini* unciam unam. *Florum chamæmeli* manipulum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex; pro fotu.

℞ *Seminum lini* uncias duas. *Florum malvæ* & *violarum* ana manipulos duos. Coque in aquæ q. ſ. pro fotu calidè admovendo.

EMOLLIENTIA.

CATAPLASMA.

℞ *Folior. malvæ*, *parietariæ*, *violæ* & *althææ*, ana manipulos duos. *Florum chamæmeli* manipulum unum. Coque ad putrilaginem in aquæ q. ſ. Trajiciantur per ſetaceum, & igne exſiccentur ad cataplaſmatis conſiſtentiam.

℞ *Radic. althææ*, *nymphææ* & *liliorum alborum* ana uncias quatuor. *Folior. verbaſci* & *violæ* ana manipulum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad putrilaginem, & extrahatur pulpa; cui adde *unguenti de althæâ* unciam unam.

℞ *Farinæ ſeminum lini* libram unam. *Micæ panis* uncias ſex. Coque in *decocti althææ* q. ſ. ad debitam conſiſtentiam.

℞ *Pulpæ herbarum emollientium* libram unam. *Farinæ ſecalis* uncias duas. *Farinæ fabarum* & *lupinorum* ana unciam unam. Coque ex arte in aquæ q. ſ. ad cataplaſma.

℞ *Radic. althææ* unciam unam. *Foliorum malvæ*, *brancæ urſinæ* & *hyoſcyami albi*; *florum chamæmeli* & *ſambuci* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad putrilaginem. Per ſetaceum trajectis adde *farinæ fabarum* & *ſeminum lini* ana uncias duas. *Axungiæ gallinæ* unciam unam. Fiat cataplaſma.

℞ *Micæ panis albiſſimi*; *pulveris florum chamæmeli* & *ſambuci* ana uncias quatuor. Infunde calidè per quatuor horas in *lactis* q. ſ. Leviter dein ferveant, addendo ſub finem *croci* ſemi-drachmam pro cataplaſmate; ſæpiùs renovando ne aceſcat, aut exſiccetur.

℞ *Panis ſimilaginei* & *farinæ ſeminum lini* ana uncias quatuor. Coctis ex *lacte*, adde *olei liliorum* q. ſ. ad cataplaſma.

LINIMENTUM.

℞ *Catellos recèns natos* numero duos. *Lumbricos terreſtres* numero duodecim. Foliorum inciſorum *malvæ* & *hyoſcyami* ana manip. unum. Bulliant per horam in *olei olivarum* libris tribus, & *vini albi* libris duabus. Circà finem adde *florum hyperici* & *chamæmeli* ana manipulum unum. Cola & exprime ad linimentum calidè adhibendum, pro ankyloſi.

℞ *Axungiæ humanæ* unciam unam. *Olei catellorum*, *medullæ bovinæ* ana ſemi-unciam. *Spermatis ceti*, *terebinthinæ* & *ſtyracis* ana drachmas duas. *Olei lumbricorum* q. ſ. Liquefiant in balneo maris, & fiat ex arte unguentum.

EMPLASTRUM.

℞ *Emplaſtri de mucaginibus* uncias duas. *Pulpæ radic. liliorum* unciam unam. *Olei liliorum* q. ſ. Fiat emplaſtrum ſecundùm artem.

EMOLLIENTIA.

COMMENTARIA.

(1.) CORONA *Imperialis*, Dod. Pempt. (*Couronne Impériale*).

Lilio affinis hæc planta à florum in orbem circà comam foliaceam diſpoſitione nomen mutuatur. Radix duntaxàt fœtida, bulboſa & ſquamoſa in uſum venit; ac inter emollientia locum obtinet: nec ipſi denegatur vis reſolvens. Raro tamen adhibetur, vel propter penuriam, vel ob uberrimum cognatorum proventum.

(2.) *Malva* vulgaris flore majore, folio ſinuato, J. B. (*Mauve.*)

Emollientium claſſem ſubeunt folia hujuſce vulgatiſſimæ plantæ, quam Veteres inter olera numerabant. Ex hiſce foliis parantur enemata, fotus, balnea & cataplaſmata. Flores verò in uſum internum vocantur; ipſiſque haud immeritò conceditur vis demulcendi; cujus ratione commendantur in affectibus pectoris, æſtu & ardore ſtipatis; egregiam opem ferunt in ſtranguriâ, nonnulliſque aliis renum & veſicæ morbis. Ad manipul. ſemis pro aquæ libris duabus in infuſo præcipi ſolent.

(3.) *Senecio* minor vulgaris, C. B. pin. (*Seneçon*).

Inter emollientia primi ordinis recenſeri debet hæc planta; quæ etiam pro reſolvente habetur. Decoctum commune enematum ingreditur, vel ſub cataplaſmatis, fotûſve formâ adhibetur. Conducit in tineâ; hæmorrhoïdum dolorem compeſcit; nec inutilem opem confert in teſtium phlogoſi.

(4.) *Acanthus* ſativus ſeu mollis Vergilii, C. B. pin. Branca utſina Italor. (*Acanthe* ou *branche-urſine*).

In ſerie emollientium numerantur hujuſce ſpeciei folia, quæ haud abſimili ratione, eâdemque methodo adhibentur. A nonnullis laudatur radicis ſuccus in ambuſtione: nec deſunt, qui varias proprietates ſeminibus tribuunt; de quibus dubitare licet.

(5.) *Beta alba* vel palleſcens quæ Cicla officinarum, C. B. pin. (*Poirée blanche*).

In eumdem uſum extetnum vocatur hæc planta olitoria, cujus binæ aliæ ſpecies ſuccedaneæ cenſentur. Succus prætereà naribus attractus ſternutationem movet, & majorem elicit muci copiam: cautè tamen uſurpari debet hoc errhinum; cùm haud planè innocuum apud ſolertiores cenſeatur. Folia paululùm complanata, & butyro illita adhiberi ſolent ad demulcendos, vel detergendos achores, ut inquiunt, & favos infantum; vel ad ſollicitandum blandâ proritatione humorum effluxum à veſicatoriis inchoatum; caules demùm ſuppoſitorii materiam præbent. Coronidis loco addere haud ſuperfluum judicamus, varias eſſe plantas affines, quæ eodem modo uſurpari queunt; *blitum* nempè, (*la blette*); *atriplicem*, (*l'arroche*); binas *chenopodii* ſpecies, (nimirùm *la patte d'oie* & *le bon henry*, &c.)

(6.) *Viola*

EMOLLIENTIA.

(6.) *Viola* martia purpurea flore ſimplici odoro, C. B. pin. (*Violette*).

Flores gratiſſimum odorem ſpargentes pro refrigerantibus laxantibus & anodynis ad uſum internum habentur. Ideò fauſtè uſurpantur in tuſſi & aſperitate faucium; ſitim fallunt; & æſtum febrilem mitigant; nec ipſis denegatur locus in cardiacorum numero. Præſcribuntur in infuſo à pugillo uno ad duos, pro quâque librâ aquæ. Ex illis etiam paratur conſerva quæ exhibetur ad drachmam unam vel alteram; non ſecùs ac ſyrupus & mel, de quibus ſuo loco. Semina inſuper vi laxante & demulcente gaudent, & in diureticorum mitiorum ordinem admittuntur; atque à drachmis duabus ad tres, in emulſionibus recipi ſolent. Folia demùm ad uſum externum crebrò vocantur tanquàm emollientia, ſub lotionis, fotûs, balnei, cataplaſmatis, vel enematis formâ. Pediluvia anodyna interdùm ingrediuntur; & ejuſdem generis gargariſmata ſubeunt.

(7.) *Triticum* hibernum ariſtis carens, C. B. pin. (*Froment*).

Nullum eſt dubium quin farina tritici vi emolliente & reſolvente polleat; ſed ad nobiliorem uſum ſervatur illud frumentum; cùm haud deſint aliorum granorum farinæ quæ hæc munia adimplere valent. Aliter ſe res habet reſpectu micæ panis ſiliginei, è quâ parantur vulgatiſſima cataplaſmata emollientia & anodyna. Nec minùs notum eſt fermentum piſtorum in confectione cataplaſmatum maturantium & veſicatoriorum. De furfure ſuo loco.

(8.) *Oleum olivarum* tritu & expreſſione eductum intrinſecùs ſumitur tanquàm demulcens, cujus ratione torminibus auxiliatur; & opportunè exhibetur ubi de veneno corroſivo ineſt ſuſpicio. Alvum inſuper laxat; vomitum quandóque ciet; atque infantum vermes fugat & interimit. Propinatur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis, & ultrà, cum aquâ tepidâ, ſi de vomitu cogitetur. Latior eſt uſus olei externus; licèt ſincerum vel aliis ſubſtantiis refertum admoveatur. Etenim inter linimenta emollientia & demulcentia haud infimum gradum obtinet; ſub hoc conſpectu cataplaſmata, enemata, &c. ingreditur. Virtute etiam reſolvente præditùm cenſetur: nec ipſi denegatur locus in vulnerariorum & detergentium ſerie. Laudatur in acûs, alteriuſve cuſpidis puncturâ: compeſcit dolorem & pruritum ab ictu apum, veſparum, culicum tinnulorum, excitatos. Ex oleo cum vino cocto, ad hujuſce integram conſumptionem emergit balſamum, ut inquiunt, ſamaritanum, quod pluris habetur, nec immeritò, ad vulnera recentia. Balneum poſtremò vel ſemi-cupium, ex oleo olivarum vel ex ejus amurcâ paratum, præſtantiſſimum cenſetur in inſultu nephritico, aliiſque interaneorum acutiſſimis & urgentibus doloribus.

(9.) *Oleum cannabinum* è ſemine hujuſce plantæ notiſſimæ contuſo exprimitur; & pro emolliente, vel demulcente, habetur: ideò conducit in dolore iſchiadico; nec inutilem opem fert in ambuſtione. Nonnulli inſuper illud tanquàm reſolvens deprædicant adversùs tumores ſkir-

rhoſos, imò & ſcrophuloſos: ſed huicce remedio parùm fidendum eſſe cenſemus.

EMOLLIENTIA.

(10.) *Oleum liliorum* è multiplici horumce florum infuſione in oleo olivarum emergit. Inter emollientia, anodyna & maturantia celebratur. Linimenti inſtar calidè admovetur pectori, abdomini & regioni pubis, ad ſedandos ſubjacentium partium dolores; laudatur in ambuſtione; ſed crebriùs adhibetur ad confectionem cataplaſmatum emollientium, anodynorum, & maturantium: enemata demùm demulcentia, & laxantia, ingreditur.

(11.) *Oleum chamæmeli* à pluribus florum hujuſce plantæ infuſionibus in oleo communi conficitur. In emollientium & anodynorum tractu recipitur; reſolventiumque gradum obtinet. Hoc opportunè illinuntur abdomen doloribus excruciatum; artus paroxyſmo arthritico divexati, hæmorrhoïdes furentes, &c. Clyſteribus prætereà emollientibus, anodynis & carminantibus, ab unciis duabus ad tres ſæpiùs nec infelici ſucceſſu admiſcetur.

(12.) *Emplaſtrum de mucaginibus*, inter uſitatiora recenſendum, conflatur è terebinthinâ & reſinâ pini liquefactis in oleo, mucilagine radicis althææ, ſeminum lini & fænugræci, debitè impregnato; quibus adduntur gummi ammoniacum, galbanum, opopanax & ſagapenum; cum cerâ citrinâ & croco. Emollientium & reſolventium ordini adſcribitur; nec ipſi denegatur locus in maturantium agmine. Obiter notare expedit quod parùm conferant mucilagines, à quibus nomen mutuatur hoc emplaſtrum, cùm ignis vi planè immutatæ nil à priori indole retinere videantur.

(13.) *Emplaſtrum de meliloto* è decocto ſummitatum floridarum hujuſce ſtirpis in ſebo bovillo, additis cerâ & reſinâ, conficitur. Pro emolliente etiam & reſolvente habetur; ſed vix apud noſtrates in uſum venit.

DEMULCENTIA.

Demulcentia.

Licèt extrà omnem dubii controverſiam poſitum ſit emollientia & anodyna virtute demulcendi pollere; hæc tamen vis tribuitur præcipuè quibuſdam paregoricis, vel topicis pinguibus oleoſis & mucilaginoſis, quæ cujuſvis ſortis corpora laceſſentia blandè involvendo cutis dolorem, ardorem & pruritum mitigare vel ſedare valent; & quarum actio haud ultrà cutem & carnium ſuperficiem, utplurimùm, propagatur. Hancce claſſem etiam ſubeunt quidam pulveres abſorbentes qui vellicantia diverſarum ſubſtantiarum ſpicula, intrà ſinulos recondendo, cicurant; cur fit ut, ſublato ſtimulo, leniatur & compeſcatur irritatio. Utraque fauſtè adhibentur in fiſſuris labiorum, mammarum, genitalium & podicis: nec inutilem opem præſtant in pruriginoſis vel puſtuloſis cutis defœdationibus; in fluxionibus eryſipelaceis, &c.

EMPORETICA.

Caricæ pingues.... Oleum olivarum, nucum.... Gummi ammoniacum, tragacanthum... Lac, butyrum (1), & cremor lactis... Medulla (2) bovilla, cervina, &c... Axungia (3) humana, ſuilla, urſina, gallinacea, viperina, caſtorei, &c... Sperma ceti (4), ſperniola (5).... Cera, vitellus ovi.... Creta, ceruſſa, lithargyrus.

OFFICINALIA.

Aqua ſperniolæ.... Acetum ſaturni, lac virginale.... Mucilago ſeminum pſyllii, cydoniorum, gummi tragacanthi.... Oleum ovorum (6), catellorum, liliorum, lumbricorum, lini (7), chamæmeli, amygdalarum dulcium, ſeminum frigidorum, butyrum cacao.... Unguentum roſatum (8), de althæâ, album Rhaſis, diapompholygos (9), nutritum (10), populeum... Ceratum Galeni (11), pomatum album & rubrum.... Emplaſtrum de ſpermate ceti, de mucilaginibus, Abbatis *de Graſſe* (12).... Pulvis ſaturni, ſal ejuſdem.

Demulcentia.

MAGISTRALIA.

LOTIO.

℞ Spiritus *vini* ſemi-libram. *Sacchari Saturni* drachmam unam. Miſce pro lotione.

MUCILAGO.

℞ *Gummi tragacanthi* ſemi-unciam. Infunde calidè per duas horas in aquæ libris tribus. Fiat mucilago. Ad fiſſuras labiorum, mammarum, &c.

POMATUM.

℞ *Olei olivarum* unciam unam & ſemis; *ceræ albæ* drachmas duas. Simul liquefactis adde *ovi vitellum*, ut fiat ex arte pomatum. Ad ambuſtionem.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* uncias duas; *ceræ albæ* ſemi-unciam. Simul liquefiant, & miſce ad pomatum: cui addere licet *camphoræ* cum tantillo *olei amygdalini* contritæ ſcrupulum unum.

℞ *Olei ovorum* uncias quatuor. *Ceræ albæ* unciam unam. Liquatam ceram miſce cum oleo. Deindè in vaſe vitreo, cum ſuo operculo, expone ſolis radiis, ſuperaffusâ aquâ ſingulis diebus renovandâ, ad eminentiam digiti; per quindecim vel viginti dies, & ultrà; donec dealbetur.

℞ *Olei ſeminum frigidorum majorum* uncias duas. *Spermatis ceti*; *ceræ albæ* ana drachmas duas, liqueſcant in balneolo; agitentur demùm in mortario per quatuor horas, ſenſim affundendo tantillum aquæ.

LINIMENTUM.

℞ *Olei amygdalarum amararum*, & *ovorum* ana unciam unam. Miſce pro linimento. Ad præcavendas variolarum foveas.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. *Spermatis ceti* drachm. duas. Diſſolve, & miſce pro linimento. Ad maculas & aſperitates cutis.

CERATUM.

℞ *Olei olivarum* ſemi-libram; *ceræ albæ* uncias tres. Miſce balneolo ad ceratum aquâ frigidâ eluendum.

℞ *Olei ovorum* uncias duas. *Ceræ* in balneolo fuſæ uncias quatuor. *Spermatis ceti* drachmas duas. *Plumbi uſti* ſemi-unciam. Simul agitentur per ſex horas in mortario plumbeo, & fiat ex arte ceratum.

EMPLASTRUM.

℞ *Emplaſtri diapalmæ* uncias duas; *aceti* unciam unam; *ſacchari ſaturni* drachmas duas. Fiat ex arte emplaſtrum ad pruritum.

Demulcentia.

COMMENTARIA.

(1.) Butyrum è lacte vaccino extractum, cæteris, nemine diſcrepante, præſtat; non ſolùm ad uſum coquorum & piſtorum dulciariorum; ſed etiam ad medicum. Intùs per ſe ſumptum pro emolliente & laxante habetur; ſed nauſeam, non secùs ac oleum, ſæpiùs movet: hinc raro uſurpatur niſi ad obvolvenda & intricanda venena corrodentia. Sed latiſſimus eſt ejus uſus externus; etenim inter demulcentia & emollientia primatum quaſi ducit: in maturantium & digerentium ſerie recipitur: nec ipſi denegatur locus in reſolventium claſſe. Hinc butyro opportunè illinuntur tumentes infantum gingivæ; ut faciliùs erumpant dentes. Linimenti, vel pomati inſtar, cuti admotum, dolorem, ardorem & pruritum compeſcit; partes phlogoſi correptas emollit; ipſarum æſtum mitigat: atque ſub hoc conſpectu varia cataplaſmata ingreditur. Haud abſimili ratione additur, familiariſſimo uſu, clyſteribus emollientibus & demulcentibus ab unciis duabus ad tres: etenim compertum manet blandiùs agere ipſomet oleo amygdalarum dulcium, quod eodem modo uſurpatur. Circà butyrum, medullas, axungias & olea obſervandum ut ſint recentia & rancore minime deturpentur.

(2.) *Medullæ* variorum animalium iiſdem viribus pollere videntur: ſed pluris habentur vitulina, bovilla & cervina; quæ inter emollientia & demulcentia jure numerantur; reſolventium ordini adſcribuntur; nec vi roborante deſtituuntur. Ideò ex illis parantur litus expectatiſſimi adversùs dolores rheumaticos & iſchiadicos: tumoribus vel ſkirrhoſis mollitiem quamdam impertiri valent; rigidioribus motûs organis flexilitatem conciliant; membriſque paralyticis opitulari ſolent. Vix diſcrepant medullæ ab axungiis; niſi eò quòd primæ ob tenuitatem altiùs penetrare videntur. Utræque præparatione quâdam officinali indigent; exemptis nempè fibris, vaſculis & membranis, minutim conciduntur & quaſſantur in mortario: in aquâ poſteà pluriès eluuntur, liquantur demùm balneolo, & trajiciuntur ut in vaſe terreo recondantur: notandum tamen quòd diù ſervari minime queant, ob rancorem quem facillimè contrahunt.

(3.) *Axungiæ, ſeba, adipes* & *pinguedines* omnium animalium, non ſecùs ac medullæ, parùm ab invicem diſcrepare videntur: nonnullæ tamen cæteris præſtantiores videntur; humana nempè, ſuilla, & urſina; quas excipiunt è capone, gallinâ, anſere, viperâ, angui, caſtore, &c. eruendæ. Adipes è membranis purgatæ & conciſæ, quaſſantur in mortario, ac multoties eluuntur ex aquâ; balneoloque liquantur; ac colatæ ſervantur: ſed, veluti medullæ, recentes adhiberi debent: aliàs vetuſtate rancorem pernicioſam contrahunt. Axungiæ cujuſvis indolis foris admotæ vi de-

DEMULCENTIA.

mulcente & anodynâ inſtruuntur : emollientium ſeriem ſubeunt ; ipſiſque conceditur locus in reſolventium numero. Ideò ſuppetias ferunt iis qui doloribus rheumaticis & iſchiadicis excruciantur ; tumores duriores, etiam ſtrumoſos, emolliunt ; contracturæ artuum auxiliantur ; hæmorrhoïdum dolorem ſedant ; conducunt in ambuſtione ; in rimis mammarum, fiſſuris labiorum, polypo narium, &c. Nunc partes tantummodò illinuntur ; nunc frictui ſubjiciuntur, ut particulæ adipoſæ altiùs infigantur : ad quod opus inſerviunt nonnullæ aquarum ardentium guttæ, quæ axungiis calidis immixtæ harum actionem & ingreſſum juvant. His de adipum uſu generali prolatis addere licet, axungiam viperinam tanquàm præſentiſſimum topicum à nonnullis haberi, adversùs viperæ morſum : ſed huicce remedio parùm fidendum eſſe cenſemus : axungia caſtoris haud inutilem fortè opem confert in ſingultu, colicâ hystericâ & flatulentâ ; aliiſque affectionibus ſpaſmodicis ; dummodò inter frictum illinatur proximior pars : nec deſunt qui hocce topicum, dorſo impoſitum, pro inſultu epileptico præcavendo ſanctè commendant : ad populum phaleras.

(4.) *Sperma ceti* (*Blanc de Baleine*), incongruè vocitatur ſubſtantia quædam pinguis, alba, levis, tenera, mollis & ſquamoſa, quaſi è parvis furfuraceis ſquamulis compoſita, ſaporis oleoſi, & odoris unctuoſi ; quæ eruitur è cetaceorum, aliorumque fortè proceriorum piſcium, cerebro, & ad duplicem uſum, internum nempè & externum ſervatur. Ore nempè ſumitur, dummodò ſit recens, nec flavum, nec rancidum, tanquàm demulcens & anodynum in tuſſi & ardore pectoris ; in peripneumoniâ & aſthmate ; in torminibus imi ventris & teneſmo ; in inſultu nephritico, ſtranguriâ, &c. Inter reſolventia interna etiam numeratur ; & crebrò uſurpari ſolet, ubi de lacte, ut inquiunt, congrumato eſt ſuſpicio ; poſt caſum ab alto, aliaſque graviores contuſiones. A granis decem ad ſcrupulum unum, & ultrà, in oleo amygdalarum dulcium, ovi vitello, juſculo, &c. præcipitur : vel ſub boli formâ exhibetur. Sed ægrè in pulverem redigitur, ni miſceatur cum ſaccharo, vel tantillo materiæ cujuſcumque terreæ : ad hoc opus etiam inſerviunt nonnullæ guttæ olei amygdalarum dulcium. Extùs admotum ſperma ceti eaſdem vires obtinere videtur ; ac vulgò ingreditur enemata adversùs dyſenteriam & teneſmum parari ſolita : nonnunquàm in injectionibus uterinis recipitur ; non ſecùs ac in linimentis, tàm ad faciei maculas, quàm ad mammas tumidas, puſtulas varioloſas, membra contracta, &c. Proſtat demùm in officinis emplaſtrum de ſpermate ceti ; de quo alibi.

(5.) *Sperniola*, ſeu ſperma ranarum, (*Frai de grenouille*), eſt genuinum ranarum ſeminium ; vel congeries ovulorum, mucagine quâdam obductorum. Inter demulcentia, emollientia, & anodyna externa jure recenſetur aqua quam diſtillatione præbet ; quæ ſcilicèt conducit in ambuſtione ; æſtum eryſipelatis compeſcit ; levamen præſtat in affectibus pruriginoſis ; & cephalalgiæ haud rarò auxiliatur. A nonnullis demùm proponitur

Aqua ſperniolæ adversùs guttam roſaceam, & inſultum arthriticum; ſed illam haud citrà periculum, ſub hiſce caſibus, adhiberi poſſe crediderim.

DEMULCENTIA.

(6.) *Oleum ovorum* è vitellis ad duritiem coctis expreſſione educitur. Præſentiſſimum demulcens & anodynum externum audit; nec ipſi denegatur vis vulneraria. Ideò inter coſmetica inſigniora recenſetur: opportunè admovetur rimis labiorum, fiſſuris mammarum, & aliis id genus cutis vel epidermidis ſolutionibus. Internarum narium cruſtas emollit; eamdem opem confert ergà maturas variolarum puſtulas; commendatur demùm in otalgiâ, ambuſtione, hæmorrhoïdibus cæcis, &c.

(7.) *Oleum lini* è ſeminibus tritis & torculari commiſſis frigidè extrahitur. Recens inter laxantia & demulcentia interna numeratur. Ideò valet in contumaciſſimâ alvi obſtructione; confert in anginâ, tuſſi, hæmoptyſi, peripneumoniâ, nephritide, colico dolore, urinæ ardore, &c. à ſemi-unciâ ad uncias duas, & ultrà. Extrinſecùs admotum, ſub formâ litûs vel cataplaſmatis, vi emolliente & anodynâ inſtruitur: atque in reſolventium & maturantium ordine collocatur. Hinc dolores lenit; infarctus emollit; prodeſt artubus contractis vel rigidis; furentes hæmorrhoïdes compeſcit; clyſteribus emollientibus & anodynis opportunè, & familiariſſimè admiſcetur.

(8.) *Unguentum roſatum*, è duplici roſarum rubrarum & pallidarum maceratione in adipe ſuillo paratur; cui color demùm ruber ope radicis anchuſæ conciliatur. In vulgatiſſimum uſum foris vocatur, tanquàm demulcens & reſolvens: ideò dolores ſedat; phlogoſeos æſtum lenit; variis cutis morbis opitulatur; hæmorrhoïdibus tumentibus fauſtè admovetur, &c. Pro demùm panchreſto remedio à mulierculis habetur.

(9.) *Unguentum diapompholygos*, cum ſucco è ſolani baccis expreſſo, ceruſsâ, tuthiâ, & cerâ conficitur: ſic vocitatur ob pompholygem, vel flores quoſdam metallicos, æris & lapidis calaminaris participes; quos, loco tuthiæ, cupri etiam progeniei, olim adhibebant Veteres. Inter demulcentia & anodyna recenſetur; atque etiam pro exſiccante eximio habetur; cur fit ut in ulcerum curatione, præſertim tibiarum, crebrò, nec infeliciori ſucceſſu adhibetur.

(10.) *Unguentum nutritum* recipit lithargyrum, oleum roſatum & acetum, quæ omnia ritè ſubiguntur, donec requiſitam conſiſtentiam nanciſcantur. Vi pollet demulcente & anodynâ; exſiccantiumque ordini adſcribitur. In familiariſſimum uſum venit ad varias cutis defœdationes; nec minùs valet in ulcerum curatione.

(11.) *Ceratum album Galeni* eſt unguenti genus è cerâ albâ & oleo roſaceo, leni igne liquatis, ex tempore conflatum, atque multiplici lotione ſubmittendum. Demulcens eſt eximium ad cutis dolorem, ardorem, pruritum, ſiccitatem & intumeſcentiam: hoc etiam fauſtè illinuntur dolentes hæmorrhoïdes.

(12.) *Emplaſtrum Abbatis de Graſſe*, ex oleo roſato, ſucco roſarum

Demulcentia.

pallidarum, lithargyro, & ceruſsâ, ad conſiſtentiam coctis, componitur. Pro demulcente & exſiccante habetur; ad vulnerum, ulcerumque medelam, adhibetur; occurrit dolori à clavis pedum excitato, cæteriſque intumeſcentiis, dolore ſtipatis, oppidò confert.

ANODYNA.

Haud dubitare licet quin emollientia & demulcentia, non ſecùs ac nonnulla alia topica humida, dolores lenire, imò & fugare valeant: ſed alia, uti nemo neſcit, peculiaria proſtant medicamina externa huncce effectum feliciùs exerentia, quæ in hâc claſſi recenſenda, generali anodynorum titulo inſigniuntur; quorum alia ſunt mitiora, & paregorica audiunt; ſuaque munia exequi videntur; nunc flacciditatem fibris rigidis impertiendo; nunc humorum particulas acres & vellicantes impediendo & abſorbendo: altera verò validiora; narcotica vel ſtupefacientia dicuntur; eò quòd ſenſum obſcurant, vel quemdam ſtuporem nervis conciliant. Periculo minime vacare hæc poſtrema, licèt foris impoſita, norunt ſanè ſolertiores Practici. Experientiâ enim compertum manet haud tutò hiſce topicis impugnari quoſdam dolores, à naturæ viribus concitatos, ut morbus peroptatam metam aſſequatur. Prætereà narcoticis intempeſtivè adhibitis retardatur laticis ſpirituoſi motus ad reſolutionem, vel puris confectionem, apprimè neceſſarius: præterquàm quòd à miaſmatum narcoticorum per porulos ingreſſu cerebrum quandóque afficiatur: narrant enim delirium cum furore accerſiſſe duo duntaxàt grana opii temporibus admota; quod ſanequidem arguit haud ſemper innocua eſſe anodyna externa. Haud tamen exulare debent prædicta auxilia; quæ cautè adhibita eryſipelatis & phlogoſeos æſtum mitigant; conducunt in anginâ & ophthalmiâ; valent ad dentium, auriumque dolorem; fauſtè paronychiæ & hæmorrhoïdibus admoventur; furunculo & tumoribus cancroſis opitulantur; proſunt in ambuſtione & vulneribus; laudem obtinent in diſtorſionibus, luxationibus & fracturis; partibus recèns conſtrictis & ſtrangulatis medentur, &c. ſed à recto deflectunt tramite qui, poſthabitis aliis præſidiis, hâc ſolâ periculoſâ & ancipiti curatione prædictos morbos aggrediuntur: ideò ſummâ opus eſt cautelâ inter uſum narcoticorum externorum, ne ægrotantium res in deteriora ruant. Silentio premere minime debemus nonnullos inter recentiores in medium adduxiſſe quod opium extùs admotum nullâ vi anodynâ polleat: ſed refragatur experientia, docens haud innoxium eſſe opii uſum externum; hinc cautelâ opus eſſe; quod ſanè prodit ejus vim narcoticam.

EMPORETICA.

EMPORETICA.

RADICES althææ, nymphææ, mandragoræ (1), liliorum.

Folia hyoſcyami, ſtramonii (2), mandragoræ, ſolani (3), belladonæ, papaveris, cicutæ, verbaſci, geranii robertiani, ſedi majoris, althææ, verbenæ, lupuli, cynogloſſi, telephii, portulacæ.

Flores ſambuci, verbaſci, chamæmeli, primulæ veris. Crocus.... Semina lini, papaveris albi. Oriza. Farinæ. Mica panis... Caricæ pingues; mala cocta vel putrida; caſſia. Capita papaveris albi.... Opium orientale (4). Camphora. Fæces olei.... Thus, tacamahaca. Galbanum. Succinum pro ſuffitu.... Animalia recèns mactata. Limax. Lumbrici terreſtres (5).... Axungiæ, & medullæ. Sperma ceti. Sperniola.... Lac, butyrum; cremor & ſerum lactis. Vitellum ovi.... Sanguis columbæ, & bovis. Urina humana & vaccina.... Juſculum omaſorum & capitis vervecini..... Ceruſſa. Plumbum. Lithargyrus. Aqua tepida fontana.

OFFICINALIA.

AQUA ſperniolæ, ſolani, liliorum, florum ſambuci.... Pulvis (6) & acetum ſaturni. Lac virginale, vel aqua golardiana... Balſamum hypnoticum, tranquillans (7)... Oleum ovorum, croci, lumbricorum, catellorum, laurinum, roſatum, lini, liliorum, hyperici, hyoſcyami, ſeminum frigidorum.... Theriaca. Philonium. Ceratum Galeni.... Unguentum populeum (8), diapompholygos, de althæâ, nutritum, roſatum, rubrum, fuſcum.... Emplaſtrum de mucaginibus, de ſpermate ceti, ceroneum, odontalgicum. Antipodagricum.... Tinctura anodyna. Sal ſaturni (9).... Spiritus vini camphoratus.

Annodya.

MAGISTRALIA.

LOTIO.

℞ Spiritus *vini* uncias ſex. *Sacchari ſaturni* drachmam unam. Fiat lotio.

FOTUS.

℞ *Capitum papaveris hortenſis* unciam unam; *florum ſambuci* manipulum unum; aquæ fontanæ libras tres. Coque ad libras duas, & cola.

℞ *Florum ſambuci* manip. unum. Bulliant leviter in aquæ q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſalis ſaturni* ſcrupulos duos. Pro fotu.

℞ *Capitum papaveris albi* cum ſeminibus contuſorum; *ſeminis anethi* ana unciam unam. *Folior. hyoſcyami; florum chamæmeli* ana manip. duos. Coque in aquæ libris tribus ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Opii* drachmam unam. *Camphoræ* drachmam ſemis. Diſſolve in *ſpiritûs vini* unciis tribus. Colaturâ imbutum linteum parti dolenti admoveatur.

CATAPLASMA.

℞ *Micæ panis albiſſimi*, manibus attritæ, libram unam. *Lactis vaccini* q. ſ. Coquantur ſemper movendo. Adde ſub finem *ovi vitellum*; & *croci* in tenuem pollinem redacti ſemi-drachm. Fiat ex arte cataplaſma; cui addere licet *olei roſati* ſemi-unciam.

℞ *Folior. hyoſcyami albi* quantùm vis. Chartâ madidâ involvantur, & leviter coquantur ſub cineribus calidis. Dein contundantur ad cataplaſmatis formam. Cautè admoveatur partibus gangrænæ obnoxiis.

℞ *Foliorum hyoſcyami; florum ſambuci* ana manip. unum. *Seminum lini* & *papaveris albi* pulveratorum ana ſemi-unciam. *Pulveris radicum althææ* unciam unam. Bulliant in *lactis vaccini* q. ſ. ad cataplaſma.

LINIMENTUM.

℞ *Unguenti de althæâ; balſami tranquillantis* ana unciam unam. *Spiritûs vini camphorati* ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Unguenti martiati; ſaponis nigri* ana uncias duas. *Olei lumbricorum* & *hyperici* ana unciam unam. *Balſami tranquillantis* uncias duas. *Spiritûs vini camphorati* ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Unguenti populei* uncias duas. *Balſami tranquillantis; olei ovorum* ana unciam unam. Miſce pro linimento. Cui addere licet *tincturæ anodynæ* gutt. viginti.

℞ *Pulpæ malorum coctorum* uncias duas. *Unguenti populei* unciam unam. *Croci* pulverati ſemi-ſcrupulum. *Vitelli ovi* q. ſ. ad linimentum. ANODYNA.

℞ *Medullæ bubulæ* uncias tres. Liqueſcat, & diſſolve *camphoræ* grana decem. *Laudani* grana quatuor. Miſce. Fiat litus.

℞ *Olei lilior.* & *ovorum* ana unc. tres. *Camphor.* drachm. ſemis. Miſce pro linimento.

℞ *Olei olivarum* unciam unam; *camphoræ* unciam ſemis. Miſce ex arte, & fiat linimentum.

COMMENTARIA.

(1.) MANDRAGORA fructu rotundo, C. B. pin. (*Mandragore*).

A crepundiis quæ è radice capillaceâ parantur, & à variis nebulonibus venalia circumferuntur, potiùs famam mutuatur mandragora, quàm à viribus medicis. Virtute tamen narcoticâ & ſtupefaciente inſtruitur tota planta, cui ineſt odor viroſus. Cur fit ut haud citrà periculum intùs exhiberi queat; imò vix in uſum externum trahitur; ſi excipias folia, quæ ceu anodyna & reſolventia à pluribus primi ſubſellii laudantur adverſùs tumores ſkirrhoſos, imò & ſcrophuloſos, cæteris topicis obſurdeſcentes.

(2.) *Stramonium* fructu ſpinoſo rotundo ſemine nigricante, Inſt. r. herb. (*Pomme épineuſe*).

Planta integra, ſed præſertim ſemen, pro veneno narcotico, nemine refragrante, habetur, quod nuſquàm per os exhibere licet. Imò & vetatur in compoſitione clyſterum; nec fortè tutò foris admovetur; licèt folia recipiantur in confectione balſami, ut inquiunt, tranquillantis. Adeò ut ſtramonium à noſtro albo expungere haud dubitaſſem, ni incautos monendi causâ, de hoc mentionem injicere neceſſarium duxiſſem. Suffitus tamen è ſeminibus paratus jure laudatur ad perniones.

(3.) *Solanum* officinarum acinis nigricantibus, C. B. pin. (*Morelle*).

Inter anodyna & reſolventia externa numeratur. Ideò opportunè admoventur folia contuſa hæmorrhoïdibus inflammatis: à nonnullis etiam deprædicantur ad cancros occultos. Eorum ſuccus agitatus in mortario plumbeo æſtum, & dolorem ulcerum cancroſorum mirè compeſcit. Laudatur demùm totius plantæ decoctum; non ſecùs ac aqua diſtillata, ad pacandum ſcabiei, herpetis, alteriuſque morbi cutanei pruritum.

(4.) *Opium Orientale* de cujus emolumentis & nocumentis fusè & peritè diſſeruerunt WEDELIUS & TRALLES; ab STAHLIO, & totâ ejus ſcholâ acriter inſimulatum & immeritò damnatum; à BOERHAAVIO, MEADIO, & HOFFMANNO, inter venena numeratum; à SYDENHAMO ſummè deprædicatum; ac demùm ab HECQUETO hyperbolicis laudibus exceptum, vel tanquàm donum divinitùs conceſſum, celebratum; prout

ANODYNA.

opportunè vel præpoſterè uſurpatur, laudes & vituperia meretur. Eſt ſuccus concretus, gummoſo-reſinoſus, ſaporis amari & ingrati; odore viroſo, qui ex inciſione capitum papaveris albi, vel ſativi, in Græciâ, Ægypto, Perſide, &c. guttatim ſpontè fluit & colligitur; vel è contuſis & expreſſis prædictis capitibus extrahitur, evaporationi committendus ut concreſcat. Non secùs ac vinum, aliique liquores fermentati, quamdam impertitur ebrietatem, quam fugare queunt aqua ſucco limonum imprægnata, acetum, omphacium, &c. Opium tempeſtivè & congruâ doſi intùs exhibitum, inſtar laudani, de quo ſuprà, ſomnum accerſit & dolores ſedat: idem præſtare valet, ſi foris admoveatur: etenim à granis duobus ad ſex, & ultrà juxtà nonnullos, in medio emplaſtri tacamahacæ, vel maſtiches, temporibus impoſitum vigilias arcere ſolet: nec inutilem opem confert hoc topicum in dolore capitis, odontalgiâ, &c. A granis quatuor ad octo recipitur in enemate anodyno. Ad ſcrupulum ſemis immiſcetur cataplaſmatis ſemi-libræ; & cuicumque parti admovetur, ſi excipias mammas & genitalia ad gangrænam procliviora. Præter hoc infortunium, haud periculi expers eſt opium extùs admotum; quin potiùs, uti jam innui, ſummam noxam pluribus intulit. Refert CARDANUS quemdam equitem è vivis migraſſe ob majorem opii quantitatem capiti admotum. Opium extùs adhibitum, præter vim anodynam, inter reſolventia præſtantiora numeratur. Scitur demùm opium electuaria uſitatiora ingredi, theriacam nempè, orvietanum, mithridatium, diaſcordium, &c.; quibus fortè præcipuas vires impertitur.

(5.) *Lumbrici terreſtres*, poſt debitas ablutiones, balneolo exſiccati, diureticam vim obtinent. De virtute antiſpaſmodicâ & anthelminticâ, quam nonnulli ipſis tribuunt, dubitare nil vetat. Doſis hujuſce pulveris ab ſcrupulo ſemiſſe ad drachmam ſemis accedit. Lumbrici vivi extùs impoſiti inter topica anodyna numerantur: ſed raró hoc modo adhibentur: infunduntur potiùs & coquuntur in oleo olivarum, quod hiſce impraegnatum foris admovetur tanquàm ſedans & reſolvens, adversùs dolores rheumaticos, arthriticos, alteriuſve ſortis.

(6.) *Pulvis Saturni* parari ſolet agitando plumbum fuſum in pyxide cretâ intùs dealbatâ; per ſetaceum demùm trajiciendum. Inter anodyna & demulcentia recenſetur; atque ulceribus cancroſis, quorum virulentam feritatem cicurare valet, dicatur: hoc pulvere inſperguntur prædicta ulcera, haud ſine quodam miſellorum ægrotantium levamine; ubi de curâ palliativâ opus eſt.

(7.) *Balſamum tranquillans* eſt oleum ſubſtantiis narcoticis & fragrantibus refertum. Paratur coctione & maceratione variarum plantarum narcoticarum & ſtupefacientium; ſtramonii ſcilicèt, ſolani, belladonæ, mandragoræ, hyoſcyami, papaveris, &c. & aromaticarum, rutæ nempè, roriſmarini, ſalviæ, lavandulæ, thymi, majoranæ, menthæ, &c. Quibus peractis, oleo ferventi conjiciuntur bufones vivi. Inter narcotica externa primarium locum obtinet; ſed haud niſi ſummâ cautelâ capiti, imò &

pectori admoveri debet : hoc etiam caveant arthritici, annuentibus prioris notæ clinicis. Nonnulli, temerario fortè auſu, hocce balſamum addunt clyſteribus à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Nec deſunt qui illud intùs exhibent, quod haud citrà nefas fieri poſſe crediderim. ANODYNA.

(8.) *Unguentum populeum*, præter populi gemmas è quibus nomen habuit, recipit varias plantas anodynas diverſi gradûs; papaver nempè, ſolanum, mandragoram, hyoſcyamum, ſedum, umbilicum veneris, lactucam, &c. Quæ omnia in axungiâ ſuillâ cocta, torculari committuntur, ut adeps hiſce ſubſtantiis intenſiùs imprægnetur. Pro demulcente & anodyno eximio, nemine diſcrepante habetur; imò & innoxium cenſetur : ideò hæmorrhoïdibus & mammis nutricum dolentibus fauſtè admovetur : inflammationis æſtum lenit, pruritum compeſcit, &c.

(9.) *Sal Saturni*, quod etiam ſaccharum ob dulcedinem nuncupatur, parari ſolet è diſſolutione ceruſſæ in aceto, è quâ præviâ evaporatione exſurgunt cryſtalli. Inter anodyna & demulcentia externa celebratur & exſiccante gaudet; cur fit ut gargariſmati immixtum conducat in faucium inflammatione : ſi ſolvatur in collyrio æſtum & phlogoſim oculorum compeſcit : ſub lotionis vel pomati formâ ſedat cutis pruritum; ambuſtioni opitulatur; congruit hæmorrhoïdibus, &c. Diſſolvitur ad prædictos uſus ad grana quindecim in aquæ vitæ, alteriuſve liquidi unciis quatuor. Summâ cum cautelâ intùs exhiberi debet ſal ſaturni, quod pro veneno, annuentibus BOERHAAVIO, HOFFMANNO, TRILLERO, &c. haberi debet. Nonnulli tamen illud præſcribere audent à grano uno ad quatuor; non ſolùm ad menſium profluvium immodicum, aliaſque hæmorrhagias graviores, ſed etiam in gonorrhœâ & fluore albo; non ſecùs ac ad ſiſtendas crebriores pollutiones; ſed peſſimo ſanè conſilio, cùm plures hoc præpoſtero remedio enectos fuiſſe experientiâ conſtet. Tutiùs, ni fallor, exhibetur, cum camphorâ, in furore maniaco : aliàs teſtudineo greſſu incedendum, ne in vitæ diſcrimen trahantur ægri. Saccharum illud, inquit laudatus TRILLERUS, blando, dulcique nomine planè indignum ad venena omninò pertinet; ſi non rapido fato, uti arſenicum, biſmutum, colbatum, &c.; lentâ tamen tabe certiſſimè necantia. Hoc ergò in poſterum abſtineant, moneo & hortor, omnes Medici ſuæ famæ & conſcientiæ imprimis conſulturi à teterrimo illo ſale, naturæ humanæ infenſiſſimo; quod ſenſim ſolidorum tonum deſtruens haud citrà piaculum adhiberi poſſe crediderim : hæc præclarus Author.

Resolventia.

RESOLVENTIA, DISCUTIENTIA ET INCIDENTIA.

Sic vocitantur medicamina externa hanc claſſem reſpicientia, quæ craſſis & congrumatis ſuccis fluiditatem impertiri, vel hærentium & ſtagnantium laticum, haud reluctante naturâ, motum circularem promovere videntur. Quidquid ſit de eorum agendi ratione, quæ, ut verum fatear, in obſcuris latet, ſtatum manet apud ſolertiores Practicos, reſolventia fauſtè admoveri ſuggillationibus, atque variis infarctibus & intumeſcentiis à purulentiâ alienis: diſcutientia verò conferre in quâvis humorum flatuumve ſtaſi, aut congeſtione, tùm à causâ internâ, tùm ab externâ. Incidentia demùm reſpiciunt veteres infarctus; vel tumores denſos & duros qui prioribus minime cedunt. Uno verbo, utraque fauſtè uſurpantur poſt contuſiones, vel caſum ab alto, quibus cruor, utplurimùm, extrà propria vaſa emittitur; vel ubi materia cujuſvis ſortis tenax, vel lenta, in quâcumque parte nidulat; cujus ratione moleſta excitatur ſenſatio, & moles adaugetur; vel quocumque alio modo functiones præpediuntur. E quibus colligere licet prædicta topica, etſi diverſæ indolis, ſingulis fermè tumoribus proſpicere: ſed tantùm abeſt ut ſemper peroptatum effectum edant, quin potiùs inutilem ſæpiùs navenr operam, præſertim in skirrhoſis, anomalis, lymphaticis, oſſeis, &c. qui ſcilicèt hiſce topicis, vel ex incidentium claſſe, raro morem gerunt: quod tamen non impedit quominùs varia explorari debeant, nec ſæpiùs infauſtè ſi cauſa interna morbum fovens priùs eradicetur. Haud diutiùs tamen quàm par eſt inhærendum, ne inutilis exantletur labor adversùs affectum ſolis præſidiis chirurgicis domandum.

EMPORETICA.

RADICES cucumeris ſylveſtris, bryoniæ, tamni (1), raphani ruſticani, cyclaminis (2), lapathi, urticæ, bardanæ, anchuſæ (3), ſuccifæ, polygonati, apii, liliorum, napi, rapæ.

Folia cicutæ (4), belladonæ (5), ebuli, ſambuci, nicotianæ, cucumeris ſylveſtris, acetoſæ, ſcrophulariæ (6), hyperici, lupuli, geranii robertiani, ſcordii, abſinthii, chelidonii, bardanæ, chamæpityos, abrotani, eupatorii, tanaceti, jacobeæ, calendulæ, anethi, feniculi, aniſi, cerefolii, petroſelini, hyſſopi, lauri, menthæ, ocymi, lavandulæ, origani, ſatureiæ, thymi, meliſſæ, & ſalviæ, quæ ad ſuffitum etiam uſurpantur.

Flores ſambuci, ebuli (7), chamæmeli, meliloti, hyperici, verbaſci, roriſmarini. Roſæ rubræ. Crocus.... Semina aniſi, anethi, feniculi, coriandri, carvi, cumini.... Farina ſecalina (8), avenæ, hordei, tritici, orizæ, ciceris, fabarum, orobi, fenugræci (9), lini, lupini (10).... Baccæ lauri, juniperi. Nuclei pinei.... Piper. Caryophylli.... Vinum. Fæces muſti & vinaceæ.... Oleum nucum, olivarum, cannabinum.... Terebinthina vulgaris (11), balſamum peruvianum, tolutanum, copahu. Styrax liquida & calamita.... Gummi ammoniacum. Benzoinum. Bdellium. Gummi elemi. Aſſa fœtida. Galbanum, tacamahaca, labdanum, opium. Quibus addere licet olibanum, ſtyrax calamita, &c. ad ſuffitum.... Pix Burgundia. Sapo.... Camphora. Saccharum pro ſuffitu.... Cineres fabarum, ſarmentorum, &c. ad lixivium.... Urina humana (12), vaccina. Sal ammoniacum, & culinare.... Medullæ & axungiæ.... Sperma ceti. Mel. Zibethum.... Animalia viventia ſecta. Lana ſuccida.... Aquæ Plumberianæ, Baregienſes, Tarbellicæ, Borbonienſes Arcimbaldicæ, Vicienſes, Bellilucanæ, Bagnerienſes (13), Dinienſes, Montis Aurei, Granenſes.... Lutum aquarum Cauterienſium, Vicienſium, Dinienſium, Amandinarum, Borbonienſium, &c.... Hydrargyrus.... Cinnabaris. Quæ etiam pro ſuffitu uſurpantur.... Sal marinum. Arena marina radiis ſolaribus calefacta... Sulphur. Bitumen Judaïcum (14). Lithanthrax (15). Petroleum. Succinum ad ſuffitum... Nidus hirundinum. Terra cimolia cultrariorum.

RESOLVENTIA.

OFFICINALIA.

AQUA florum ſambuci. Aqua calcis, aqua golardiana.... Balſamum Fioraventi, Commendatoris, Arcæi. Vinuma romaticum... Oleum croci, hyperici, laurini, catellorum, roſatum ([16]), chamæmeli, liliorum, lumbricorum, ſcorpionum... Pomatum album. Unguentum album Rhaſis... Unguentum roſatum, de ſtyrace, fuſcum, nutritum, baſilicum, Neapolitanum... Paſtillæ mercuriales, ad ſuffitum... Emplaſtrum de cicutâ ([17]), de ranis, diabotanum ([18]), diachylon gummatum, de meliloto, divinum, Manus Dei ([19]), de ſpermate ceti, ſaponaceum, ceroneum ([20]), Norimbergenſe.... Theriaca. Globulus Martis... Aqua vitæ, vulneraria ([21]). Spiritus florum ſambuci ([22]).... Spiritus vini ſincerus, & camphoratus. Aqua Reginæ Hungariæ. Tinctura caryophyllorum.... Spiritus volatilis ſalis ammoniaci... Oleum tartari per deliquium.

MAGISTRALIA.

LOTIO.

℞ SULPHURIS *vivi* unciam unam. *Saponis nigri* uncias duas. Nodulo incluſa infundantur in *aceti optimi* libra una. Ad guttam roſaceam.

℞ *Saponis albi* uncias quatuor. Diſſolve in *aquæ vitæ* q. ſ. ad embrocationem.

℞ *Folior. lauri, ſalviæ, roriſmarini* & *ribes nigri* ana manip. unum. Infunde calidè per menſem in *vini albi* libras duas. Calidè admoveatur hæc tinctura, & pluriès de die, nodis arthriticis.

FOTUS.

℞ *Aquæ* libram unam, in quâ diſſolve *ſalis marini* q. ſ. ad ſaturationem. Pro fotu qui cæteris præſtat, in ecchymoſi & gravi contuſione.

℞ *Salis marini* uncias duas. Diſſolve in *aquæ vitæ* librâ unâ; vel in tantillo *urinæ;* ut epithematis inſtar mammis imponatur.

℞ *Aquæ calcis* libram unam. *Aquæ vitæ* uncias quatuor. Miſce pro fotu, ad tumores œdematoſos, ambuſtionem, &c.

℞ *Spiritûs ſalis;* & *olei terebinthinæ* ana unciam unam. Calidè admoveatur hæc mixtura nodis arthriticis.

℞ *Salis communis* uncias tres. Diſſolve in *aceti* & *ſpiritûs vini* ana unciis ſex; pro fotu, adversùs œdema.

℞ *Cryſtalli*

℞ *Cryſtalli mineralis* uncias duas. *Salis ammoniaci* unciam unam. *Camphoræ* drachm. unam. Diſſolve in *aquæ vitæ* librâ unâ. Ad emphyzema.

RESOLVENTIA.

℞ *Aquæ florum ſambuci* ſemi-libram. *Aquæ calcis* uncias quatuor. *Spiritûs vini camphorati* unciam unam. Miſce. Pro œdemate.

℞ *Spiritûs ſalis ammoniaci* uncias duas. *Aquæ vitæ* & *aquæ calcis* ana unciam unam. Miſce. Ad eumdem morbum.

℞ *Salis tartari*, *ſalis ammoniaci* ana uncias duas. Bulliant in *vini albi* libris duabus. Pro emphyzemate.

℞ *Folior. althææ*, *florum ſambuci* ana manipulos quatuor. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *aquæ vitæ* uncias duas. Pro eryſipelate.

℞ *Folior. ſalviæ*, *rutæ* & *abſinthii* ana manipulos duos. *Florum chamæmeli* & *ſambuci* ana manipul. unum. *Baccarum juniperi* contuſarum uncias duas. Coque in *aquæ calcis* libris quatuor. Colaturæ adde *ſpiritûs vini camphorati* uncias quatuor. Fiat fotus; cujus magma calidè apponi poteſt per noctem. Ad œdema.

℞ *Folior. lavandulæ*, *roriſmarini* & *menthæ* ana manip. duos. *Florum chamæmeli* & *meliloti* ana manipul. unum. *Baccarum lauri* & *juniperi* ana unciam unam. Bulliant in aquæ & vini ana q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *aquæ vitæ* uncias duas.

℞ *Radicis bryoniæ* uncias tres. *Baccarum juniperi*, *ſulphuris vivi* ana uncias duas. Bulliant in *lixivii ſarmentorum* & *aquæ calcis* ana q. ſ. ad libras quatuor.

CATAPLASMA.

℞ *Orizæ lotæ* libram unam. *Vini rubri* libras octo. Coque donec oriza ſubacta cataplaſmatis conſiſtentiam adipiſcatur.

℞ *Folior. ebuli* & *ſambuci* ana manip. duos. Contunde cum *ſpiritûs vini* q. ſ. ad cataplaſma. Pro œdemate.

℞ *Baccarum juniperi* libram unam. *Baccarum lauri* libr. ſemis. In pulverem redactæ *melle* excipiantur ad conſiſtentiam catapl. Pro œdemate.

℞ *Cancrorum vivorum* q. ſ. Contundantur, & probè ſubigantur, partique œdematoſæ ſuperponantur.

℞ *Salis ammoniaci* ſemi-drachmam. Diſſolve in *ſpiritûs vini* ſemi-librâ. His adde *micæ panis* q. ſ. Ad cataplaſma.

℞ *Luti aquarum quamvis thermalium* q. ſ. & cataplaſmatis inſtar admove. Ad tumores ſkirrhoſos.

℞ *Pulveris lithanthracis* uncias quatuor, vel quantùm vis. *Olei lini* q. ſ. Miſce. Ad ſimilem uſum.

℞ *Mellis communis* libram unam. *Farinæ ſecalis* uncias duodecim. *Ovi vitellos* numero duos. *Unguenti baſiliconis* uncias duas. Miſce.

℞ *Farinæ fabarum* & *lupini* ana uncias quatuor. *Farinæ ſecalis* uncias octo. Coque in aquæ q. ſ. ad conſiſtentiam. Adde *mellis communis* & *olei liliorum* ana uncias duas. Miſce.

RESOLVENTIA.

℞ *Folior. althææ*, *ſcordii* & *abſinthii* ana manip. unum. *Seminum carvi* & *anethi* contuſorum ana uncias duas. Coque in *oxymellis* q. ſ. ad conſiſtentiam. Pulpæ trajectæ adde *farinæ fabarum* uncias quatuor. *Spiritûs vini camphorati* q. ſ.

℞ *Radicum ireos Florentinæ* & *bryoniæ* ana unciam unam. *Summitatum abſinthii* & *abrotani*, *florum ſambuci* ana manip. unum. *Seminum fenugræci* unciam unam. *Salis ammoniaci* drachm. duas. Coque in *aquæ* & *vini* ana q. ſ. Dein contuſis & per ſetaceum trajectis adde *axungiæ humanæ* unciam unam. *Croci pulverati* drachmam unam.

LINIMENTUM.

℞ *Raſuræ ſaponis albi* uncias quatuor. *Olei tartari* per deliquium uncias duas. Miſce pro litu.

℞ *Olei olivarum*, *balſami Fioraventi* ana uncias duas. *Tincturæ anodynæ* ſemi drachmam. Miſce.

℞ *Unguenti de althæâ* uncias tres. *Olei lumbricor.* & *hyperici* ana uncias duas. *Olei terebinthinæ*, *ſpiritûs vini camphorati* ana unciam unam. Ad dolores rheumaticos.

℞ *Florum ſulphuris* uncias quatuor. *Salis ammoniaci* ſemi-unciam. Miſce cum *axungiæ ſuillæ* q. ſ.

℞ *Aquæ Golardi* libras quatuor; *aceti ſaturni* ejuſdem uncias duas; *ſaponis albi* minutim ſecti libram unam. Coque, igne lento, ſemper agitando. In his probè mixtis ſolve *camphoræ* drachmam unam. Fiat linimentum parti affectæ, priùs lotæ cum aquâ golardianâ admovendum; & frictûs ope intrà cutis porulos adigendum; ſuperimponendo chartam bibulam & lintea calida. Ad tumores ſkirrhoſos; imò & ankyloſes, ſi laudato Authori ſit fides.

EMPLASTRUM.

℞ *Gummi ammoniaci*, *bdellii* in aquâ vitæ ſolutorum ana ſemi-unciam. *Olei chamæmeli* drachm. ſex. *Terebinthinæ* drachm. tres. *Galbani* drachm. duas. *Euphorbii* drachm. unam. Liqueſcant ſimul igne lento. Et fiat ex arte emplaſtrum.

℞ *Gummi ammoniaci* & *galbani* in aquæ vitæ diſſolutorum ana unciam unam & ſemis. *Terebinthinæ venetæ* drachmas ſex. *Aluminis crudi* drachmas tres. *Olei ſpicæ* ſemi-unciam. *Ceræ novæ* unciam unam. Fiat ex arte emplaſtrum ad ſcrophulas.

℞ *Emplaſtri de cicutâ*, *emplaſtri de vigo* cum mercurio ana ſemi-unciam, vel quantùm vis. Miſce ex arte.

℞ *Emplaſtri divini*, *diabotani* ana ſemi-unciam. *Gummi ammoniaci*, *ſtyracis* & *benzoini* ana drachmam unam. *Salis tartari* drachmam ſemis. Miſce cum *olei laurini* q. ſ.

SUFFITUS.

Resolventia.

℞ *Maſtiches* & *ſuccini* pulveratorum ana ſemi-unciam. Super prunas ſenſim injiciantur, & fumus à parte affectâ excipiatur. Ter, quaterve per diem.

℞ *Styracis calamitæ* drachmas duas. *Succini*, *maſtiches* ana ſemi-drachmam. *Caryophyllorum* ſcrupulum unum. *Foliorum roriſmarini* ſemi-unciam. In pulverem redigantur, & miſceantur pro ſuffitu.

℞ *Aceti acerrimi* uncias quatuor. Senſim affunde ſuprà *ſilices igneos* ut vapor excipiatur parte affectâ. Bis terve per diem iteratur adversùs tumores pertinaciores.

COMMENTARIA.

(1.) TAMNUS racemoſa folio minore, flore luteo palleſcente. Inſt. r. herb. Bryonia lævis, ſive nigra racemoſa, C. B. pin. (*Sceau de Notre-Dame*, ou *Racine vierge*).

Hujuſce plantæ radix tanquàm reſolvens & vulneraria extùs quandóque uſurpatur, præſertim ad delendas ecchymoſes contumaciores, à contuſione oriundas, aliaſve ſuggillationes: nec deſunt qui illam pro anodynâ vendi-tent, ad leniendos dolores podagricos. Rariſſimè intùs exhibetur, licèt ipſi tribuatur vis aperiens; & hinc commendatur in cachexiâ, menſium ſuppreſſione & hydrope, ad doſim unius vel alterius drachmæ pro hauſtu.

(2.) *Cyclamen* orbiculato folio internè purpuraſcente, C. B. pin. Arthanita, Lobel. (*Pain de pourceau*).

Radix inter draſtica purgantia numeratur. Sed nuſquàm niſi in urgentiori caſu, vel ab incautis intùs exhibetur. Ad uſum potiùs externum colligitur, atque reſolventium eximiorum ſeriem ingreditur. Ideò nonnunquàm fauſtè admovetur tumoribus ſcrophuloſis: abdomini impoſita, catharſim haud raró movet. Inſuper ſternutatoriorum claſſem ſubit. Unguentum paratur in officinis quod nomen ſortitur ab arthanitâ, de quo ſuo loco.

(3.) *Anchuſa* Monſpeliaca, J. B. Bugloſſum radice rubrâ, ſive Anchuſa vulgatior floribus cæruleis, Inſt. r. herb. (*Orcanette*).

Radix rubra hujuſce plantæ, infectoriis notiſſima, inſervit ad fucandas varias compoſitiones officinales, & præſertim unguentum roſaceum cui elegantem colorem rubrum impertitur, atque vix in alium uſum trahitur. Inter reſolventia tamen & detergentia externa locum obtinet; cur opportunè admovetur contuſionibus & ulceribus contumacioribus: nec ipſi denegatur vis roborans pro uſu interiori, cujus ratione cachecticis opitulari fertur. Ad doſim unius vel alterius drachmæ pro ſingulis infuſi vel decocti libris. Minime reticere debemus aliam eſſe anchuſæ ſpeciem, quam luteam

RESOLVENTIA.

majorem nominavit J. BAUHINUS. Rectiùs juxtà TURNEFORTIUM ſymphytum echii folio ampliore, radice rubrâ, flore luteo; cui ſpeciei ſimiles vires nonnulli tribuunt.

(4.) *Cicuta* major, C. B. pin. (*Ciguë*).

Nemo neſcit hanc plantam, cui ineſt odor viroſus, & cujus uſus internus ab omnibus ferè Authoribus vetatur, pro veneno narcotico haberi, ad quod oppugnandum acetum, vel quodvis acidum vegetabile tanquàm antidotum commendatur. Huic opinioni refragari videtur WEPFERUS, qui opus egregium de hâc re publici juris fecit. Aſſerit laudatus Author cicutam præcipuam vim exercere in ventriculi latera, è quibus inflammatis & eroſis horrenda emergunt ſymptomata. Nec obſtat autopſia cadaverum, quæ poſt eſum cicutæ ventriculi eſcharam nonnunquàm exhibent. Hæc ipſamet tamen cicuta, omnibus inviſa, hominibus & pleriſque animalibus exitialis, ſolerti clariſſ. STORCKII manu tractata, in præſtantiſſimum remedium abiit; quod juxtà Authoris nuperrima experimenta, nil ſibi è reſolventibus & incidentibus internis par habet: & ideò proponitur, præmiſſis generalibus, diluentibus & temperantibus, balneis, &c. adversùs tumores glandularum ſkirrhoſos & cancroſos; non ſecùs ac in medelâ ulcerum & fiſtularum mali moris, vel cancroſorum. Succus, unà cum fæculis, extracti inſtar inſpiſſatus, è quo conficiuntur pilulæ cum pulvere ejuſdem plantæ, exhibetur in die à granis quatuor ad drachmam unam & ultrà. A minori doſi, quam etiam bipartitur, incipiendum; ad majorem ſenſim & ſummâ cautelâ progrediendo. Circà quæ vide Diarium Medicum menſis Junii 1760. Quoad cicutæ vires externas inter topica reſolventia & ſedantia exquiſitiora jure recenſetur. Conducit in tumoribus cyſticis & skirrhoſis; gangliis medetur; egregiam opem confert in mammis & teſtibus tumidis. Contunduntur ad hoc opus folia ſub cineribus cocta; & per ſe, vel cum limacibus & farinis reſolventibus admoventur. Coquuntur etiam prædicta folia in lacte ad leniendos dolores podagricos, rheumaticos & hæmorrhoïdales. Latiſſimus prætereà eſt uſus emplaſtri de cicutâ, de quo infrà. Obiter notare expedit noſtram cicutam longè diſcrepare à cicutâ Veterum, quæ placidum, ſomnoque ſimilem, vitæ exitum poſt ſe trahebat; circà quam meras hactenùs conjecturas tradiderunt rei naturalis Scriptores.

(5.) *Belladona*, Cluſ. Solanum lethale, Parkins.

Inter venena narcotica numeratur hæc planta, cùm affectum comatoſum, delirium & convulſiones accerſat, uti innumeris fermè exemplis, præcipuè ergà baccas à pueris comeſas, conſtat: & hujus veneni egregium antidotum etiam præbent acetum & ſuccus limonum. Nihilominùs tamen medicaminum internorum claſſem ſubit belladona: plures enim poſt GESNERUM & JUNKERUM ejus vires medicas experti ſunt adversùs dyſenteriam contumaciſſimam, cancrum, &c. Uſurpantur baccæ vel folia ſicca in infuſo, ſed refractâ doſi ad unum ſcilicèt vel alterum granum, pro quolibet hauſtu; diuturniori vel ad annos protracto hujuſce remedii

uſu, tumores cancroſos, alioſve ſolitis præſidiis indomabiles, planè curatos fuiſſe aſſerunt. Tutiùs ſanè extùs admoventur folia ceu reſolventia & anodyna, mammis cancroſis, hæmorrhoïdibus inflammatis & furentibus, &c. Sed cautè etiam extùs eſt adhibendum hoc remedium ſtupefaciens, quod, experientiâ teſte, noxam haud rarò intulit.

RESOLVENTIA.

(6.) *Scrophularia* aquatica major, C. B. pin. (*Scrophulaire*).

Ab ſcrophulis, quibus olim dicabatur hæc ſtirps, ſic nuncupari ſat abundè patet. Sed vix noſtrâ ætate, à præjudiciis fortè liberâ, in uſum internum vocatur. Quoad uſum externum inter reſolventia & emollientia haud infimum locum ſibi vindicat, atque vulnerariorum vel detergentium ordini adſcribitur: cataplaſmatis inſtar admota clavis pedum auxilio eſt, hæmorrhoïdes tumentès lenit aut fugat, tumoreſque à purulentiâ alienos reſolvit. Ejus inſuper decoctum ſub lotionis formâ haud exiguam meretur laudem in ulceribus pertinacioribus, imò & cancroſis: pulvis in eumdem finem à nonnullis uſurpatur. Coronidis loco notare expedit pluriès perperàm alias ſcrophulariæ ſpecies adhiberi, quæ à vulgatioribus herbariis ægrè diſtinguntur, ni primas obvias colligere malint.

(7.) *Ebulus*, Matthiol. Sambucus humilis, ſive Ebulus, C. B. pin. (*Yeble*).

Alter vel medianus radicis recentis cortex ad validiora hydragoga refertur, atque in diureticorum numerum adſciſcitur: quapropter coincidit hic frutex herbaceus cum ſambuco; cùm uterque haud improſperè à pluribus uſurpetur in hydrope. Datur prædictus cortex in infuſo vel decocto à drachm. tribus ad unciam unam pro quâque aquæ librâ; vel ſuccus propinatur, ſi vires ferant, à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis. Folia ebuli, ſub formâ fotûs vel cataplaſmatis foris impoſita, reſolventium & anodynorum gradum conſequuntur: roborantium ordinem ingrediuntur: ideò ſat felici ſucceſſu uſurpantur ad ambuſtionem; non ſecùs ac ad teſtium phlogoſim; ad dolorem iſchiadicum, alterumve rheumaticum: conducunt in œdemate crurum; nec inutilem opem præſtant in tremore & paralyſi.

(8.) *Secale* hybernum majus, C. B. pin. (*Seigle*).

Utilis cenſetur panis qui ex hocce frumento paratur iis qui de alvo obſtructâ conqueruntur: ſub eodem ſcopo adhibetur granum torrefactum inſtar caffe. Latiſſimus prætereà eſt farinæ uſus externus ad reſolvendum, emolliendum, imò & maturandum; cur fit ut vulgatiora cataplaſmata ingrediatur. Circà ſecale notare expedit, quòd ſub conſtitutione aëris pluviosâ, degener & nigrum inſolitam craſſitiem aſſequatur; undè ſecale luxurians audit apud Botanicos, quod noſtratibus dicitur *bled cornu* ou *ergot*. Gangrænam ſiccam & horrendam, quâ artus nonnunquàm ſpontè decidunt, ab hocce grano inſenſiſſimo promoveri experientiâ conſtat.

(9.) *Fenum græcum* ſativum, C. B. pin. (*Fenu-grec*).

Hujuſce plantæ ſemen mucilagineum inter reſolventia & emollientia numeratur: è farinâ enim conficiuntur cataplaſmata; quæ valent in doloribus arthriticis & rheumaticis: proſunt ſub mammis & teſtibus tumen-

Resolventia.

tibus, &c. Coquitur ſemen integrum pro fotu, vel ad enemata emollientia, & demulcentia, quæ præcipi ſolent in dyſenteriâ; teneſmo & colico dolore. Ex illo demùm extrahitur mucago in ophthalmiâ & oculorum ſuggillationibus ſummè deprædicata.

(10.) *Lupinus ſativus* flore albo, C. B. pin. (*Lupin*).

Semen detergentium & exſiccantium cenſum ingreditur, atque fauſtè uſurpatur decoctum ex illo paratum adversùs ſcabiem, herpetem, aliaſque cutis defœdationes. Sed latior eſt farinæ uſus in confectione cataplaſmatum emollientium & reſolventium, parotidibus, tumoribus ſtrumoſis, aliiſque affinibus admovendorum.

(11.) *Terebinthina veneta*, cæteris præſtantior, quam tamen ſupplere valet vulgaris, eſt merum balſamum fluidum, vel liquor reſinoſus pellucidus, melleæ conſiſtentiæ, coloris flaveſcentis, ſaporis acris & amaricantis, atque odoris non ingrati; qui ſpontè vel arte fluit in regionibus calidis è pino, larice, abiete, &c. Ad utrumque uſum ſervatur terebinthina: quoad internum, ceu diureticum exquiſitiſſimum celebratur; in aperientium agmine recipitur, ac inter balſamica & vulneraria eminet. Ideò prodeſt ſub exulcerationibus internis; conducit in variis renum & veſicæ affectibus, aſthmaticis ſuccurrit, phthiſiciſque opitulatur; valet in gonorrhœâ & fluore albo: nonnunquàm demùm evenit, annuentibus ſanioribus Practicis, ut ejus ope purulentia è parte affectâ ſubducta, per renes, unà cum lotio, foràs amandetur. Neminem inſuper fugit, quòd inter ejus uſum, tàm externum, quàm internum, urinæ violæ odorem contrahant. Præſcribi ſolet ſub formâ boli cum ſaccharo, vel pulvere liquiritiæ ad ſcrupulum unum vel alterum, & ultrà: illam priùs in ovi vitello ſolutam quibuſvis hauſtibus addere licet. Nonnullis magis arridet terebinthina in aquâ coctione inſpiſſata, è quâ faciliori marte conflantur boli vel pilulæ. Crebriùs tamen in uſum externum venit terebinthina, tanquàm reſolvens, vulneraria & detergens; ideò vulgò ingreditur linimenta, unguenta & emplaſtra quæ ad vulnerum medelam parantur. Nullum prætereà præſentius topicum fortè occurrit poſt caſum ab alto, aliaſque graviores contuſiones. Sæpiſſimè demùm ingreditur à drachmis duabus ad quatuor clyſteres, qui præcipi ſolent, non ſolùm in dyſenteriâ, aliiſque inteſtinorum exulcerationibus, ſed etiam ſub dolore nephritico & iſchuriâ. De oleo terebinthinæ alibi, non ſecùs ac de terebinthinâ chiâ, quæ ex ipsâmet terebintho extrahitur.

(12.) *Urina* ſanorum, & præcipuè juvenum, inter reſolventia & exſiccantia jure recenſetur: illicò admota præpedit intumeſcentiam, quæ preſſo pede ſequitur puncturam apum, veſparum, culicum tinnulorum, &c. Fauſtè admovetur contuſionibus, præſertim mammarum, addito ſale marino: fotûs inſtar adhibita ſuccurrit arthriticis: conducit ſub formâ lotionis in furfuribus capitis, ſcabie, herpete, aliiſque defœdationibus pruriginoſis. In modum clyſmatis injecta alvum ſolvit, & putredini reſiſtit. Nec deſtituitur viribus internis hoc nauſeoſum remedium: fauſtè enim ſæpiùs

propinatur in arthritide : febres intermittentes, aliis præſidiis obſurdeſcentes, fugat : contagium peſtis, aliorumque morborum epidemicorum arcet : obſtructionibus demùm hepatis mederi fertur. RESOLVENTIA.

(13.) *Aquæ Bagnerienſes* calidæ (*de Bagnieres*), urbeculæ agri Bigerrenſis (*Bigorre*), à Valletriâ (*Bareges*), quinque leucis diſtantis, versùs Aquilonem; atque duodecim leucis ad Euro-Notum à Palo (*Pau*); ferè inſipidæ, aliquid tamen ſtiptici præ ſe ferunt. Intùs exhibitæ urinas cient, obſtructiones reſerant, ac nonnunquàm alvum movent : ideò laudantur in cachexiâ, ictero & colluvie ſeroſâ; conducunt in ſuppreſſis menſibus & hæmorrhoïdibus : nec inutilem opem præſtant in morbis pectoris chronicis, qui incidentia efflagitant. Doſis à librâ unâ ad quatuor. Extùs admotæ inter reſolventia & roborantia deprædicantur; ideò præſentaneum remedium præbent paralyticis; efficaciſſimæ cenſentur in tumoribus artuum, aliarumque partium pertinacioribus : ſummis laudibus extolluntur in rheumatiſmo; egregiè ſe gerunt in morbis cutaneis, &c.

(14.) *Bitumen Judaïcum*, ſive aſphaltum, eſt foſſile ſulphureum durum, nigrum & ſplendens, inflammabile & graveolens, ſi incaleſcat. Rarò ſincerum occurrit; ſed ut plurimùm pice adulteratum proſtat. Utrumque pro reſolvente & vulnerario habetur; ſed vix niſi ad præparationes officinales uſurpatur. Cadavera hoc bitumine vulgò condere ſolebant Ægyptii, uti patet ex momiis.

(15.) *Lithanthrax*, ſeu carbo foſſilis (*charbon de terre*), eſt materia bituminoſa, dura, nigra & ſplendens, ad gagatis genus referenda, quæ apud varias gentes, carbonis inſtar, ignis fomitem præbet; & ubique, ad uſum fabrorum, uberiori proventu è terrâ eruitur. Vix in uſum medicum venit : virtute tamen reſolvente gaudet, & fauſtè admovetur tumidis glandulis cervicis, cæterarumque partium, & luto thermarum minimè cedit. Ad hoc opus cum oleo lini teritur ad unguenti conſiſtentiam.

(16.) *Oleum roſatum* è triplici roſarum rubrarum in oleo olivarum infuſione ſoli, vel balneolo, per menſem circiter, poſteà exprimendum & defœcandum paratur. Tanquàm reſolvens & demulcens in familiariſſimum uſum vocatur; vi etiam roborante pollere creditur; vel ab ipſiſmet mulierculis ceu polychreſtum pro quovis morbo extrinſecùs uſurpatur.

(17.) *Emplaſtrum de cicutâ*, hujuſce plantæ folia contuſa & eorumdem integrorum infuſum & decoctum in oleo olivarum recipit; reſinâ, pice & cerâ baſim præbentibus; quibus accedit poſt debitam coctionem & expreſſionem, gummi ammoniacum in aceto ſcillitico, & cicutæ ſucco ſolutum. In ordine reſolventium primatum quaſi ducit hoc emplaſtrum, & ſæpiſſimè adhibetur contra tumores non ſolùm skirrhoſos & ſcrophuloſos; ſed etiam cyſticos & anomalos.

(18.) *Emplaſtrum diabotanum*, fortè plus æquo celebratum, nomen ſortitur ab ingenti plantarum copiâ, quæ ejus compoſitionem ingrediuntur; inter quas notandæ veniunt; cicuta, valeriana, chamæpitys, angelica, raphanus ruſticanus, cucumis, ſcrophularia, chelidonium, gra-

Resolventia.

tiola, &c. quorum decoctum, addito nonnullarum ſucco, evaporationi committitur; ut adjiciatur gummi ammoniaci, galbani, &c. in aceto ſcillitico ſolutio. Dein admiſcentur lithargyrus; olea lumbricorum, catellorum, &c. in aquâ cocta. Quæ omnia mixta poſteà recipiunt ſulphur, ceram, ſtyracem & picem; non ſecùs ac pulverem radicum ireos, cyclaminis, ſerpentariæ, hellebori, ari, ariſtolochiæ, &c. baccarum lauri & nonnullorum ſeminum; varia gummata, camphoram, oleum caryophyllorum, &c. Quid emergat è tantâ rerum farragine vix definiri poteſt. Huicce tamen emplaſtro inſulſæ compoſitionis, tribuuntur vires reſolventes, emollientes & demulcentes: nec refragatur experientia: præcipuè deprædicatur adversùs tumores cyſticos, glandulas induratas, ganglia, &c.

(19.) *Emplaſtrum manus Dei* à nonnullis nomine deceptis haud diſtinguitur ab alio emplaſtro, quod haud minùs hyperbolico titulo, nuncupant divinum, de quo infrà. Primum conficitur ex oleo & cerâ, è myrrhâ, olibano, maſtiche, gummi ammoniaco, galbano, &c. quibus accedunt ariſtolochia, lithargyrus, viride æris & lapis calaminaris. Reſolventium & demulcentium claſſes ſubit; nec ipſi denegatur locus in ſerie detergentium.

(20.) *Emplaſtrum ceroneum* (vulgò *Ceroene*), nomen ducit è cerâ flavâ quæ in ejus compoſitione prædominium obtinet; præter quam recipiuntur pix, reſina & ſebum vervecinum; quibus adduntur myrrha & olibanum, bolus & minium. In vulgatiſſimum uſum cedit tanquàm reſolvens & anodynum; inſuper vi roborante pollere creditur.

(21.) *Aqua vulneraria* diſtillatione educitur è vino variis plantis infuſis imprægnato, quarum aliæ ſunt aromaticæ, uti nicotiana, ſalvia, feniculum, &c.: aliæ amaræ abſinthium putà, centaurium minus, &c.: poſtremæ verò vulnerariæ; veronica nempè, ſanicula, bugula, pervinca, &c. Crebriùs uſurpatur adversùs contuſiones, quàm ad vulnera quibus dicari videtur: his tamen egregiam opem præſtat, vi detergente, & antiputridâ quâ pollet. Sed laterem lavant qui illam, ſub ſpe reſolutionis, tumoribus admovent.

(22.) *Spiritus florum ſambuci* diſtillatione elicitur è prædictis floribus in proprio ſucco, cum tantillo mellis, digeſtis & fermentatis. Inter præſtantiora reſolventia jure numeratur & fauſtè adhibetur non ſolùm adversùs eryſipelata; ſed etiam contrà alias intumeſcentias ſeroſo-ſanguineas, quæ haud ultrà tegumenta propagantur.

MATURANTIA

MATURANTIA ET DIGESTIVA.

NULLUS ſanè ibit inficias puris confectionem, tàm in tumoribus, quàm in vulneribus, è meris naturæ viribus pendere: experientiâ tamen compertum manet prædicta topica huicce œconomiæ animalis motui nonnihil favere; licèt ſuum ſymbolum conferant, partem ad ſuppuratum vergentem blando calore fovendo; vel vaſa laxando & dolores compeſcendo. Sed quidquid ſit de eorum agendi modo; haud dubitare licet, quin prædicta medicamina externa, quæ profert hæc claſſis, plurimùm conferant ad purulentiam juvandam vel promovendam. Notare expedit maturantia & digeſtiva duplicis eſſe ſortis; demulcentia nempè & ſtimulantia: prima renitentibus vel conſtrictis vaſculis infarctis flexilitatem conciliare valent; ſecunda verò faceſcentibus vel languentibus partibus motum quemdam proficuum impertiri videntur. Ideò maturantia & digeſtiva primi ordinis, vel mitiora proſunt partibus dolentibus, renitentibus, vel phlogoſi correptis: cætera verò, vel ſtimulantia, dicantur tumoribus tardioribus, doloris expertibus; vel, ut inquiunt, frigidis; necnon ulceribus aridis & ſordidis; ſolutis priùs carnibus luxuriantibus.

EMPORETICA.

RADICES ſcillæ, liliorum, bryoniæ, cucumeris ſylveſtris, napi, althææ, lapathi, cepa, allium.

Folia acetoſæ, althææ, urticæ, ſenecionis, parietariæ, malvæ, acanthi, violæ, betæ, verbaſci.

Flores chamæmeli & meliloti.... Semina ſinapi, naſturtii, ſtaphiſagriæ.... Farina tritici, hordei, ſecalis, avenæ, fabarum (1), lini, fenugræci, lupini, orobi (2).... Fermentum vetus, mica panis... Caricæ pingues (3), paſſulæ; oleum nucum (4), olivarum... Terebinthina, ſtyrax liquida (5), pix Burgundiæ (6)... Gummi ammoniacum, elemi (7)... Galbanum, tacamahaca, bdellium, opopanax, euphorbium, ſagapenum, labdanum... Sapo niger, mel, vitellum ovi... Lac, butyrum, axungiæ. Lana ſuccida. Stercora variorum animalium, vaccæ nempè, capræ, columbarum, &c.

DIGESTIVA.

OFFICINALIA.

Oleum lini, liliorum, roſatum, hyperici, chamæmeli, lumbricorum.... Balſamum Arcæi ([8]), theriaca.... Unguentum baſilicum ([9]), de ſtyrace, fuſcum ([10]), de althæâ.... Emplaſtrum de mucaginibus, diachylum ſimplex & gummatum ([11]), ſparadrapum ([12]).

MAGISTRALIA.

FOTUS.

℞ *Saponis nigri* uncias duas. Coque in *lactis vaccini* q. ſ. ad fotum.

CATAPLASMA.

℞ *Micæ panis albiſſimi* uncias quatuor. Coque in *lactis vaccini* q. ſ. ad conſiſtentiam. Adde *vitellos ovorum*, numero duos. *Olei roſati* q. ſ.

℞ *Caricarum pinguium* ſemi-libram. Contunde, & miſce cum *unguenti baſiliconis* unciis tribus.

℞ *Radicum liliorum alborum* ſub cineribus coctar. uncias quatuor. Contuſis & trajectis adde *unguenti baſiliconis* uncias duas.

℞ *Pulpæ caricarum*, in *hydromelle* coctarum, uncias duas. *Unguenti baſiliconis; butyri recentis; fermenti* ana unciam unam. *Vitellos ovorum* numero duos. *Pulveris croci* ſemi-drachm. Miſce. Ad anthracem.

℞ *Mellis* ad conſiſtentiam cocti uncias quatuor. *Ceparum ſub cineribus coctarum* uncias tres. *Caricarum pinguium* uncias quatuor. Bulliant in tantillo aquæ ad conſiſtentiam. Quibus adde *pulveris ſeminum lini* unciam unam.

℞ *Ceparum ſub cineribus coctarum* uncias duas. *Saponis nigri; unguenti baſiliconis; emplaſtri diachyli cum gummis* ana unciam unam. Miſce in mortario.

℞ *Farinæ ſecalinæ;* & *ſeminum lini* ana uncias duas. *Galbani in ovi vitello ſoluti* unciam unam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad conſiſtentiam cataplaſmatis. Cui adde *mellis communis; olei liliorum* ana unciam unam.

℞ *Radic. liliorum* & *lapathi* ana uncias tres. *Capitum papaveris albi* contuſorum unciam unam. Caricas pingues numero decem. Coquantur in aquæ q. ſ. Pulpæ trajectæ adde *unguenti baſiliconis; ſaponis nigri* ana unciam unam. Miſce.

℞ *Radic. bryoniæ, liliorum* & *cucumeris ſylveſtris* ana uncias duas. *Caricarum* unciam unam. *Folior. althææ; florum chamæmeli* ana manipulum

unum. Coque in *hydromellis* q. ſ. *Pulpæ trajectæ* adde *ceparum ſub cineribus coctarum* & contuſarum; *unguenti fuſci; fermenti veteris* ana unciam unam. Miſce. DIGESTIVA.

℞ *Pultis ſpiſſæ è micâ panis* & *lacte vaccino* paratæ libram ſemis. *Galbani* in ovi vitello ſoluti unciam unam. *Pulveris croci* ſcrupulum unum. Miſce.

℞ *Pulpæ caricarum coctarum* uncias quatuor. Adde *farinæ fenugræci* quantum ſufficit ad conſiſtentiam cataplaſmatis.

℞ *Radic. althææ* uncias ſex. Coquantur in aquæ congruâ quantitate ad mollitiem. Contuſis & per cribrum trajectis, adde *olei liliorum* unciam unam. *Farinæ ſeminum lini* q. ſ. ad conſiſtentiam.

℞ *Ceparum* & *radic. liliorum alborum* ſub cineribus coctarum ana uncias duas. *Folior. acetoſæ* manip. duos. Coquantur in *hydromellis* q. ſ. Contuſis adde *unguenti baſiliconis* & *fermenti veteris* ana unciam unam. Fiat cataplaſma, ad tumores ſcrophuloſos.

℞ *Foliorum ſcordii* & *rutæ* ana manip. quatuor. *Florum chamæmeli* & *ſambuci* ana manipulum unum. Coque in *vini rubri* q. ſ. Adde *ceparum* & *radicum ſcillæ ſub cineribus coctarum* ana uncias quatuor. Contuſa & trajecta miſce cum *fermenti veteris; mellis anthoſati* ana unciis quatuor, & *theriacæ* unciâ unâ. Ad tumores mali moris.

UNGUENTUM.

℞ *Terebinthinæ venetæ* uncias quatuor. *Vitellos ovorum* numero duos. *Olei lini*, vel *liliorum* q. ſ. Miſce pro digeſtivo.

℞ *Terebinthinæ* uncias duas. Diſſolve in *ovi vitello*, & adde *olei hyperici* q. ſ. ad unguentum.

℞ *Terebinthinæ* uncias tres. *Balſami Arcæi* uncias duas. *Vitellos ovorum* numero duos. *Olei hyperici; aquæ vitæ* ana unciam unam. Miſce.

℞ *Olei ovorum* & *hyperici; terebinthinæ* ana uncias duas. *Gummi elemi* unciam unam. *Unguenti baſiliconis* uncias quatuor. Liqueſcant omnia & intimè miſceantur.

EMPLASTRUM.

℞ *Emplaſtri de mucilaginibus;* & *diachyli cum gummis* ana uncias duas. *Unguenti baſiliconis* unciam unam. *Pulveris ſeminum ſinapi* ſemi-unciam. Miſce igne lento, & extende ſuper alutam. Ad bubones pertinaciſſimos.

℞ *Emplaſtri diachyli cum gummis;* & *de ſpermate ceti* ana uncias duas. Liquefactis & ab igne remotis adde *mercurii terebinthinâ extincti* drachm. ſex. Agitentur ſimul cum *oleo liliorum*, ad conſiſtentiam.

DIGESTIVA

COMMENTARIA.

(1.) FABA flore candido lituris nigris conſpicuo, C. B. pin. (*Feve de marais*). Præter uſum culinarem notiſſimum, ad medicum vocatur farina hujuſce leguminis; quæ tanquàm reſolvens & maturans vulgatiora cataplaſmata, in hunc duplicem finem, ex aquâ, lacte, vel oxycrato parata, ingreditur. Ideò confert tumoribus ſanguineis mammarum & ſcroti; valet in contuſionibus; nec ipſi denegatur vis coſmetica. Inſuper lixivium à cineribus totius plantæ; non ſecùs ac ſal ex eo extractum, pro diuretico eximio habetur in cachexiâ & hydrope: utilemque opem præſtat ad ſabulum è renibus expellendum; dummodò haud vigeat paroxymus nephriticus; quo tempore vetantur omnia ſalia, aliave ſtimulantia.

(2.) *Orobus* ſylvaticus purpureus vernus, C. B. pin. Ervum verum, Inſt. r. herb. (*Ers.*)

Farina ſeminis mucilaginoſa inter reſolventia & maturantia, inſtar prioris, recenſetur; atque eâdem ratione in cataplaſmatum confectione, ſed rariùs uſurpatur. Nonnulli etiam ex incineratâ plantâ, lixivium parant, vel ſal extrahunt, quibus etiam tribuuntur vires diureticæ.

(3.) *Caricæ* vel Ficus paſſæ edules ad duplicem uſum medicum ſervantur. Extùs nempè impoſitæ emolliunt, demulcent; ac puris confectionem promovent: raro tamen cataplaſmata, niſi in bubonum peſtilentialium medelâ ingrediuntur: ſed crebriùs in gargariſmatibus ad uvulæ, tonſillarum, faucium & gingivarum lotionem paratis recipiuntur; vel enemata pro leniendis tubi inteſtinalis irritationibus, vel ſollicitandâ alvo ſubeunt. Per ſe admoventur tumoribus gingivarum, paronychiæ, hæmorrhoïdibus, &c. Earum decoctum nonnunquàm etiam propinatur, ceu demulcens, in tuſſi ferinâ & raucedine; in nephritide, iſchuriâ & ſtranguriâ.

(4.) *Oleum nucum* pictoribus & fabris lignariis utile, ad lucernas, aliosque uſus œconomicos congruum, expreſſione fructûs, extrahitur. Virtute reſolvente & digeſtivâ inſtruitur; & ideò unguenta & cataplaſmata in hunc ſcopum parata ingreditur: ſed crebriùs ad clyſterum compoſitionem præcipitur, tanquàm emolliens & ſedans præſentaneum in colicâ pictorum, aliiſque ventris torminibus: à nonnullis demùm commendatur in aurium tinnitu, & ſuſurro.

(5.) *Styrax liquida* (*Storax liquide*), eſt quoddam balſamum odoratiſſimum, è fuſco griſeum, tenax & conſiſtentiæ melleæ; ritè diſtinguendum ab ſtyrace albâ, balſami peruviani ſpecie; quod, uti fertur, ſpontè fluit; vel arte extrahitur ex arbore exoticâ, liquidambar à PLUKENET dictâ. Nùm ſincerum & legitimum ad nos adferatur? Dubitare licet; cùm rei factitiæ, vel compoſitionis potiùs quàm balſami naturalis faciem præ ſe ferat. Quidquid ſit; extùs adhibetur tanquàm emolliens, reſol-

vens & digeſtivum : ſed crebriùs uſurpatur unguentum de ſtyrace, de quo infrà. Inconſultò ſanè à quibuſdam intùs exhibetur, ceu vulnerarium; cùm haud deſint alia balſama, quorum uſus tutior, nemine refragante, cenſetur. DIGESTIVA

(6.) *Pix* tùm ſicca, tùm liquida (*la Poix*), ex arboribus reſinoſis, & præſertim è pino & abiete, extrahitur. Sicca & albicans *pix Burgundiæ* audit; liquida verò nigra, navalis *goudron*, dicitur. Prima quæ emplaſtri conſiſtentiam præ ſe fert in uſum externum vocatur; & pro reſolvente & maturante eximio habetur; nec vi roborante deſtituitur. Ideò fauſtè admovetur tumoribus ad reſolutionem vel ſuppuratum vergentibus. Capiti tineâ defœdato imponitur, emplaſtri inſtar, quod poſt biduum removetur, ut cruſtæ unà cum pilis, haud ſine clamore & fletu, evellantur. Pice quandóque obvolvuntur membra paralytica; nec infelici ſucceſſu. Inſuper inter rubefacientia numeratur, & ſub hoc conſpectu ſcapulis applicatur, ad varios oculorum, aurium, vel capitis affectibus. Pix liquida intùs & extùs adhibenda vulnerariorum & detergentium claſſem ſubit : ex illâ paratur aqua picea (*eau de goudron*), paucis abhinc annis celebratiſſima, de quâ ſuprà. Raròin uſum externum venit pix liquida, licet iiſdem viribus polleat.

(7.) *Gummi Elemi* eſt mera reſina fragrans ex flavo albicans, vel ſubviridis, quæ educitur ex arbore mexicanâ, de qua BREYNIUS mentionem injecit. Sed minime reticendum aliud eſſe, nempè æthiopicum, quod raròin officinis occurrit; cujus ideò uſus obſolvit. Elemi americanum in reſolventium & maturantium ordine locum obtinet : ſed vix uſurpatur, niſi in nonnullis compoſitionibus officinalibus.

(8.) *Balſamum Arcæi* eſt unguenti genus, conſtans è terebinthinâ, gummi elemi & axungiis; quod in familiariſſimum uſum venit, tanquàm digeſtivum eximium, ad ulcerum curationem; nec vi reſolvente deſtituitur ergà contuſiones, aliamque ſanguinis & humorum ſtaſim.

(9.) *Unguentum baſilicum* è cerâ, ſebo, reſinâ & pice in oleo ſolutis, accedente terebenthinâ, conflatur. Vi maturante & digeſtivâ gaudet, & in vulgatiſſimum uſum cedit, tam in ulcerum curatione quàm in tumorum medelâ.

(10.) *Unguentum fuſcum* (*Onguent de la mere*), ab emplaſtris ratione conſiſtentiæ vix diſcrepat; & componitur ex axungiâ, oleo, butyro & cerâ, quibus accedit lithargyrus. Egregiæ & latiſſimæ ipſi tribuuntur vires, atque in familiariſſimum uſum trahitur; præſertim apud mulierculas; tanquàm reſolvens, maturans & exſiccans.

(11.) *Emplaſtrum diachylon* duplex in officinis proſtat; ſimplex nempè, & gummatum. Primi compoſitionem ingrediuntur decoctum radicis ireos, oleum de mucaginibus & lithargyrus, quæ ad conſiſtentiam coquuntur. Si ſimplex liquetur cum cerâ, reſinâ & terebenthinâ, atque ipſis juxtà artem, addantur gummi ammoniacum, bdellium, galbanum & ſagapenum; emergit diachylon gummatum. Utrumque emollientium

Digestiva

& maturantium ſeriem ſubit : ſed vim reſolvendi obtinet poſtremum ; & ſæpiſſimè, nec infelici ſucceſſu, in hunc ſcopum uſurpatur.

(12.) *Sparadrapum* paratur miſcellâ emplaſtrorum diapalmæ, diachyli, & de ceruſſâ, quibus liquatis adjectâ iride florentinâ, immerguntur telæ lineæ, vetuſtate paululùm detritæ, ut hiſce materiebus imprægnentur & undequâque quaſi incruſtentur ad uſum ſervandæ. Ipſis telis ſparadrapi nomine notis, vires tribuuntur emollientes, reſolventes & maturantes.

VULNERARIA ET DETERGENTIA.

Varia occurrunt medicamina, quæ utrâque vi pollere videntur ; & pro utendi modo vel vario ſcopo, nùnc vulneraria, inter quæ eminent balſama, ſolutis partibus vel vulneribus recèns inflictis congrua, dicuntur ; nùnc detergentia, eroſis carnibus, vel ulceribus dicata, audiunt. Nùm prima quidpiam conferant ad vulnerum agglutinationem, vel conſolidationem, potiùs meris naturæ viribus referendam, plures, haud inconſultò, dubitant : ſed dilucidiùs patet detergentium vis, quorum effectus fiunt, utplurimùm, in propatulo ; licèt moleculis aqueo-ſalinis craſſiores & viſcidiores ulcerum ſordes, aut protuberantias fungoſas incidentibus ; ſeu particulis amaris aut abſorbentibus ſpicula vellicantia, vel laticem ſuperfluum excipientibus, ſuam actionem exerant. Hinc patet nonnulla detergentia vel mundificantia nil vel parùm diſcrepare à cathæreticis, & exſiccantibus, quæ pro nutu curantium, hoc vel illo nomine deſignantur. Neminem inſuper fugit utraque medicamina, quæ objicit hæc claſſis, cujuslibet ſortis ſub formâ lotionis, embrocationis, irrigationis ab alto, linimenti, unguenti, emplaſtri, pulveris, &c. adhiberi ; vel plantarum folia, tùm integra, tùm contrita, earumve ſuccum ; nullâ arte vel per ſe admoveri ; nec improſperè, cùm cæteris vel exquiſitioribus nonnunquàm palmam præripiant. Coronidis loco addere juvat, haud ſemper in ſolis topicis, vel ſelectioribus, ulcerum medelam verſari ; quin potiùs inquirendum ſit, nùm cauſa quædam lateat interna ſiphylidea nempè, ſcorbutica, ſcrophuloſa, &c. quæ ulcera fovendo, exquiſitiorum medicaminum externorum vires infringere ſolet. Cur minime mirari ſubit ſi incauti, vel imperiti, poſthabito genuino morbi fomite, inter ulcerum coalitum promovendum, oleum ſæpiùs & operam perdant.

VULNERARIA.

EMPORETICA.

RADICES ariſtolochiæ rotundæ, enulæ campanæ, gentianæ, cucumeris ſylveſtris, bryoniæ, anchuſæ, cyclaminis, lapathi, ireos florentinæ, ſymphyti, polygonati, frangulæ, aquilegiæ.

Folia agrimoniæ, ſaniculæ, piloſellæ (1), bugulæ, alchymillæ, pyrolæ, veronicæ, burſæ paſtoris, equiſeti, hederæ terreſtris, telephii, cynogloſſi (2), millefolii, pervincæ, centinodii, ſcordii, cardui benedicti, abſinthii, centaurii minoris, chamædryos, perſicariæ urentis, cucumeris ſylveſtris, menthæ, ſcrophulariæ, tanaceti, eupatorii, virgæ aureæ, gerani robertiani, alliariæ, chelidonii, rubi, nicotianæ viridis, ſabinæ.

Flores hyperici, virgæ aureæ. Roſæ rubræ... Semen aquilegiæ, cardui benedicti... Hordeum integrum. Lupini. Colocynthis... Vinum. Oleum olivarum... Balſamum Peruvianum, Tolutanum, Copahu, &c. Terebinthina... Myrrha. Aloë. Camphora. Olibanum. Styrax. Benzoinum. Euphorbium. Bdellium. Pix. Maſtiche... Saccharum. Opium... Kali. Sapo. Fuligo... Cineres ſarmentorum, geniſtæ, &c... Mel. Vitellum ovi. Os ſæpiæ... Urina. Sal ammoniacum.... Aquæ Baregienſes, Bonenſes, Tarbellicæ, Montis Aurei, Balneolenſes, Cauterienſes, Bellilucanæ, Vervonenſes.... Sal marinum. Alumen. Vitriolum. Viride æris. Lithargyrus. Hæmatites.

OFFICINALIA.

AQUA vulneraria. Aqua calcis. Acetum ſaturni extemporaneum.... Oleum hyperici (3). Mel roſatum. Oleum terebinthinæ... Collyrium Lanfranci (4). Aqua Reginæ Hungariæ... Balſamum Commendatoris, Fioraventi (5), Lucatelli, Arcæi, viride.... Unguentum de ſtyrace, mundificatum, baſilicum, fuſcum, Apoſtolorum, Ægyptiacum (6).... Emplaſtrum divinum (7), diapalma, manus Dei, de cerusſâ nigrum... Globulus martialis (8). Aqua vitæ & ſpiritus vini... Tinctura myrrhæ & aloës... Oleum myrrhæ per deliquium.... Aqua phagedænica, divina Fernelii (9). Oleum camphoræ.... Spiritus vitrioli, & aqua Rabel.... Oleum guaiaci, caryophyllorum.... Præcipitatus albus & ruber.... Lapis divinus, medicamentoſus.

VULNERARIA.

MAGISTRALIA.

DECOCTUM.

℞ HORDEI *integri* unciam unam. *Folior. agrimoniæ* & *plantaginis* ana manipulum unum. *Summitatum hyperici* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. In colaturâ diſſolve *mellis roſati* uncias duas. Fiat decoctum ad lotionem, fotum, vel injectionem. Simplicius paratur è decocto hordei, ſero lactis & melle roſato. Addere etiam licet, ut intendatur vis, collyrium Lanfranci ad drachm. ſemis, vel præcipitati rubri ad drachm. unam.

℞ *Foliorum agrimoniæ*, *piloſellæ* & *ſaniculæ* ana manip. unum. *Roſarum rubrarum* ſemi-manipulum. Coque in *decocti hordei* q. ſ. ad libras duas. In colaturâ diſſolve *ſalis kali* unciam unam.

℞ *Radic. ireos florentinæ* & *gentianæ* ana unciam unam. *Summitatum ſcordii* & *abſinthii* ana manip. unum. Bulliant in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *aquæ vulnerariæ* unciam unam. *Tincturæ myrrhæ* drachm. duas. Addere licet ad majorem vim detergentem unguenti Ægyptiaci ſemi-unciam.

℞ *Radic. ariſtolochiæ rotundæ* uncias duas. *Folior. agrimoniæ*, *hederæ terreſtris* & *abſinthii* ana manip. unum. Coque in *aquæ calcis* q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *mellis roſacei* uncias duas. *Tincturæ myrrhæ* drachm. duas.

VINUM.

℞ *Radic. ariſtolochiæ rotundæ* unciam unam. *Folior. agrimoniæ* & *bugulæ* ana manip. unum. *Roſarum rubrarum*, *ſummitatum hyperici* ana manip. ſemis. Coque in *vini albi* q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *tincturæ myrrhæ*, & *aloës* ana drachm. unam.

℞ *Radic. gentianæ* & *ariſtolochiæ rotundæ* ana unciam unam. *Foliorum ſcordii* & *abſinthii* ana manip. unum. *Roſarum rubrarum* manipul. ſemis. Coque in *vini albi* q. ſ. ad libras duas. In colaturâ diſſolve *mellis roſacei* unciam unam. Dein adde *aquæ calcis* defæcatæ uncias duas.

BALSAMUM.

℞ *Olei olivarum*; *vini rubri generoſi* ana libram unam. Coque igne lento ad vini conſumptionem, & fiat *balſamum* dictum *Samaritanum*. Ad ulcera recentia.

℞ *Olei olivarum* uncias duodecim. *Aluminis rupei* in alkool uncias quatuor. *Præcipitati albi* drachmas tres. Miſce in vaſe vitreo, aliquandiù agitando;

agitando; & ſerva donec oleum prædictis materiebus ſit refertum. Hoc eſt *balſamum aluminatum*. VULNERARIA.

MEL VITRIOLICUM.

℞ *Mellis roſati* quantùm vis. *Spiritûs vitrioli* q. ſ. ad gratam aciditatem. Miſce ad uſum. Sic paratur *mel vitriolicum*, ad ulcera in variolis.

POMATUM.

℞ *Pomati jaſmini* uncias duas. *Mercurii præcipitati albi* drachmas duas. Miſce.

UNGUENTUM.

℞ *Vitellos ovorum* numero quatuor. *Balſami Arcæi* uncias quatuor. *Olei hyperici* uncias duas. Miſce.

℞ *Axungiæ agninæ* uncias duas. *Præcipitati albi* drachmas duas. *Salis ſaturni; tuthiæ præparatæ* ana drachmam unam. Miſce.

℞ *Terebinthinæ* uncias duas. *Ovi vitellos* numero duos. *Tincturæ aloës* ſemi-unciam. *Mercurii præcipitati rubri* drachm. duas. Fiat ex arte miſcella.

℞ *Olei hyperici* unciam unam. *Galbani* drachmas duas. Subigantur in mortario cum *aquæ calcis* quantitate ſufficiente.

CERATUM SATURNI.

℞ *Ceræ flavæ* uncias quatuor; *olei olivarum* libram unam. Igne lento liqueſcant. Adde, poſt refrigerationem, *aceti ſaturni golardiani* uncias quatuor. Spatulâ ligneâ miſceantur, & ſubigantur ſenſim affundendo aquæ libras ſex; & indeſinenti motione agitentur, donec tota aqua abſorbeatur. Ad vulnera & ulcera.

COMMENTARIA.

(1.) PILOSELLA, ſeu Auricula muris, Tabern. Dens leonis qui piloſella officinarum, Inſt. r. herb. (*Piloſelle*).

Hujuſce herbulæ vulgatiſſimæ folia, ſummè amaricantia, inter vulneraria interna & externa recenſentur; utriuſque etiam ordinis adſtringentium claſſem ſubeunt. Ideò laudantur in eroſionibus viſcerum, vel ipſiuſmet pulmonis; valent in hæmorrhagiis; atque conducunt in alvi fluxu. Dantur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. In decocto verò ad manipul. unum pro quâque librâ aquæ; vel ſuccus propinatur ab unciâ unâ ad duas. A nonnullis demùm deprædicatur hæc planta, ad herniam puerorum, quibus, ratione habitâ ætatis, exhibetur pulvis à granis decem ad ſemi-unciam. Folia contuſa foris admota vulnerum recentium curationem egregiè promovent; vel coquuntur in aquâ aut vino,

VULNERARIA.

ad eumdem uſum. Sub gargariſmatis formâ ulteriorem humorum defluxum cohibent, & oris ulcera ſanant. Horum demùm pulvis craſſiuſculus naribus attractus hæmorrhagiam ſiſtere valet.

(2.) *Cynogloſſum* vulgare majus, C. B. pin. (*Langue de chien*).

Folia recentia extùs admota præclarâ vi traumaticâ donantur, tàm ad vulnerum, quàm ad ulcerum curationem: in vino generoſo paululùm macerata contumacioribus tibiarum ulceribus felici ſucceſſu imponuntur. In uſum etiam internum trahitur hæc planta, inter demulcentia & ſedantia numeranda: laudatur præcipuè in morbis pectoris æſtu & dolore ſtipatis; à quibuſdam commendatur in alvi profluvio; hæmorrhagiâ; fluore albo & gonorrhœâ. Præcipiuntur radices recentes ad unciam unam pro ſingulis decocti libris: vel folia virentia ad manipul. unum pro eâdem aquæ copiâ. Proſtant in officinis pilulæ de cynogloſſo, de quibus ſuprà.

(3.) *Oleum hyperici* multiplici ſub ſolis radiis infuſione hujuſce plantæ ſummitatum floridarum, per menſem & ultrà, in oleo olivarum paratur; cui nonnulli addunt ſpiritum terebinthinæ. Nemine diſcrepante inter præſtantiora vulneraria externa numeratur prædictum oleum; quod etiam pro digeſtivo eximio habetur. Præterea in reſolventium ſerie recipitur & roborantium gradum aſſequitur. Linimenti inſtar admovetur partibus rheumatiſmo correptis, membris paralyticis & tremulis, &c. vel cataplaſmata, tùm reſolventia, tùm maturantia ingreditur.

(4.) *Collyrium Lanfranci* è miſcellâ auripigmenti, viridis æris, myrrhæ, & aloës in vino albo, aquâ roſarum & plantaginis emergit. Pro detergente præſtantiſſimo habetut prædictum collyrium, quod rariſſimè oculis admovetur; ſed ulceribus cæterarum partium venereis utplurimùm dicatur: præſertim iis quæ uvulam, tonſillas, aliaſque oris partes depaſcunt.

(5.) *Balſamum Fioraventi* ingenti rerum numero conſtat: præter enim gummi elemi, ſtyracem liquidam, myrrham, aloëm, nonnullaſque alias materies reſinoſas; recipit lignum aloës, caryophyllos aromaticos, cinnamomum, nucem moſchatam, zedoariam aliaque id genus: quæ omnia per novennium macerantur in ſpiritu vini; priuſquàm addatur terebinthina; ut tinctura, unà cum ingredientibus, diſtillationi committatur; cujus beneficio prodit balſamum albicans & ſpirituoſum ad utrumque uſum ſervandum: intùs enim exhibitum vim roborantem cephalicam & ſtomachicam poſſidet; pro carminante eximio habetur, & ſub hoc conſpectu colicæ flatulentæ, & cardialgiæ medetur; lotii fluxum promovet, &c. Datur à guttis ſex ad viginti. Crebriùs extrinſecùs uſurpatur non ſolùm ad vulnerum medelam, vel agglutinationem; ſed etiam adversùs putredinem & gangrænam. Inſuper vi reſolvente & roborante inſtruitur; ideò conducit in contuſionibus; dolores rheumaticos mitigat; & nonnullos tumores reſolvit; membris demùm paralyticis opitulatur.

(6.) *Unguentum Ægyptiacum* conficitur è coctione viridis æris ad in-

tegram diſſolutionem in aceto & melle ; vel donec, cum debitâ conſiſtentiâ, purpureum colorem induat. In detergentium validiorum tractu admittitur ; nec ipſi denegantur vires cathæreticæ ; cur fit ut fauſtè carnibus ulcerum ſuperfluis admoveatur. Valet præterea ad arcendam putredinem & gangrænam promovendam.

(7.) *Emplaſtrum divinum*, cui cera & oleum, myrrha, galbanum, maſtiches, bdellium, gummi ammoniacum, thus & oppopanax baſim præbent ; excipit ariſtolochiam, magnetem, lithargyrum & æruginem. Multùm abeſt quin vires hujuſce emplaſtri hyperbolico titulo reſpondeant : inter vulneraria tamen & detergentia haud infimum locum obtinet ; nec virtute reſolvente deſtituitur. Quàpropter haud improſperè uſurpatur in vulnerum, ulcerumque medelâ : vàlet in contuſionibus ; atque nonnullos tumores, à purulentiâ alienos, fugat.

(8.) *Globulus martialis* (*Boule de mars*), facillimè & ubique paratur : recipiuntur ſcilicèt limatura ferri ad ſemi-libram, & tartarus albus ad libram unam. Accuratè trita ingeruntur in cucurbitam vitream, quam matratium nuncupant, ſuperaffundendo aquam vitæ ad altitudinem tranſverſi digiti ſuprà pulverem. Dein digeſtioni & evaporationi committuntur, radiis ſolaribus, vel balneolo ad ſiccitatem. Pluriès iteratur hic proceſſus, donec materia ſuperſtes viſcida & quaſi reſinoſa, ad conficiendos globulos, ovi columbini magnitudine, apta evadat ; qui in quovis liquido diſſolvi queunt. Haud multis abhinc annis celebratur ad uſum internum & externum. Ob vim ſcilicèt vulnerariam, & adſtringentem, quâ pollet, fauſtè adhiberi ſolet in hæmoptyſi, aliiſque ſanguinis profluviis. Ejus pulvis à granis ſex ad duodecim præſcribitur : vel potiùs globus integer in aquam agitatur, donec colorem ſubruffum ipſi conciliet. Quæ tinctura ab unciis tribus, ad ſex propinatur ; iteranda, ſi neceſſitas urgeat ; aliàs cum cautelâ exhibenda. Quoad uſum externum ; eâdem ratione paratur tinctura ſaturatior in aquâ vitæ vel vulnerariâ, quâ imbuuntur linteamina vulneribus admovenda : egregiè etiam ſe gerit in contuſionibus ; cùm præter vires jam allatas virtute reſolvente inſtruatur ; adeo ut, experientiâ judice, cæteris fortè topicis minimè cedat.

(9.) *Aqua divina Fernelii* nil aliud eſt quàm ſolutio ſublimati corroſivi in aquâ plantaginis, quæ perficitur coctione ſuprà cineres calidos, vel balneo arenæ. Eximium eſt detergens lotionis inſtar adhibendum ; quod præcipuè laudatur in ulceribus venereis. Parùm inſuper diſcrepat prædicta aqua, ab illâ quam nuncupant phagædenicam : ſed alia proſtat cognominis, divina nempè vel mirabilis, quæ à noſtrâ toto cœlo diſtat. Ad quod attendere debent inexperti, ne errore titulorum, haud ſine vitæ ægrotantium diſcrimine decipiantur.

Repellentia.

REPELLENTIA ET ADSTRINGENTIA.

Licèt in varium ſcopum uſurpentur alterutra medicamina : hæc tamen ſub unâ eademque claſſi, colligere conſultiùs viſum fuit ; cùm ferè omnia utrâque virtute pollere videantur. Neminem fermè fugit repellentia, vel repercutientia adhiberi ad fugandas recentes phlogoſes ; ad cohibendas ingruentes fluxiones ; vel imminentes præcavendas : ideò opportunè, nullâ interpoſitâ morâ, contuſionibus admoventur ; ut inhibeatur ſolitus humorum affluxus : valent in inflammatione oculorum, oris & teſtium ; ubi ſcilicèt humorum retroceſſus haud vetatur : nonnunquàm conferunt in eryſipelate tibiarum ; egregiam demùm opem præſtant, ſi illicò applicentur in diſtorſione pedis ; non ſecùs ac ſub luxationibus. Exhinc perſpicuum fit ſimpliciora & euporiſta, in hiſce caſibus urgentibus, cæteris eſſe anteponenda : cur minime mirum ſi in uſum familiariſſimum trahantur aqua frigida, nix, glacies, albumen ovi, vinum auſterum, oxycratum, & id genus alia, quæ ubique, & in promptu haberi queunt Ubi verò morbus jam altas egit radices ab hiſce topicis abſtinendum, ne intempeſtivâ medelâ morbus pertinacior evadat ; vel quod pejus eſt, accerſatur gangræna. Etiamſi adſtringentia repellentium munia adimplere valeant, ad aliud tamen opus comparantur ; ad ſiſtenda nempè ſanguinis profluvia ; ad præpediendum ani, vaginæ, inteſtinorum, aliorumque viſcerum prolapſum ; ut demùm vires variarum partium tonicæ refocillentur. Addere licet haud planè innocua eſſe adſtringentia externa, & præſertim ſtyptica ; ubi ſcilicèt de ſiſtendâ hæmorrhagiâ agitur ; cùm ſæpiùs ab illâ intempeſtivâ ſufflaminatione, graviora exſurgant ſymptomata.

EMPORETICA.

Radices biſtortæ, tormentillæ, ſigilli Salomonis, ſymphyti, urticæ.

Folia equiſeti, plantaginis, centinodiæ, burſæ paſtoris, millefolii, piloſellæ, urticæ, rubi, potentillæ, alchymillæ, coronopi (1), ſedi, ſolani, cicutæ, lenticulæ paluſtris, acetoſæ, portulacæ. Pulmonaria arborea.

Roſæ rubræ; balauſtia.... Semen ſumac, cydoniorum. Farina fabarum.... Cortex granatorum. Nuces cupreſſi (2). Galla. Agaricus vulgaris (3).... Maſtiche. Tacamahaca. Sarcocolla. Olibanum.... Sanguis draconis (4). Acacia.... Vinum rubrum. Acetum. Oxycratum. Omphacium.... Succus mali citrei, limonum.... Serum lactis. Albumen ovi. Limax.... Aqua frigida. Nix. Glacies. Atramentum ſcriptorium.... Sal culinare. Nitrum. Alumen (5). Vitriolum viride (6).... Lapis hæmatites (7). Creta. Bolus armena. Ceruſſa. Lithargyrus. Gypſum.... Terra ſigillata (8). Terra cimolia cultrariorum.

OFFICINALIA.

Aqua plantaginis, ſperniolæ, roſarum rubrarum...... Succus acetoſæ, ſolani, plantaginis, lactucæ, portulacæ.... Mucilagines ſemin. cydoniorum, pſyllii.... Acetum roſaceum, ſaturni.... Unguentum roſaceum; nutritum. Ceratum Galeni. Emplaſtrum contra rupturam.... Aqua aluminoſa, ſtyptica, Rabel. Globulus martialis; lapis divinus, medicamentoſus, cauſticus, infernalis.

REPELLENTIA.

MAGISTRALIA.

AQUA ALUMINOSA, &c.

℞ *Alumen* quantùm vis. Diſſolve in aquâ donec ſaturetur. Pro uſu.

℞ *Vitrioli albi* drachmam unam. Diſſolve in aquæ unciâ unâ.

EPITHEMA.

℞ *Boli armenæ* præparatæ quantùm vis. Recipe in *albumine ovi*, cum *aquâ roſarum*; & agitentur ad cataplaſmatis conſiſtentiam. Stupis cannabinis excipiatur & parti admoveatur, ſuperponendo faſcias oxycrato imbutas. Ad contuſiones & vulnera recentia.

℞ *Pulveris aluminis*, *fuliginis* ſplendentis ana unciam unam. Miſce ex arte cum *ovi albumine* ad conſiſtentiam.

℞ *Aceti roſacei* uncias duas. *Albumina ovorum*, numero duo. Probè agitatis adde *boli armenæ*; *maſtiches* ana drachmas duas. Miſce.

℞ *Gallarum* pulveratarum uncias duas. *Boli armenæ* drachmas duas. *Vitrioli cœrulei* ſemi-drachmam. *Aluminis* drachmam unam. Miſce. Fiat pulvis *ovi albumine* excipiendus.

℞ *Albumina ovorum*, numero duo. *Olei roſati* uncias tres. *Succi plantaginis* ſemi-unciam. *Mucilaginis ſeminum cydoniorum* uncias duas. Miſce ex arte pro epithemate. Ad eryſipelas.

FOTUS.

℞ *Succi plantaginis* & *ſedi majoris* ana uncias tres. *Aquæ roſarum* unciam unam. Miſce.

℞ *Ceruſſæ* uncias quatuor. *Aceti*; & *aquæ florum ſambuci* ana libram unam. Solutione peractâ, per ſubſidentiam depura, & cola. Tepidè admoveatur.

℞ *Radicum tormentillæ* uncias duas. *Foliorum plantaginis* & *centinodii* ana manipul. duos. *Balauſtiorum*, & *ſeminum ſumac* contuſorum ana manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *mellis roſati* uncias duas. Ad fotum, lotionem vel injectionem.

℞ *Seminis ſumac*; *corticis granatorum*; *roſarum rubrarum* ana unciam unam. Infunde calidè per viginti quatuor horas in *vini rubri* libris tribus. Servetur ad eoſdem uſus.

CATAPLASMA.

℞ *Foliorum centinodii* & *burſæ paſtoris* ana manipul. duos. *Roſarum*

rubrarum manipul. unum. Coque in aceti q. ſ. Dein contunde & pulpæ trajectæ adde *farinæ fabarum ; unguenti roſati* ana unciam unam. Pro cataplaſmate. REPELLENTIA.

℞ *Radicum ſymphyti* & *biſtortæ* ana uncias tres. *Foliorum plantaginis* & *equiſeti* ana manipul. duos. *Roſarum rubrarum* manipul. unum. Coque in *vini auſteri* q. ſ. & pulpæ trajectæ adde *pulveris corticis granatorum* unciam unam. Miſce. Fiat ex arte cataplaſma.

PULVIS.

℞ *Terræ ſigillatæ* ; *ſanguinis draconis* ana drachmas duas. *Myrrhæ* , & *colcotharis* ana ſemi-drachmam. Miſce.

℞ *Farinæ fabarum* unciam ſemis. *Myrrhæ* & *ceruſſæ* ana drachmas duas. *Camphoræ* ſcrupulum unum. Miſce fiat pulvis.

LINIMENTUM.

℞ *Boli armenæ* unciam unam & ſemis. *Aceti* & *ſucci plantaginis* ana uncias duas. *Olei roſati* uncias tres. Accuratè miſceantur ad linimentum.

℞ *Albumina duorum ovorum*. Miſce cum *olei roſati* unciis tribus. *Succi plantaginis* , & *mucilaginis ſeminum pſyllii* , ana unciam unam. Miſce. Fiat linimentum.

CERATUM.

℞ *Cerati albi Galeni* uncias tres. *Boli armenæ* ; *ſanguinis draconis* ana drachmam unam. Miſce.

COMMENTARIA.

(1.) CORONOPUS hortenſis, C. B. pin. (*Corne de cerf*).

Plantagini cognata hæc ſtirps , haud diſſimiles vires obtinet. Ideò inter vulneraria & adſtringentia interna numeratur ; nec ipſi denegatur locus in diureticorum ſerie ; atque præcipi ſolet ad manipul. unum pro quâque librâ infuſi vel decocti. Foris adhibita ſub lotionis , fotûs , vel cataplaſmatis formâ , pro repellente & adſtringente habetur ; ſed raró in uſum venit.

(2.) *Nux Cupreſſi (Noix de Cyprès)* , in adſtringentium & comprimentium ordine recipitur ; ideò laudatur in alvi fluxu & dyſenteriâ. Datur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam, & ad duplum in decocto. Crebriùs verò uſurpatur tanquàm febrifuga ; iterando prædictam

Repellentia.

doſim ; quartâ quâque horâ : ſed huicce remedio parùm fidendum. Quoad uſum externum, vi adſtringente & repellente gaudet : atque ſub hoc conſpectu, injectionum, fotuum, enematum compoſitionem nonnunquàm ſubit.

(3.) *Agaricus* pedis equini facie, Inſt. r. herb.

Multùm diſcrepat ab agarico in numerum catharticorum admiſſo. Naſcitur is, de quo in præſentiarum, è caudicibus vetuſtiorum quercuum, amygdalorum, aliarumque arborum ; atque fungus igniarius à nonnullis vocitatur ; eo quod ex illo paratur, quod nuncupant *Amadou*, & moxæ Sinenſium vices egregiè explet. Sublatis cortice, cæteriſque partibus duris & lignoſis, contunditur donec in corpus ſpongioſum, flexillimum, in fruſta facilè diſcerpendum evadat. Ni expeditiùs videatur uſurpare agaricum illum paratum ad ignem è colliſo lapide excuſſum excipiendum, quod ubique venale proſtat. Ipſi tribuitur ſingularis, vel ſpecifica vis ſiſtendi ſanguinem è ſectis arteriis, vel majoribus vaſis pleno gurgite erumpentem. Sed plures hanc præclaram dotem, noſtrâ ætate celebratiſſimam, jure in dubium revocant ; hiſce adducti rationibus, quòd prædictum corpus carptum, ſummâ mollitie & flexilitate donatum, obturamenti potiùs vires gerit ergà ſecta vaſa, quàm munia medicamenti adſtringentis ; cùm ne minimam ſtypticitatis notam præ ſe ferat : itaque confert in quâcumque hæmorrhagiâ, ſi ſolerti manu vaſis vulneratis admoveatur, & debitis faſciis probè cohibeatur : nec aliâ ratione huicce ordini, fortè incongruè, adſcribitur.

(4.) *Sanguis draconis* eſt ſuccus gummoſo-reſinoſus, inodorus & igne liqueſcens, cujus color ruber magis rutilat, ſi in pulverem redigatur. Genuinus, diſtinguendus ab adulterato qui ſæpiùs venalis proſtat, inciſione educitur ex arbore quâdam indicâ, quæ Draco arbor à Clusio nominatur : congenerem ſuccum etiam ſuppeditant nonnullæ aliæ arbores exoticæ, de quibus Morisson, Raius, &c. Inter præſtantiora adſtringentia interna & externa jure recenſetur ; atque, ſervatis ſervandis opportunè exhibetur in alvi profluviis ; nec minùs valet in hæmorrhagiâ, ubi illam ſiſtere licet. Haud reticere debemus Cartheuserum, inter Chymicos celeberrimum in eâ fuiſſe opinione ſanguinem draconis, non ſecùs ac alia concreta reſinoſa, nullam diſſolutionem pati in ſtomacho ; cur fit ut horum ingreſſum intrà vaſa lactea planè negaverit : quod verum quidem foret, ſi meris duntaxàt menſtruis aqueis ſubjicerentur ; ſed alteram bilis, ſalivæ & ſucci pancreatici indolem nemo non novit : quoad uſum externum ; ſanguis draconis inter adſtringentia & repellentia primatum quaſi ducit ; in roborantium ordine recipitur ; nec ipſi denegatur locus in vulnerariorum claſſi. Ideò firmitatem gingivis conciliat : valet in fracturis : conducit in herniis, aliiſque prolapſibus : fauſtè admovetur contuſionibus : vulnera glutinat ; & hæmorrhagias cohibet.

(5.) *Alumen* eſt foſſile ſubalbicans ; & ſapore ſtyptico quod è ſale acido minerali & terrâ bolari conflari videtur ; & è variis mineris Germaniæ,

maniæ, aliarumque Europæ regionum eruitur. Haud diſcrepare illud acidum à ſale ſulphuris & vitrioli, multiplici conſtat experientiâ : hæc enim omnia concreta in unâ ut plurimùm & eâdem fodinâ occurrunt; vel ex eâdem pyrite eruuntur. Alumen nonniſi præparatum tranſvehitur; hinc nativum in muſæis duntaxàt proſtat. Præter alumen romanum & rupeum, quæ leviſſimo tantùm coloris gradu ab invicem diſcrepant; per tranſennam notandum aliud eſſe rarius, nempè plumeum (*alun de plume*), in curioſorum muſæis etiam viſendum : ſed notandum quòd nonnulli imperiti pro illo habeant quamdam amianti ſpeciem, prædicti aluminis inſtar ſciſſilem, è quâ texebantur telæ incombuſtiles.

Repellentia.

In utrumque uſum medicum venit alumen : ſed in internum nuſquàm vocatur, ni novæ ſolutioni, è quâ notiſſimâ arte, emergunt cryſtalli octangulares, priùs ſubmittatur. Inter validiora adſtringentia & ſtyptica recenſetur, & pro roborante eximio habetur. Itaque vomitui occurrit, & alvi fluxum ſiſtit : egregiè ſe gerit in hæmorrhagiis, præſertim uterinis; nonnunquàm etiam conducit in hæmoptyſi : ſed ad hocce remedium internum nonniſi urgentiori caſu confugiendum. Prætereà alumen, non ſecùs ac alia roborantia, urinæ fluxum promovet; atque febrem intermittentem vel contumaciorem fugare valet. Datur à granis duobus ad duodecim, ſub formâ boli cum conſervâ roſarum; vel ſolutum in unâ aut alterâ ſucci urticæ unciâ quod pluriès per diem iterare licet in præſenti vitæ diſcrimine. Nonnunquàm etiam diſſolvitur ab ſcrupulo uno ad ſemidrachmam in aquæ librâ unâ vel alterâ, cyathim ſumenda. Per tranſennam notare expedit aluminis drachmam unam diſſolvi poſſe in aquæ calidæ unciis duabus. Nuſquàm tamen niſi ſummâ cautelâ, & præmiſſis præmittendis intùs exhiberi debet alumen, quod ſæpiùs intempeſtivè vel præpoſterè ſumptum haud levem noxam infert; obſtructiones nempè ad hydropem vergentes; tuſſim contumaciorem in phthiſim faceſſuram; dolores interaneorum, alvi compreſſionem, &c. accerſit.

Quoad uſum externum; nullum efficacius proſtat remedium adversùs hæmorrhagias : ad hoc opus diſſolvitur ad drachmam unam & ultrà in librâ unâ aquæ communis, vel diſtillatæ roſarum, plantaginis, centinodiæ, &c. Hâc ſolutione, quæ *aqua aluminoſa* audit, imbuuntur lintea, vel linum carptum, hiantibus vaſis, quantùm licet, admovenda. Peſſimè ſe gerunt, qui in lintea alumine conſperſa alis vel pedibus fœtentibus imponunt; cùm ex hâcce intempeſtivâ medelâ, graviores ſæpiſſimè exſurgant morbi. Alumen inſuper gargariſmata repellentia ad anginam incipientem parata ingreditur : ſub eodem conſpectu, ad fluxiones oculorum cohibendas in variis collyriis recipitur; nec deſtituitur vi detergente & cathæreticâ, cujus ratione fauſtè admovetur aphthis, ulceribuſve oris ſcorbuticis. Alumen demùm uſtum, quod ſimpliciſſimâ calcinatione ſuprà laminam ferream paratur, pro eſcharotico mitiori, vel exſiccante eximio & uſitatiſſimo, ergà luxuriantes ulcerum carnes abſumendas habetur.

Repellentia.

(6.) *Vitriolum viride* ſic dictum ut diſtinguatur à cæruleo, de quo infrà, eſt ſal foſſile metallicum, vel ferrugineum, quod lotione & evaporatione extrahitur è quâdam pyrite, vel marcaſſitâ, in Angliâ, Germaniâ, Hungariâ, Italiâ, aliiſque Europæ regionibus occurrente. Summâ ſtypticitate donatur; & vi cathæreticâ gaudet: cur fit ut extùs admotum conducat in hæmorrhagiis; & crebriùs fauſtè uſurpetur adversùs oris ulcera. Ex hâcce vitrioli ſpecie parantur pulvis ſympatheticus, & aqua ſtyptica, de quibus ſuo loco. Diſtillationi inſuper commiſſum, ſpiritum illum acidum ſuppeditat, quem parùm vel nihil diſcrepare, ab ſpiritu acido ſulphuris & aluminis haud falsò conjicitur. Colcothar vel calcitis nihil aliud eſt, uti vulgò fertur, quàm vitriolum viride, igne ſubterraneo, in terræ viſceribus calcinatum. Si notiſſimæ officinarum calcinationi ſubjiciatur vitriolum viride, emergit colcothar artificiale: utrumque ſtypticum nonnunquàm extùs uſurpatur ad cohibendas hæmorrhagias. De vitriolo cæruleo alibi.

(7.) *Hæmatites*, vel lapis ſanguineus, eſt corpus ferrugineum ſubrubrum, durum & ponderoſum, quod, æquè ac magnes, unà cum ferro è fodinis ut plurimùm eruitur. Eâdem præparatione pro uſu interno indiget, ac antimonium & cinnabaris. Sic elaboratum vi adſtringente & comprimente pollet; nec ipſi denegatur locus in ſerie aperientium, diureticorum & menſes moventium; ideò conducit in alvi fluxu & hæmorrhagiis; valet in cachexiâ & chloroſi; ac uno verbo croci martis vires æmulatur. Datur à granis decem ad ſcrupulum unum & ultrà. Crebriùs in uſum externum vocatur, non ſolum quatenùs adſtringens; ſed etiam tanquàm exſiccans & vulneratium.

(8.) *Terra ſigillata* vel *Lemnia*, olim celebratiſſima, eſt terra quædam pinguis & bolaris è quâ formantur placentulæ, quibus imprimuntur variæ ſignaturæ: ex inſulâ Lemno olim deferebatur hæc terra, quæ hodiè in variis Europæ locis effoditur. Adſtringentium internorum & comprimentium claſſem ſubit, & laudatur in alvi profluviis, & hæmorrhagiis. Falsò à nonnullis pro abſorbente habetur; cùm non ſecùs ac terræ argilloſæ, nullam cum acidis fermentationem concipiat. Ore ſumitur ad ſcrupulum unum vel alterum. Extùs ſæpiùs uſurpatur ceu adſtringens & exſiccans: ejus ope ſiſtuntur hæmorrhagiæ, & abſumitur ſuperfluus vulnerum latex. Parergi loco addere lubet alias proſtare terras ſigillatas; nempè melitenſem; albam & rubram turcicam, albam Goldbergenſem, rubram ſileſianam, &c. quas eâdem ratione, nec infeliciori ſucceſſu, uſurpare licet.

ROBORAN-TIA.

ROBORANTIA.

NEMINEM, vel rudem & inexpertum fugit, quid ſit intelligendum per roborantia externa ; ſed haud fortè omnibus innoteſcit, ea eſſe duplicis ſortis, aromatica nimirùm & adſtringentia, quæ licèt ab invicem ſummè diſcrepent ; eumdem tamen effectum edere queunt ; partium ſcilicèt tonum in integrum reſtituendo. Prima vel aromatica, quæ magis naturæ viribus congruere videntur, uſurpari ſolent ſi debilitas generalis vel particularis, tùm à nervorum læſione oriatur, licèt obſtruantur, vel latex nerveus à nativâ indole deflectat ; quod abundè patet è prægreſſis vel vigentibus ſymptomatibus ; tùm à variis cerebri affectionibus è quibus pendere periculoſam proſtrationem, cuivis obvium : hujuſce commatis ſunt caryophylli, ſalvia, lavandula, thymus, mentha, feniculum, &c. Secunda verò vel adſtringentia commendantur, ubi contextus partium laxior evadit, licèt irradiantes nervi ſolita obeant munia : hujuſce characteris obſervatur debilitas generalis poſt inedias diuturniores ; poſt ſanguinis aliorumque humorum, profluvia immodica ; poſt annoſos morbos, &c. Ejuſdem indolis occurrit debilitas particularis ; ſi nervi vel vaſa ſanguinea comprimantur ; vel ipſamet pars viribus orbata, quovis alio modo laboret : hâcce virtute pollent cortex granatorum, galla, pix, maſtiche, ſanguis draconis, alumen, bolus, &c. Nonnulla demùm recenſentur roborantia in hâcce claſſi, quæ utrumque effectum exerere videntur ; uti aquæ thermales, vinum & vinacea, &c. quorum beneficio utraque cauſa morbum fovens eradicari valet.

Roborantia.

EMPORETICA.

Radices galangæ, ireos florentinæ, polygonati, caryophyllatæ, ſymphyti.

Folia ſalviæ, lavandulæ, roriſmarini (1), ocymi (2), majoranæ, ſerpilli (3), ſatureiæ (4), thymi (5), origani (6), tanaceti, lauri, alchymillæ, centinodii, equiſeti.

Flores lavandulæ, roriſmarini. Balauſtia. Roſæ rubræ.... Semen aniſi, feniculi, ſumac.... Baccæ lauri, juniperi. Caryophylli aromatici.... Cortex granatorum, aurantiorum.... Nuces cupreſſi. Gallæ. Sanguis draconis.... Balſamum Peruvianum, Tolutanum, Copahu. Pix Burgundiæ.... Olibanum. Styrax calamita; labdanum (7); benzoinum. Maſtiche. Tacamahaca, ſarcocolla (8). Quorum præcipua ad ſuffitum etiam inſerviunt.... Vinum, & vinacea (9). Aqua vitæ.... Albumen ovi. Aqua frigida; ſal culinare.... Aquæ Plumberianæ, Borbonienſes Anſelmienſes & Arcimbaldicæ, Vicienſes, Dinienſes, Granenſes, Montis Aurei, Bellilucanæ, Baregienſes, Tarbellicæ (10), Sextienſes, Balneolenſes.... Alumen. Petroleum.... Bolus armena. Terra ſigillata. Oſteocolla (11).

OFFICINALIA.

Oleum laurinum, roſatum, croci, hyperici, catellorum (12).... Balſamum nervinum (13), Fioraventi, Commendatoris.... Unguentum martiatum (14), theriaca.... Emplaſtrum ſtypticum (15), ſtomachicum, ceroneum, de betonicâ, regium ad herniam.... Aqua Reginæ Hungariæ, meliſſæ compoſita.... Tinctura caryophyllorum. Spiritus ſalis ammoniaci.... Oleum lavandulæ, thymi, caryophyllorum.

Roboran-tia.

MAGISTRALIA.

LOTIO.

℞ *Myrrhæ rubræ* ſemi-unciam. *Maſtich.* drachm. duas. *Flor. lavandulæ* manipulum unum. Coque in *vini generoſi* libris quatuor. Poſt arthritidem.

FOTUS.

℞ *Foliorum ſalviæ* & *origani* ana manip. duos. *Summitatum abſinthii* manip. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras duas. Cola.

℞ *Radicum gentianæ* unciam unam. *Foliorum ſalviæ* & *lavandulæ* ana manip. unum. *Baccarum lauri* & *juniperi* ana unciam unam. *Florum roriſmarini* manip. unum. Coque in *vini rubri* q. ſ. ad libras duas.

℞ *Folior. lauri* manip. unum. *Summitat. ſalviæ*, *roriſmarini* & *thymi* ana manip. ſemis. *Salis ammoniaci* drachm. duas. Infunde calidè per noctem in *vini rubri* q. ſ. ad libras duas.

℞ *Folior. hyperici*, *menthæ* & *tanaceti* ana manip. unum. *Roſarum rubrarum* manip. ſemis. Infunde per noctem in *vini rubri* q. ſ. ad libras duas.

℞ *Radicum galangæ* & *ireos florentinæ* ana uncias duas. *Foliorum menthæ* & *ſalviæ* ana manip. unum. *Seminum aniſi* uncias duas. Coque in *vini generoſi* q. ſ. ad libras quatuor. Colatura ſervetur ad uſum.

LINIMENTUM.

℞ *Axungiæ humanæ* uncias duas. *Balſami peruviani*; *olei caryophyllorum* ana drachm. duas. Miſce. Fiat linimentum. Ad rheumatiſmum & paralyſim.

℞ *Olei lumbricorum* uncias duas. *Spiritûs ſalis ammoniaci* drachm. duas. Miſce.

℞ *Aquæ Reginæ Hungariæ* uncias quatuor. *Balſami peruviani* drachm. unam. *Olei lavandulæ* drachm. duas. Miſce. Ad frictum.

℞ *Olei lumbricorum* uncias tres. *Spiritûs vini camphorati* unciam unam. *Olei terebinthinæ* ſemi-drachmam. *Spiritûs ſalis ammoniaci* ſemi-drachmam. Miſce ad litum.

VAPOR.

℞ *Aquæ vitæ* quantùm vis, vel ad unciam unam aut alteram. Projice in laminam ferream ignitam. Excipiatur vapor ab ægro ſedente, ſtragulis ad collum uſque cooperto. Ad dolores rheumaticos.

✱

ROBORANTIA.

COMMENTARIA.

(1.) ROSMARINUS hortenſis anguſtiore folio, C. B. pin. Anthos officinarum. (*Romarin*).

Flores ſummè fragrantes inter analeptica principem locum obtinent; cephalicorum & antiſpaſmodicorum gradum conſequuntur; ſtomachicorum ſeriem ingrediuntur; nec ipſis denegatur vis aperiens & incidens, præſertim reſpectu pulmonum & uteri. Ideò deprædicantur in vertigine, apoplexiâ & paralyſi: conducunt in epilepſiâ & affectu hyſterico: haud exiguam laudem merentur in aſthmate: palpitationibus medentur: occurrunt cachexiæ, chloroſi, fluori albo, &c. In infuſo aquoſo vel vinoſo præcipi ſolent ad pugillum unum vel alterum: vel conſerva anthos exhibetur à ſemi-drachmâ ad drachmam unam. Crebriùs in uſum externum, ſub formâ fotûs, inceſsûs, balnei, cataplaſmatis, &c. vocantur roriſmarini, tùm folia, tùm flores, quæ præter vim roborantem quam exerunt, non ſolùm ergà artus tremulos & paralyticos; ſed etiam ergà oculorum, auriumque debiliora organa, virtute reſolvente & antiputridâ inſtruuntur. È floribus parantur aqua Reginæ Hungariæ; mel anthoſatum, &c. de quibus ſuo loco.

(2.) *Ocymum* vulgatius, C. B. pin. (*Baſilic*).

Nemini haud innoteſcit hujuſce plantæ hortenſis odor ſuaviſſimus; quæ æquè ac cæteræ aromaticæ, inter analeptica, cephalica, ſtomachica & pectoralia incidentia numeratur: nutricibus inſuper quibus lac deficit opitulatur; urinam & menſes movet, &c. Ore datur infuſo vinoſo ad pugillum unum vel alterum. Foris impoſita hæc planta virtute roborante gaudet; nec ipſi denegatur locus in ſerie reſolventium: ejus inſuper pulvis, tabaci inſtar, naribus attractus ſeri ſtillicidium promovet.

(3.) *Serpillum* vulgare minus, C. B. pin. (*Serpolet*).

Raro uſurpatur hæc herba vulgatiſſima, licèt fortè aliis aromaticis pro virtute cephalicâ, ſtomachicâ, uterinâ, &c. minimè cedat; & ſimili ratione extùs admoveri queat ad partes refocillandas, &c.

(4.) *Satureia* ſativa, J. B. (*Sariette*).

Hæc ſtirps fragrantiſſima ſapore acuto accedit ad piper, cujus nomen in nonnullis tractibus ſibi vindicat. Ad ciborum condimentum inſervit ſatureia, quæ viribus ſanè medicis minimè defraudatur: inter enim cephalica, ſtomachica & carminantia numeratur: aperientium & incidentium ordinem ſubit; nec vi febrifugâ deſtituitur. Ideò laudatur in cachexiâ & chloroſi; aſthmaticis opitulatur; & ipſammet quartanam fugat. In infuſo vinoſo exhibetur ad pugillum unum vel alterum. Extrinſecùs admota pro roborante eximio habetur: vi etiam reſolvente gaudet & oculorum organis debilioribus prodeſſe fertur. Gargariſmata adversùs linguæ

paralyſim parata ſæpiùs ingreditur ſatureia; è quâ etiam paratur decoctum cujus vapor, aure exceptus, tinnitui & ſuſurro nonnunquàm medetur. ROBORANTIA.

(5.) *Thymus* vulgaris, C. B. pin. (*Thym*).

Summitatibus floridis, quæ ad utrumque uſum colliguntur, jure adſcribuntur vires cephalicæ, ſtomachicæ, & incidentes, &c. In infuſo præcipiuntur ad pugillum unum vel alterum. Virtute roborante externâ, non ſecùs ac aliæ plantæ aromaticæ, inſtruuntur. Nec ipſis denegatur vis reſolvens, quâ prodeſſe fertur in contuſionibus. Ex illius diſtillatione elicitur oleum de quo infrà.

(6.) *Origanum* vulgare ſpontaneum, Inſt. r. herb. (*Origan*).

Hæc herba vulgatiſſima & aromatica, iiſdem qualitatibus tàm internis, quàm externis ac congeneres, inſtruitur: quàpropter nil addimus, ne jam recoctam crambem iterùm apponamus.

(7.) *Labdanum* eſt ſuccus gummoſo reſinoſus, arenulis, aliiſque ſordibus utplurimùm inquinatus; qui exſudat è foliis cujuſdam ciſti in variis Europæ regionibus naſcentis; & ardente ſyrio colligitur, in Græciâ, Cretâ, aliiſque inſulis maris Ægæi, (vulgò *de l'Archipel*); ope quorumdam flagrorum coriaceorum, quæ leniter ciſto affricant, ut ipſis adhæreſcat prædictus ſuccus. Inter roborantia externa recenſetur: vique reſolvente & digeſtivâ gaudet: raro tamen uſurpatur niſi ad præparationem quorumdam remediorum officinalium. Ex illo tamen paratur ſuffitus haud ingratus, qui auxilio eſt membris paralyticis, vel tremore affectis.

(8.) *Sarcocolla* è grumorum congerie exſurgens eſt gummi reſinoſum, ſapore ingrato, cæteris glutinoſius, arte eductum è quodam frutice Indico vel Arabico, qui Penæa apud LINNÆUM inſcribitur. Inter validiora roborantia & adſtringentia externa numerari ſolet; atque ſpecificâ quâdam virtute vulnera glutinandi, è quâ nomen traxit, pollere dicitur. Si excipias tamen nonnulla collyria in quibus recipitur; ad uſus merè officinales ſolummodò ſervatur.

(9.) *Vinacea*, vel vindemiarum fæces, (*Marc de raiſin*), priuſquàm amiſerint calorem in labro vinario à præviâ fermentatione ortum, egregiâ vi roborante & reſolvente pollent; quâ fit ut opportunè uſurpentur, tàm ad refocillanda membra paralytica, vel debiliora, quàm ad fugandos dolores iſchiadicos, rheumaticos, &c. Balnei inſtar, hoc magmate involvuntur partes affectæ; & inibi morantur ægri per unam vel alteram horam, & ultrà ſi vires ferant; dummodò caput ab odore noxio defendatur.

(10.) *Aquæ Tarbellicæ* (*de Dax*), civitatis in Vaſconiâ, diſtantis decem leucis versùs boream à Baionnâ, calidiſſimæ, vix poſt octo horas refrigerantur: ſuis tamen viribus brevi orbantur, ſi tranſvehantur. Majori ſulphuris copiâ ſcatent, quod, non ſecùs ac in aquis Granenſibus, ſublimatur. Intùs exhibentur à librâ unâ ad quatuor ad infarctum renum: ipſiſque conceditur vis lithontriptica; ſed vetantur tempore paroxyſmi ne-

ROBORANTIA.

phritici. Ratione vis incidentis, conducunt in aſthmate, aliiſque morbis pectoris ab obſtructo pulmone oriundis : ſed magis pro uſu externo celebrantur tanquàm roborantes; nec infimum locum ſibi vindicant in ſerie reſolventium. Ipſis demùm ineſt virtus vulneraria & detergens; cur fit ut ſummis laudibus extollantur in paralyſi : præclaram opem conferunt in rheumatiſmo; atque contumaciorum ulcerum curationem abſolvunt.

(11.) *Oſteocolla* eſt lapidis genus diverſæ molis, albicans, ſabuloſum & concavum, fracti oſſis formam quodammodò referens; undè fortè fluxit opinio, quâ ad promovendum callum fractorum oſſium conferre fertur : ſed exolevit illud commentum; atque vix hodiè à nonnullis uſurpatur oſteocolla ceu roborans; non ſecùs ac terræ bolares & argillaceæ, quæ eadem munia præſtare valent.

(12.) *Oleum catellorum* paratur horumce animalium recèns natorum coctione in oleo olivarum & vino albo. In cujus decocti expreſſionem calidam conjiciuntur origanum, ſerpillum, pulegium, majorana & hypericum : inſolatione per quindecim dies macerantur prædictæ plantæ, ut oleum ipſis imprægnatum, tranſcolatum & defœcatum ſervetur. Pro roborante externo eximio habetur : nec vi reſolvente deſtituitur. Ideò fauſtè admovetur membris debilioribus vel paralyticis; non ſecùs ac artubus, aliiſque partibus rheumatiſmo correptis : dummodò hocce linimentum frictu calido altiùs adigatur.

(13. *Balſamum nervinum* cui baſim præbent medullæ, variæ axungiæ; & olea eſſentialia exquiſitiora, thymi ſcilicèt, lavandulæ, caryophyllorum, &c. recipit balſamum Tolutanum ſiccum & camphoram. Inter roborantia externa primatum quaſi ducit; & felici ſucceſſu, præmiſſis præmittendis, partibus paralyticis & tremulis applicatur.

(14.) *Unguentum martiatum* è calidâ per triduum maceratione uberrimi proventûs radicum, herbarum, foliorum, florum & ſeminum aromaticorum, vel alterius ſortis, in oleo olivarum paratur, cui expreſſo & calido adjiciuntur cera, medulla cervina, axungia urſina & anſerina; ſtyrax, balſamum Copahu & peruvianum, oleum nucis moſchatæ, elemi, & maſtiche : adeò ut ex hiſce omnibus fiat ex arte unguentum, inter roborantia celebratiſſimum; & cui jure adſcribitur reſolvendi vis. Ideò conducit in debilitate, tremore & paralyſi; commendatur ad dolorem iſchiadicum aliumve rheumaticum : nec inutilem opem confert tumoribus juxtà naturæ normam reſolvendis.

(15.) *Emplaſtrum ſtypticum* è variorum, tùm roborantium, tùm reſolventium, tum vulnerariorum farragine conficitur; inter quæ eminent, præter olea, reſinas & gummata quæ baſim ſuppeditant; minium, lithargyrus, lapis calaminaris, hæmatites, vitriolum & camphora, &c. Pro roborante eximio habetur, & rarò in alium ſcopum uſurpatur : licèt vi reſolvente & vulnerariâ minime deſtituatur.

EXSICCANTIA.

Exsiccantia.

EXSICCANTIA.

Primatum ſanè ducunt in hâcce claſſi terrea & abſorbentia, quæ ſeroſam ulcerum ſaburram intrà porulos recondere, vel ſpicula ſalina vellicantia involvere queunt: ſed exſiccantium titulo etiam inſigniuntur diverſæ materies à virtute abſorbente prorsùs alienæ, quibus nihilominùs ulcera uberiori colluvie conſpurcata morem gerere ſolent; quæ ſcilicèt detergendo, erodendo, vel adſtringendo obſtant generationi carnium ſuperfluarum, vel uberiorem ſuppurationem reprimunt: quo fit ut vulnerum agglutinationi vel exſiccationi faveant. Quapropter arduum eſt dilucidè concipere quid per exſiccantia juxtà mentem practicorum ſit intelligendum. Nec minoribus difficultatibus premitur recta eorum applicatio; quæ tamen maximi eſt momenti, periculoque minime vacat; cùm ex hiſce inopportunè uſurpatis ulcera contumaciora, imò & pericuoſa haud rarò evadant. Circà ulcerum medelæ finem, duntaxàt congruere videntur; atque ſummâ ſemper cautelâ admoveri debent tineæ, herpeti, aliiſque cutis defœdationibus, è quarum præmaturâ exſiccatione procelloſa ſæpiùs ordiuntur ſymptomata, grave curantibus negotium faceſſentia; ni intempeſtiva laticis virulenti ſuppreſſio necem inferat; quod debilibus & ſenio confectis haud rarò accidiſſe norunt practici.

EMPORETICA.

Radices ireos florentinæ, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, chelidonii, polygonati, frangulæ.

Folia ſabinæ, chelidonii.... Semen ſtaphiſagriæ, lupini.... Pulvis è ligno carioſo (1), linum carptum.... Cinis ſarmentorum & ligni viridis, fuligo.... Os ſepiæ, lapilli cancrorum, urina.... Corallium, oſtrea calcinata.... Alumen, vitriolum album.... Creta, bolus armena, terra ſigillata.... Lapis hæmatites, calaminaris (2), tuthia...., Ceruſſa (3), lithargyrus (4), viride æris (5)...., Minium (6), cinnabaris.

Exsiccantia.

OFFICINALIA.

Alumen uſtum, plumbum uſtum (7), trochiſci de minio... Balſamum Arcæi, aqua calcis.... Unguentum album Rhaſis, nutritum, diapompholygos, rubrum (8), fuſcum.... Ceratum de lapide calaminari (9).... Emplaſtrum de ceruſsâ (10), album & nigrum; Norimbergenſe (11), de minio, diapalma (12), Abbatis de Graſſe, ſparadrapum.... Tinctura myrrhæ & aloës.... Aqua phagedænica, Rabel.... Spiritus vitrioli, ſalis.... Oleum tartari per deliquium..., Oleum buxi, guaiaci, cinnamomi.... Sal ſaturni, antimonium diaphoreticum.... Mercurius dulcis; præcipitatus albus, & ruber.

MAGISTRALIA.

LOTIO.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias quatuor. *Salis ſaturni* ab ſcrupulis duobus ad drachmam unam. Miſce pro lotione.

℞ *Aquæ calcis* libram unam. Imprægnetur *ſaccharo ſaturni* ad lacteſcentiam.

℞ *Aquæ calcis* libram ſemis. *Florum ſulphuris* drachmas duas. *Salis ſaturni* ſcrupulos duos. Miſce.

℞ *Aluminis; vitrioli albi* ana uncias duas. Pulverata & mixta coque in vaſe terreo igne lento, donec indureſcant. Injice pulveris hujuſce lapidis cochlear unum in aquæ ferventis libris duabus. Poſt ſolutionem colà & ſerva ad uſum.

℞ *Aluminis* uncias quatuor. Coque in aquæ libris duabus ad tertiæ partis conſumptionem. Poſteà recipe *lithargyri* ſemi-libram, *aceti* libram unam & ſemis. Coque ad libram unam. Miſceantur ambæ aquæ ut lacteſcant; & ſerventur pro uſu. Ad herpetem, alioſque morbos cutaneos cum cautelâ.

LINIMENTUM.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* ſemi unciam. *Olei tartari per deliquium* drachmas duas. Miſce.

℞ *Succi lapathi* uncias duas. *Olei roſati* uncias tres. *Lithargyri aurei* unciam unam & ſemis. *Ovi vitelli* q. ſ. Simul agitentur in mortario plumbeo.

UNGUENTUM.

Exsiccantia.

℞ *Unguenti roſacei* drachmas duas. *Florum ſulphuris* ſcrupulos duos. *Sacchari ſaturni* grana decem. Miſce.

℞ *Balſami Arcæi ; unguenti baſiliconis* ana unciam unam & ſemis. *Aluminis uſti ; præcipitati rubri* ana ſemi-unciam. Miſce ex arte.

EMPLASTRUM.

℞ *Olei olivarum* ſemi-libram ; *ceræ albæ* unciam unam. *Ceruſſæ* uncias quatuor. *Camphoræ* unciam ſemis. Fiat ex arte emplaſtrum pro vero Norimbergenſe habendum.

PULVIS.

℞ *Aluminis uſti* ſemi-unciam. *Radic. polygonati* drachmas duas. Miſce. Vel ſolum alumen uſtum uſurpatur.

℞ *Pulveris ſabinæ* ſemi-unciam. *Ireos florentinæ* drachmam unam. Miſce ad ulcera cancroſa.

℞ *Lapidis calaminaris* drachmam unam. *Ceruſſæ ; tuthiæ præparatæ* ana ſemi-drachmam. Miſce. Ad intertriginem.

℞ *Pulveris ſabinæ*, *boli armenæ* & *vitrioli albi* ana drachmas duas. Miſce, fiat pulvis.

COMMENTARIA.

(1.) PULVIS E LIGNO CARIOSO, (*Poudre de bois vermoulu*), eſt ſubſtantia levis & poroſa ſummè idonea abſumendis redundantibus humoribus ulcera inquinantibus. Rarò tamen in uſum trahitur ; niſi ad exſiccandas intertrigines, vel infantum excoriationes, quæ ab ſtagnantibus lotio & fæcibus alvinis harumce latebrarum vicinia corripiunt.

(2.) *Lapis calaminaris*, vel cadmia foſſilis, eſt ſubſtantia metallica, ferri nimirùm particeps, coloris ſubrubri, & conſiſtentiæ mediæ, quæ ad aurichalci confectionem, vulgò à fabris ærariis uſurpatur ; & reperitur in variis Germaniæ & Poloniæ tractibus. Haud deſtituitur viribus medicis hæc materia ; quin potiùs inter præſtantiora exſiccantia recenſetur ; cujus ope percurari ſolent tùm excoriationes, tùm ulcera uberiori quàm par eſt colluvie conſpurcata. Ex hocce lapide paratur ceratum, de quo infrà.

(3) *Ceruſſa*, nonnullis *Blanc de plomb*, eſt ipſummet plumbum à ſuâ naturâ quaſi degener, vel in rubiginem albam ope aceti converſum. Extùs adhibetur tanquàm anodyna & exſiccans ; atque in quàmplurimo-

rum unguentorum & emplaſtrorum confectione recipitur. Aliàs raro in uſum venit, niſi quandòque infantum excoriationibus, adultorumve intertrigini ſimplici inſperſione admoveatur.

Exsiccantia.

(4.) *Lithargyrus* eſt quædam ſcoria quæ in metallorum fornacibus colligitur; dum argentum à plumbo, cæteriſve metallis, repurgatur. Diſcrimen verò quod occurrit inter lithargyrum auri, vel flavum; & lithargyrum argenti, vel albicantem, à ſolo calcinationis gradu pendere videtur. Uterque ſimilibus viribus inſtruitur; atque ſubſtantiis oleoſis, vel adipoſis, æquali rationi ſolvitur. In familiariſſimum uſum venit hoc plumbi recrementum, egregiâ enim vi exſiccante gaudet; detergentium claſſem ſubit: nec ipſi denegatur vis anodyna. Cur ſit ut nullum fermè proſtet emplaſtrum, vel unguentum, cujus compoſitionem haud ingrediatur. Vetatur lithargyri uſus internus: nemo enim neſcit quantam perniciem inferat potatoribus, quibus exhibetur vinum auſterum hâcce materiâ edulcatum, vel potiùs adulteratum; quod haud citrà piaculum licet, cùm hâcce fraude, quamvis apud noſtrates familiariſſimâ, ſontes debitas ſæpiùs, vel ipſomet laqueo, luerunt pœnas.

(5.) *Viride æris* vel *ærugo (Verd de gris)*, nil aliud eſt quàm rubigo vireſcens à laminis cupreis, quæ aliquandiù vinaceis objiciuntur, deraſa. Inter exſiccantia, detergentia & cathæretica numeratur; atque varia unguenta & emplaſtra ingreditur: aliàs raro uſurpatur, niſi ad ulcera ab ſcabie, aliiſque cutis defœdationibus prognata. Ad quod opus paratur tinctura ex aquâ vitæ cum ærugine, priùs in aceto ſolutâ & evaporationi commiſsâ.

(6.) *Minium* è diutinâ plumbi calcinatione emergit; hinc jure plumbum rubrum audit: facilè enim comburitur hoc metallum, quod primò faceſſit in pulverem cinereum, qui dein flaveſcit & demùm ruber evadit. Per tranſennam notare licet hanc calcem; non ſecùs ac lithargyrum, iterùm igni cum immixtis carbonibus ſubjectam, priſtinam naturam, ſcilicèt genuini plumbi, recuperare. Minium pro exſiccante & adſtringente habetur; ac ſub hoc duplici conſpectu in variis unguentis & emplaſtris officinalibus recipitur. A nonnullis tamen per ſe adhibetur; ad ulcera ſcilicèt venerea, quæ hoc pulvere inſperſa feliciùs ad cicatricem perducuntur. Proſtant in officinis trochiſci de minio de quibus ſuo loco.

(7.) *Plumbum*, ſive Saturnus, metallum vulgatiſſimum, quod quocumque modo diſſolutum, ob particulas virulentas quas penès ſe recondit, à ſolertioribus pro uſu interno abdicatur: ſed exquiſitiora topica ſuppeditat. Pro enim anodyno habetur; ſi hujuſce metalli laminæ ſimpliciſſimæ ulceribus cancroſis imponantur. Ubi verò hydrargyro impRægnantur vi reſolvente gaudent, ergà tumores cyſticos; ganglia, &c. Plumbum in patellâ terreâ fuſum & rudiculâ agitatum, in pulverem ſubnigrum abit, qui ſub nomine *plumbi uſti* inter exſiccantia & ſedantia externa haud infimum locum obtinet; atque proſperè admovetur ulceribus tibiarum pertinacioribus; vel aliis præſidiis domari neſciis. De ceruſsâ &

ſale ſaturni alibi. De globulis plumbeis, qui ſub ileo deglutitis totum inteſtinorum tractum ſine noxâ, peragrare ſolent; vel cuivis parti internæ diutiùs & innocuæ hærere queunt, nil addimus. Exsiccantia.

(8.) *Unguentum rubrum exſiccans*, vel ut inquiunt deſſiccativum rubrum, cui baſim præbent cera & oleum roſatum; recipit bolum, lapidem calaminarem, lithargyrum, ceruſſam, & camphoram; atque pro exſiccante & anodyno habetur, nec immeritò; cùm vulneribus phlogoſi correptis opportunè ſæpiùs admoveatur.

(9.) *Ceratum de lapide calaminari*, Auctore Turnero, conflatum è cerâ, oleo & butyro recenti, quibus additur foſſile illud ferrugineum, egregiè exſiccat demulcendo; atque felici ſucceſſu uſurpatùr ad ſananda ulcera cujuſcumque indolis.

(10.) *Emplaſtrum de cerufsâ* conficitur ex hâcce plumbi rubigine & oleo roſato in aquâ coctis; quibus ſub finem additur cera, ut debitam conſiſtentiam adipiſcatur. Inter exſiccantia primi ordinis numeratur; & laudatur præcipuè in ambuſtione & excoriationibus. Acuuntur fortè hujuſce emplaſtri vires; ſi ad uſtionem coquatur abſque aquâ, adeò ut nigredinem contrahat; cujus ratione dicitur emplaſtrum nigrum, vel de ceruſſâ uſtâ, quod in ulceribus, præſertim crurum, pertinacioribus haud improſperè adhibetur.

(11.) *Emplaſtrum Norimbergenſe*, haud multis abhinc annis celebratum, ſuas vires mutuatur à minio & camphorâ, in cerâ, oleo roſarum, & ſebo cervino exceptis. Inter exſiccantia eximia recenſetur, ipſi adſcribitur locus in reſolventium ſerie; nec deſtituitur virtute anodynâ, quâ conducit in tibiarum pruritu ab igne foci, vel quâvis aliâ causâ concitato: atque in familiariſſimum uſum venit. Inter varios proceſſus hoc conficiendi emplaſtrum, vide ſuprà traditam formulam, quæ, ni fallor, cæteris præſtat.

(12.) *Emplaſtrum diapalma* à tenerioribus palmæ ramulis, qui tamen tanquàm inutiles à pluribus reſcinduntur, nomen ſortitur; atque vires ſumit à lithargyro & vitriolo albo; oleo, cerâ & axungiâ exceptis; atque notiſſimâ arte coctis. Pluris valet tùm ad exſiccandum, tùm ad reſolvendum; atque ſub utroque ſcopo in tralatitium uſum venit.

CATHÆRETICA.

VESICANTIA ET CATHÆRETICA.

Sic deſignari ſolent varia topica in hâc claſſi occurrentia, quæ ſubjectam cutem cum vario caloris gradu laceſſunt, ſtimulant & erodunt; quorum alia mitiora, dicuntur *rubefacientia*, vel *veſicantia*; alia verò acriora & validiora, *cathæretica*, *cauſtica* & *eſcharotica* audiunt. *Rubefacientia* & *veſicantia* æſtum excitando & dolorem inferendo attrahunt & revellunt. Prima *ſinapiſmata* vulgò audiunt ob ſemen ſinapi, è quo præcipuas vires mutuantur; cui addere licet, ſtaphiſagriam, piper, pyrethrum, ſcillam, &c. Pulveres tenuiſſimè lævigati pulpâ caricarum nonnihil coctarum, pice nigrâ, quibuſdam unguentis vel emplaſtris excipiuntur & contunduntur ut emplaſtri formam induant; quod priuſquàm admoveatur, celebrari debent frictiones cum linteis aſperis, madefactis liquore quocumque acri; vel aceto ſale, pipere & euphorbio ſaturato, ut faciliùs effectum ſuum exerat. *Veſicantium* vulgatiorum materiam præbent *cantharides* cum fermento, pulpâ caricarum, aceto vel melle ſcillitico ſubactæ, ad emplaſtri conſiſtentiam. Aliæ ſunt ſubſtantiæ mordaces, quæ cantharidum vices explere valent, uti cortex thymeleæ, ranunculus, dentellaria, clematitis, euphorbium, &c. *Cathæretica* validiora, vel *eſcharotica* ad fonticulos aperiendos vulgò uſurpantur: ſed utraque *cauterio actuali* planè cedunt. Præter enim topica cathæretica ad hoc opus parata, alio modo infligitur *fonticulus*; ſimplici nempè ſectione phlebotomi; vel ferro candente. Primus modus minùs moleſtus cenſetur: ſecundus verò dolorem acerbiſſimum, ſed nonnunquàm proficuum, infert; ac præſentaneam opem præſtat ad coërcendam gangrænam, vel cariem oſſium; ad domandum animalium rabidorum & venenatorum virus; ad ſuſcitandos ſpiritus, &c. ut de variis aliis ſalubribus effectibus ſileamus: adeò ut mirari profectò ſubeat tantum præſidium, neſcio quo fato, apud nos quaſi eviluiſſe. Igne enim curabant Ægyptii varios morbos, quos pro immedicabilibus habemus. Hactenùs viguit illud auxilium apud Sinenſes, qui haud ferrum candens; ſed *moxam* in uſum adhibent; quæ nil aliud eſt quàm lanugo, vel tomentum cujuſdam artemiſiæ de quâ LINNÆUS. Conus ex hâcce materiâ conficitur, cujus baſis unius ſcilicèt pollicis lata, beneficio gummi Arabici, cuti affigitur: dein accenſo apice, flamma ſerpendo ad cutem pergit, quam cauterii actualis inſtar levi ſanè dolore adurit: ſi haud votis reſpondeat hæc prima ambuſtio; alter imò & tertius admovetur conus ſimili modo conflagrandus. Minores etiam efformantur coni, vix piſi molem ſuperantes pro delicatulis; ſed tardior, uti par eſt, fit effectus, qui in phlyctænâ & eſcharâ verſatur, quibus imponi ſolet unguentum baſilicum. Hoc præſidio, in orientalibus plagis notiſſimo &

familiariſſimo, domantur dolores contumaciores rheumatici, arthritici, alteriuſve naturæ; evincuntur apoplexia, epilepſia, aliive affectus qui forti revulſioni cedere queunt. Durum ſanè & acerbum huncce curandi modum plures deprædicant: ſed nùm minorem ſævitiem exerunt morbi chronici, tot ærumnis exaſperati? Moxæ vires ſupplere valent variæ plantæ tomentoſæ: ſimilem ſanè materiam ſuppeditare valent echinopus quidam humilis hiſpanicus, & clematitis pappis inſtructa: in ſimilem etiam uſum trahi queunt medulla junci & ſambuci, goſſypium, linum, cannabis, vel ipſemet agaricus igniarius, qui *amadou* dicitur. Quocumque modo excitetur *fonticulus*, ſaluberrimam ſentinam præbet quâ ſanguis expurgatur, varii domantur morbi chronici; & imminentia ſymptomata truculentiora præcaventur. Egregiam non ſolùm opem ferunt hæc ulcuſcula in morbis capitis & oculorum: ſed adversùs dolores iſchiadicos, & quotiès de divertendo humorum defluxu in quamvis partem cogitatur. Scitur fontanellas annoſas nuſquàm eſſe exſiccandas; quin potiùs ad ariditatem vergentes omni arte foveri debent.

Catharetica.

Neminem practicum fugit, ut propoſitum perſequamur, varios morbos acutos abſceſſu interno quandòque judicari, qui pro infauſto curationis exitu habetur: hinc omni ope enitendum ut hic imminens humorum defluxus versùs cutem revellatur, vel evocetur. Quod præſtare queunt topica cathæretica. Scitur enim ulcera vetuſtiora, quæ in provectâ ætate pro ſentinâ ſalutari habentur, haud intempeſtivâ curatione exſiccari, abſque præſenti vitæ diſcrimine; cùm ſufflaminatus latex purulentus haud rarò irruat ad hepar, pulmones, aliave viſcera. Nec fugit expertos puris materiam in quâvis parte collectam & nidulantem, nonnunquàm ſolis naturæ viribus versùs aliam tranſvehi, & crebriùs appellere ad renum incernicula, aliave colatoria, quorum beneficio foràs abigitur: hinc perſpicuum fit hanc metaſtaſim, haud refragante naturâ, faciliùs versùs cutem eſſe dirigendam, vel evocandam, ab excitato haud citrà morſum ulcere artificiali, quod deviæ huicce materiei, ſanguinem inficienti exitum largiri valet. Inſuper ad alios ſcopos adhibentur, tùm veſicantia, tùm cathæretica; ad ſopitos ſcilicèt vellicatione excitandos, in apoplexiâ, comate, lethargo & paralyſi; ad revellendos ſpiritus, ut inquiunt, animales è partibus convulſione correptis, vel dolore conflictatis; ad luxuriantes ulcerum carnes abſumendas; ad ſiſtendam oſſium cariem; ad domandas pertinaciores ophthalmias, &c. Cavendum prætereà inter cauſticorum applicationem ne tendines, nervi & vaſa horumce actioni ſubjiciantur. Mantiſſæ inſtar addere juvat, quòd ab admotis cantharidibus, quæ materiam veſicantium uſitatiorum præbent; ſæpiùs emergant iſchuria & ſtranguria; imò & mictus cruentus; quibus medentur aqua pulli, ſerum lactis, emulſiones, aliave demulcentia.

CATHÆRETICA.

EMPORETICA.

RADICES thymeleæ ([1]), raphani ruſticani, ireos florentinæ, ariſtolochiæ rotundæ, thapſiæ, ari, cyclaminis; pyrethrum, ſcilla, allium.

Folia ſabinæ, thymeleæ, chelidonii, tithymali, lepidii, dentellariæ ([2])…. Semen ſtaphiſagriæ, ſinapi ([3]); cevadilla, piper…. Pix Burgundiæ, euphorbium ([4]), cantharides ([5])…. Cineres kali, nicotianæ, ſarmentorum…. Calx, ærugo, borax, ochra…. Vitriolum viride, & cæruleum…. Cauterium actuale à ferro candente, moxâ, &c.

OFFICINALIA.

AQUA calcis. Alumen uſtum…. Balſamum Arcæi, viride ([6]), unguentum ægyptiacum…. Emplaſtrum veſicatorium, epiſpaſticum ([7])…. Trochiſci de minio ([8]), ſparadrapum eſcharoticum ([9])…. Aqua mercurialis vel benedicta eſcharotica ([10]), phagedænica ([11])…. Spiritus nitri, ſalis, ſulphuris, vitrioli. Aqua Rabel…. Butyrum antimonii ([12]), oleum camphoræ…. Oleum tartari per deliquium…. Oleum guaiaci, buxi, caryophyllorum, cinnamomi…. Salia volatilia ex animalium claſſi: mercurius dulcis, præcipitatus albus ([13]), & ruber ([14])…. Sublimatus corroſivus ([15]), lapis cauſticus ([16]), infernalis ([17]).

MAGISTRALIA.

AQUA.

℞ *Aluminis* drachmas duas; *arſenici* ſcrupulos duos. Bulliant per horam in *aquæ plantaginis* librâ unâ. Colatura ſervetur ad ulcera & ſarcoſes gingivarum.

EPITHEMA.

℞ *Raphani ruſticani* contriti quantùm vis; cuti admove per ſemihoram, vel donec ruborem accerſat.

CATAPLASMA.

℞ *Fermenti veteris* ſemi-libram. *Stercoris columbini* recentis uncias quatuor. *Seminum ſinapi* uncias duas. Fiat ex arte cataplaſma *pulveris cantharidum*

cantharidum drachmâ unâ inſpergendum, & calidè pedibus admovendum ſub arthritide anomalâ.

Cathæretica.

℞ *Pulveris ſeminum ſinapi; farinæ avenaceæ* ana unciam unam. Cum *aceti acerrimi* q. ſ. fiat cataplaſma.

℞ *Pulveris ſeminum ſinapi* unciam unam. *Farinæ ſeminum lini* uncias duas. *Salis communis* drachmas duas. *Aceti* q. ſ. ad cataplaſma.

℞ *Medullæ panis albi* uncias duas. *Pulveris ſeminum ſinapi* unciam unam. *Olei caryophyllorum* ſemi-drachmam; *aceti* uncias tres. Miſce cum *mellis* q. ſ.

℞ *Pulpæ caricarum in aceto coctarum* uncias duas. *Pulveris ſinapi* ad unciam unam vel alteram. Miſce.

℞ *Pulveris cantharidum* unciam unam; *pyrethri* & *ſeminum ſinapi* in pulverem redactorum ana drachmam unam. *Fermenti veteris* unciam unam. *Aceti acerrimi* q. ſ. Pro cataplaſmate.

℞ *Euphorbii* & *ſeminum ſinapi* pulveratorum ana unciam ſemis. *Fermenti veteris* uncias duas. *Aceti acerrimi*, quantum requiritur ad cataplaſmatis conſiſtentiam.

℞ *Fermenti veteris* uncias duas. *Seminis ſinapi* unciam unam. *Salis communis* drachmas duas. Miſce cum *aceti* q. ſ.

℞ *Radicis pyrethri; ſeminis ſinapi* ana uncias duas. *Fermenti veteris* unciam unam. Miſce cum *aceto*. Fiat cataplaſma plantis pedum admovendum, in phrenitide.

℞ *Seminis ſinapi; piperis; euphorbii* ana drachmas duas. Fiat cum *melle* cataplaſma in parte ſinendum, donec ampullæ tumeant.

LINIMENTUM.

℞ *Radic. ariſtolochiæ rotundæ; ireos florentinæ* ana ſemi-drachmam. *Euphorbii* drachmam unam. *Mellis roſati* q. ſ. Pro linimento ad cariem.

UNGUENTUM.

℞ *Pulveris cantharidum* drachmas duas. *Euphorbii* & *terebinthinæ* ana drachmam unam. Miſce, fiat unguentum.

℞ *Aluminis uſti; mercurii præcipitati albi; viridis æris* & *nitri* ana unciam unam. Miſce. Fiat unguentum cum *ovi albuminis* q. ſ. Ad ulcera.

℞ *Aluminis uſti; præcipitati rubri; ſabinæ* ana ſemi-drachmam. *Unguenti baſiliconis* drachmas duas. Fiat unguentum cum *ovi vitelli* q. ſ. Ad verrucas.

℞ *Pulveris vitrioli cærulei* q. ſ. Miſce cum *ovi vitello* ad unguenti conſiſtentiam. Anthraci dicatur, cujus dein eſcharæ delapſus unguento baſilicone promovetur.

EMPLASTRUM.

℞ *Fermenti piſtorum acerrimi* quantùm vis. Agita in mortario cum *aceti optimi* q. ſ. ad unguenti conſiſtentiam. Adde *pulveris cantharidum* quantùm

excipi poteſt. Fiat ex arte emplaſtrum ſuper alutam extendendum, & denuò *pulvere cantharidum* inſpergendum.

CATHÆRETICA.

℞ *Picis Burgundiæ* unciam unam. Miſce cum tantillo *olei*, & extendatur ſuper alutam. Addere licet *pulverem ſinapi*, *piperis*, *pyrethri*, &c. Dorſo inter ſcapulas admovetur; & interdùm veſicatorii vices ſupplet.

℞ *Cantharidum* præparatarum unciam ſemis; *ſinapi* drachmas duas; *euphorbii* drachmam unam. In mortario ſubigantur cum *fermento acri* & *melle ſcillitico*, & fiat paſta vel emplaſtrum abſque igne; quod ut efficaciùs agat, priùs *ſcillâ* fricari debet pars ut ruborem contrahat.

PULVIS.

℞ *Præcipitati rubri*; *ſabinæ*; *ochræ* ana quantùm vis. Ex his mixtis inſperguntur verrucæ.

℞ *Mercurii præcipitati rubri*; *aluminis uſti* ana ſemi-drachmam. *Vitrioli uſti* drachm. unam. *Pulveris ariſtolochiæ rotundæ*; *ireos florentinæ* ana drachm. duas. Miſce pro carnibus fungoſis.

℞ *Pulveris ochræ*, *ſabinæ*, *ireos florentinæ*, & *aluminis uſti* ana drachmam unam. Miſce, fiat pulvis ad hyperſarcoſes.

COMMENTARIA.

(1.) THYMELEA foliis lini, C. B. pin. *Garou.*

Notiſſima eſt hujuſce ſtirpis vis veſicans & cathæretica. Immittitur radicis fruſtulum in vulnus trans lobos aurium inflictum, ut inibi excitetur ſuppuratio, non ſecùs ac à ſetaceo: in eumdem ſcopum ejuſdem fruticis cortex, veſicatorii inſtar, ponè aures admovetur. Utroque præſidio, apud agricolas familiariſſimo, cicurantur ophthalmiæ contumaciores; atque etiam præcaveri vel depelli ſolent variæ fluxiones ſtipato agmine caput obſidentes.

(2.) *Dentellaria*, Rondelet *(Dentelaire)*. Plumbago quorumdam, Cluſii.

Inter cathæretica jure recenſetur hæc herba; ſed vix uſurpatur; niſi fortè præbeatur radix, pyrethri inſtar, maſticanda ad dolorem dentium, undè nomen mutuari videtur. A nonnullis tamen laudatur ad cancrum mammarum; ad quod opus infunduntur radix & folia in oleo olivarum, quo debitè imprægnato pluries illinitur pars affecta. *Vide* Acta Academ. Regiæ Scientiarum anni 1739.

(3.) *Sinapi* rapi folio; C. B. pin. (*Moutarde*).

Semen ſapore acri & fervido, pro ciborum condimento ſub ſpecie embammatis apprimè notum, raròin uſum medicum internum venit; licèt, nemine diſcrepante, vi aperiente & diureticâ gaudeat. Sed latiſſimus eſt ejus uſus externus: etenim in pulverem redactum pro ſternutatorio exquiſitiſſimo habetur. Nodulo incluſus prædictus pulvis & manſus copio-

ſiorem ſalivæ fluxum promovet; haud ſine levamine eorum qui fluxionibus capitis conflictantur, vel affectibus ſoporoſis impediuntur. Cæterùm ſi melle vel pulpâ caricarum excipiatur & cuti admoveatur, veſicatorii mitioris vices gerit, & eamdem ferè opem confert ſub nomine ſinapiſmi, qui neſcio quod fato jam fermè apud noſtrates exolevit. CATHÆRETICA.

(4.) *Euphorbium* eſt gummi reſinoſum flaveſcens & inodorum, ſapore acerrimo & quaſi exurente, ſponte vel arte, fluens è plantâ quâdam africanâ, vel orientali & cognomine, tithymalorum inſtar lacteâ, quæ cerei quadrangularis & ſpinoſi effigiem præ ſe fert. Cautè intùs exhiberi debet; nec niſi præviâ diſſolutione in vino albo; quæ trajecta evaporationi committitur. Pro validiore & draſtico hydragogo, quo nonnunquàm exulcerantur inteſtina, habetur euphorbium; quod vix, etiam in urgentiori caſu apoplexiâ nempè indomabili, præſcribere licet à granis duobus ad octo: aliàs hoc remedium nigro lapillo notandum eſſe cenſemus. Imò nec tutò ſternutatorii inſtar adhibetur. Sed tanquàm cathæreticum eximium oſſium cariei & nervis vulneratis quaſi dicatur. Ab ejus acceſſu acuuntur veſicantium ſolitorum vires: enemata demùm antiapoplectica, quibus ab ſcrupulo uno ad ſemi-drachmam immiſcetur, magis ſtimulantia evadunt.

(5) *Cantharides* (*Mouches cantharides*), inſecta audiunt alata vaginipennia, coloris lucentis, aurei & ſubviridis, ſaporis acris & erodentis, odoris fœtidi; quæ occurrunt in Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, aliiſque regionibus calidis, ſuper fraxino, liguſtro, populo albâ, &c. inter veſicantia uſitatiora primatum ducunt: ſcitur enim earum recentium pulverem cum ficuum pulpâ, vel piſtorum fermento ſubactum, ſub formâ emplaſtri vel cataplaſmatis admoveri ponè aures, occipiti, ſcapulis, cruribus, tibiis, &c. Egregiamque opem conferre illud topicum in variis capitis fluxionibus vel infarctibus; ſopitos ſpiritus exſuſcitare; deleterium febrium mali moris versùs cutem revellere; delirio demùm, lethargo, aliiſque morbis congeneribus ſæpiùs mederi. Illud reticere minime debemus quòd moleculæ cantharidum acriores trans cutis porulos ingreſſum ſæpiùs ſibi parent in vaſa ſanguinea; cur fit ut renes, veſicam & genitalia haud rarò afficiant; ſtranguriam, mictum cruentum, vel ſatyriaſim inducendo: quibus ſymptomatibus occurrunt lac, ſerum lactis, emulſiones, aliaque id genus. È quibus colligere datur periculoſum eſſe cantharidum uſum internum; quod exemplo probatur tot ganeonum, qui nefandâ libidine exhauſti, ad illud veneris ſtimulum confugiunt. Præclarum tamen diureticum præbent cantharides dummodò opportunè, & debitâ cautelâ, exhibeantur; horum enim præſidio varii hydropici, jàm cogitantes de exequiis, incolumes evaſerunt: cur minime mirum ſi iſchuriæ pertinaciores omnibus auxiliis obſurdeſcentes, huicce cautè adhibito victas nonnunquàm præbuerint manus. Doſis hujuſce pulveris à quartâ parte grani ad granum ſemis, imò & ad integrum accedit; tùm in emulſione, tùm in oleo amyg-

dalarum dulcium, cui nonnulli addunt camphoram: ſed hocce medicamen acerrimum juſculis vel ptiſanis demulcentibus temperari debet.

Cathæretica.

(6) *Balſamum viride* Metenſium paratur è viridis æris & vitrioli albi digeſtione in terebenthinâ, oleo lini, olivarum & laurino; quibus adduntur aloë, atque olea caryophyllorum & baccarum juniperi. Egregium eſt detergens & cathæreticum quod familiariſſimè uſurpatur in ulcerum cujusvis indolis curatione.

(7) *Emplaſtrum epiſpaſticum*, miſsâ etymologiâ, è pice, cerâ & terebinthinâ conflatur; quibus liquatis admiſcentur euphorbium & cantharides. Rectiùs diceretur emplaſtrum veſicatorium, ni eſſet diſtinguendum ab alio cognomine quod ex tempore conficitur è fermento piſtorum, aceto & cantharidibus. Utrumque non ſecùs ac alia veſicantia, in affectibus ſoporoſis opitulatur; conducit in febribus mali moris, & ſummam opem præſtat in variis capitis fluxionibus.

(8.) *Trochiſci de minio* conficiuntur ex hâcce plumbi calce, mercurio ſublimato corroſivo, & pulvere micæ panis: quæ omnia in aquâ roſarum ſubacta in paſtam rediguntur. Inter cathæretica & eſcharotica præſtantiora recenſentur; & ideò familiari uſu adhibentur ad abſumendas ulcerum occalleſcentias, vel luxuriantes carnes; ad dilatandas fiſtulas, rumpendos abſceſſus, &c.

(9.) *Sparadrapum eſcharoticum* paucis innoteſcit; licèt egregiè ſe gerat, ac ſine morſu, in ulcerum medelâ. Conſtat illud topicum è duodecim granis ſublimati corroſivi, granis octo opii, & drachmâ unâ croci: quæ omnia ritè mixta & ſ. q. gummi tragacanthi excepta extenduntur ſuprà papyrum, vel telam uſu contritam; è quibus pro lubitu reſecantur partes cujuſvis formæ & magnitudinis carnibus depaſcendis admovendæ.

(10) *Aqua mercurialis* vel *benedicta eſcharotica* eſt mercurii crudi diſſolutio in ſpiritu nitri. Inter cathæretica uſitatiora recenſetur, & fauſtè uſurpatur adversùs luxuriantes ulcerum carnes, quæ brevi exeduntur vel extirpantur. Si ipſi addatur aqua communis ad octuplam quantitatem, mitior evadit, tardiúſque ſua exequitur munia. Nonnulli aquam mercurialem ſic temperatam intùs exhibent ex ptiſanâ; eâ proportione ut ſit ſemi-drachma vel drachma integra prædictæ aquæ pro ptiſanæ libris duabus; quod ſervatis ſervandis, tutò fieri poſſe crediderim.

(11.) *Aqua phagedænica* nuncupatur ſolutio ſublimati corroſivi in aquâ calcis; adeò ut ſit ſublimati ſcrupulus unus vel ſemi-drachma, pro librâ aquæ. Parùm differt ratione virium ab aquâ mercuriali, & ſimili ratione uſurpatur.

(12.) *Butyrum antimonii* eſt liquidum ſpiſſum quod è reguli antimonii, & ſublimati corroſivi diſtillatione prodit. Cathæreticum eſt uſitatiſſimum, tum ad auferendas carnes ſuperfluas, tùm ad exedendas ulcerum occalleſcentias: expeditè agit cum levi irritamento. Ex hujuſce butyri diſſolutione in aquâ tepidâ parari pulverem algaroth, jàm ſuprà notavimus.

Cathæretica.

(13.) *Præcipitatus albus* eſt ipſemet hydrargyrus in ſpiritu nitri ſolutus, qui ope aquæ ſalſæ, præceps delabitur ſub facie pulveris albicantis. Cathæreticorum claſſem ſubit; nec ipſis denegatur locus in detergentium & exſiccantium tractu. Egregiè præſertim confert in ulceribus venereis; nec minùs deprædicatur adversùs herpetem, aliaſque cutis defœdationes. Miſcetur à drachmis duabus ad ſemi-unciam cum pomari jaſmini, vel unguenti roſacei unciis duabus. Nonnulli præcipitatum album intùs exhibent tanquàm depurans, incidens & antivenereum: ſed haud deſunt aliæ & notiſſimæ mercurii præparationes; quæ cum minori ſanè periculo eamdem opem conferre valent.

(14) *Præcipitatus ruber* ex eâdem mercurii in ſpiritu nitri diſſolutione, evaporationi commiſsâ, ac demùm calcinatâ emergit. Prioris vires cathæreticas ſuperat, & feliciùs uſurpatur in ulcerum diuturniorum medelâ; imò & à quibuſdam proponitur adversùs ulcera cancroſa. Additur à drachmâ unâ ad duas, cuique unguenti digeſtivi unciæ; vel ulcus hoc pulvere inſpergitur. Haud deſunt, qui præcipitatum rubrum intùs etiam exhibent, tanquàm eximium antivenereum; ſed à potiori clinicorum parte vetatur ejus uſus internus. Cæteros præcipitatos, quibus ad meram oſtentationem turgent chymicorum volumina, conſultò miſſos facimus.

(15) *Sublimatus corroſivus* eſt ſal acerrimum, quod è vitriolo & ſale marino, cum ſolutione mercurii in ſpiritu nitri ad ſiccitatem perductâ, mixtis proceſſu notiſſimo exſurgit. Validiſſimum audit eſcharoticum, quod non modò adhibetur in ulcerum medicatione; ſed etiam adversùs verrucas, alioſque tumores ſolitis præſidiis obſurdeſcentes. Non ſecùs ac arſenicum, ſternutationem violentam promovet, in caſu etiam urgentiori excitandam. È ſublimato corroſivo parari aquam Fernelii & phagedænicam, jàm ſuprà inculcavimus. Sunt qui in luis venereæ curatione hancce cauſticam materiam, in ſpiritu frumenti rectificato ſolutam, intùs exhibere audent, annuentibus clariſſimis viris Boerhaavio & wan Swieten, ad doſim quartæ partis grani per vices exhibendam, intrà diei curriculum in potu demulcente copioſiori; quod per viginti quinque vel triginta dies protelatur: tutiùs hydrargyro nativo adhiberi hoc remedium aſſerit laudatus wan Swieten; non ſolùm in lue venereâ, ſed etiam ſub variis aliis morbis chronicis & pertinaciſſimis: eâ ſaltem lege ut in ſingulis unciis ſpiritûs frumenti hæreat dimidium ſublimati granum; cujus ſolutionis doſis ad drachmam unam vel alteram accedit; ſuperbibendo largum hauſtum decocti hordei, aliumve demulcentem. Nulli dubitamus quin hoc remedium ſolerti manu tractatum fauſtè ſuccedere valeat; ſed nùm citrà periculum illud publici juris facere liceat? ſolertioribus falli & fallere neſciis, ſalvo ſecùs ſentientium judicio, examinandum relinquimus.

(16) *Lapis cauſticus* (*Pierre à cautere*), eſt concretum ſalinum ſummè eſcharoticum, quod proceſſu chymico prodit è calce & cineribus cla-

Cathæretica.

vellatis. In latiſſimum uſum venit non ſolùm ad excitandos fonticulos & aperiendos abſceſſus; ſed etiam ad auferendas luxuriantes & occalleſcentes ulcerum carnes; ſuppurationem juvando. Per tranſennam addere liceat, *cineres clavellatos*, (*cendres gravelées*), quibus opus eſt ad confectionem prædicti lapidis, nil aliud eſſe quàm fæces vini poſt præviam exſiccationem calcinatas.

(17) *Lapis infernalis* è ſolutione argenti in ſpiritu nitri, evaporatione in cryſtallos conversâ, ac demùm in crucibulo fusâ & ab igne remotâ, concreſcit. Facillimè, non ſecùs ac lapis cauſticus, etiam in aëre humidiori ſolvitur illud concretum ſalinum; quod cætera cauſtica longè antecellit. Solo enim attactu actionem ſuam exerit, quæ ideò in ulcerum curatione faciliùs dirigitur.

ANTISEPTICA vel ANTIPUTRIDA.

Neminem fermè latet alterutro nomine inſigniri medicamina externa, quorum ſeriem producit hæc claſſis, proſpicientia imminenti vel confirmatæ putredini, quæ fœtore, ſordibus & pure ichoroſo quibus conſpurcantur ulcera in propatulum venit. Sub eodem titulo etiam comprehenduntur ea topica, quæ gangrænæ, colore fuſco, imminutis ſenſu & calore; necnon doloris ſine causâ manifeſtâ ſubitaneâ obſcuratione vel ceſſatione, cuivis parti conſpicuæ ſuppetias ferunt: quæ ideò impediunt quominùs latiùs ſerpat; ac ſphacelum ſeu ſiderationem ab omni medelâ alienam, vel partis verum interitum præcavere queunt. Eorum diverſus eſt agendi modus, cùm haud ſint ejuſdem indolis: alia enim ſunt amara, alia aromatica, balſamica, ſalina, &c. Ideò ſelectu opus eſt; & pro re natâ, hæc vel illa uſurpari debent; ut curantium & ægrorum vota expleri queant. Eamdem opem etiam nonnunquàm præſtant antiphlogiſtica, exſiccantia, cathæretica, aliaque è diverſis claſſibus eruenda; quæ opportunè adhibita antiſepticorum vices ſupplent. Sed nil magis confert ad gangrænam cohibendam quàm ſcarificationes, quæ cæteris præſidiis, nemine reluctante, palmam præripiunt: nec timido greſſu incedendum, ubi imminet vel ſe prodit ſphacelus, parte calore orbatâ, cùm ſæpiùs periculum ſit in morâ. Parùm etiam conducunt topica antiſeptica, ſi gangræna à causâ internâ oriatur; vel planè extinctus fuerit calor nativus. Jure poſtremò deprædicantur in vulneribus ſclopeto inflictis, vel quovis alio modo contuſis; in variis ambuſtionibus; in eryſipelate mali moris, vel phlyctænis ſtipato, in abſceſſu virulento, &c.

ANTIPUTRIDA.

EMPORETICA.

RADICES ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, ireos florentinæ ([1]). Cyperus. Zedoaria. Calamus aromaticus.

Folia ſcordii ([2]), alliariæ, chamæpityos, rutæ, abrotani, abſinthii, meliſſæ, menthæ, ſalviæ, roriſmarini, millefolii, hyſſopi, chamæmeli.

Flores aurantiorum, lavandulæ, roriſmarini, hyperici, roſæ rubræ... Semina aniſi, feniculi. Cortex aurantiorum.... Caryophylli. Cinnamomum. Cortex peruvianus.... Balſama naturalia. Vinum generoſum.... Styrax. Aloë. Myrrha ([3]). Camphora.... Sal marinum, ammoniacum; nitrum.... Nix & glacies; adversùs gangrænam à frigore.

OFFICINALIA.

AQUA vitæ camphorata; aqua vulneraria. Spiritus vini ſimplex & camphoratus ([4]).... Balſamum Commendatoris, Fioraventi. Oleum hyperici.... Tinctura myrrhæ ([5]), aloës ([6]), caryophyllorum. Theriaca.... Unguentum ægyptiacum, de ſtyrace ([7]).... Spiritus ſalis ([8]), ſulphuris, ſalis ammoniaci. Eſſentia Rabel.... Oleum cinnamomi, terebinthinæ ([9]).... Oleum myrrhæ per deliquium ([10]). Oleum camphoræ ([11]).

ANTIPU-TRIDA.

MAGISTRALIA.

LOTIO.

℞ *Foliorum abſinthii* manip. duos. Coque in *aquæ marinæ* q. ſ. Ad gangrænam.

℞ *Aceti optimi* & *vini generoſi* ana libram unam; *ſalis ammoniaci* uncias duas; *aquæ* libram unam. Miſce ad lotionem.

℞ *Aceti dracunculi hortenſis* uncias ſex; *aceti roſacei* uncias duas; *ſpiritûs vini theriacalis* uncias quatuor; *ſalis marini* unciam unam; *decocti hordei* uncias duodecim; accuratè miſceantur ad uſum. Hanc lotionem proponit BOERHAAVIUS tanquàm præſentiſſimum adversùs gangrænam remedium.

FOTUS.

℞ *Kinækinæ* uncias duas. Coque in *aquæ* libris duabus. Adde *ſpiritûs ſulphuris* unciam ſemis. Pro fotu.

℞ *Aquæ calcis*; *ſpiritûs vini camphorati* ana uncias quatuor. *Salis ammoniaci* drachmas duas. Miſce.

℞ *Aquæ calcis* libram unam. *Aquæ vitæ camphoratæ* ſemi-libram. *Spiritûs ſalis ammoniaci* ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Vini albi* uncias ſex. *Aquæ florum ſambuci* ſemi-libram. *Aceti ſambucini* uncias duas. *Salis ammoniaci* drachm. duas. Miſce.

℞ *Lixivii cinerum ſarmentorum*; vel *aquæ calcis* libras duas. *Summitatum abſinthii*; *ſcordii* & *roriſmarini* ana manipul. unum. Coque ex arte; colaturæ adde *tincturæ myrrhæ* & *aloës* ana uncias duas. Miſce.

℞ *Foliorum ſcordii*, *abſinthii*, *abrotani* & *rutæ* ana manip. duos. *Florum chamæmeli* manip. unum. Coque in aq. q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſpiritûs theriacalis* uncias quatuor. *Saponis veneti* uncias duas. *Salis gemmæ* unciam ſemis. Pro fotu.

℞ *Globuli martialis* uncias duas. *Salis ammoniaci* unciam unam. Diſſolve in aquæ libris quatuor. Adde *ſpiritûs vini rectificati* libram unam. Pro fotu.

CATAPLASMA.

℞ *Micæ panis albi inveterati* libras duas; *folior. ſcordii* & *rutæ* ana unciam unam & ſemis; *foliorum abſinthii* unciam unam. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, cum *vino albo* miſcendus in formam cataplaſmatis; quod tepidè admovetur adversùs gangrænam.

℞ *Radicum ariſtolochiæ rotundæ* uncias duas. *Folior. ſcordii* & *abſinthii* ana

ana manipulum unum. *Summitatum hyperici* manipulum ſemis. *Farinæ fabarum* uncias quatuor. Coque ex arte ad cataplaſma; cui addere licet tantillum *ſpiritûs vini camphorati.*

ANTIPUTRIDA.

℞ *Radicum angelicæ* & *ariſtolochiæ rotundæ* ana uncias tres. *Summitatum ſcordii, rutæ* & *centaurii minoris* ana manipulos quatuor. Coque in aq. q. ſ. ad cataplaſma. Cui adde *farinæ ſeminum lupini; theriacæ* ana ſemi-unciam.

℞ *Foliorum abſinthii* & *ſcordii* ana manipulum unum. *Florum hyperici* & *centaurii minoris* ana manipulum ſemis. Coque in aq. q. ſ. ad putrilaginem. Pulpæ trajectæ adde *pulveris baccarum juniperi* ſemi-unciam. *Myrrhæ* & *aloës* ana drachmas duas. *Olei terebinthinæ* ſemi-unciam. *Olei hyperici* q. ſ.

LINIMENTUM.

℞ *Olei terebinthinæ; ſaponis nigri* ana ſemi-unciam. Miſce ex arte.

℞ *Medullæ bovis* uncias tres. *Camphoræ* grana decem. *Olei cinnamomi* drachm. duas. Miſce.

COMMENTARIA.

(1.) IRIS ALBA FLORENTINA, C. B. pin. (*Iris de Florence*).

Radix ſicca, ſapore acuto cum levi amaritie, violæ odorem gratiſſimum ſpirans, cujus ratione vulgò recipitur in ſacculis odoriferis; inter cathartica numeratur; carminantium ſeriem ſubit; obſtructiones reſerat; menſes, & urinam cui gratum odorem impertitur, movet: pectori etiam dicatur; ardorem ſcilicèt pulmonum compeſcit; expectorationem juvat & aſthmaticis ſuccurrit: ſed præcipuè congruit infantibus quorum alvum ſolvit; tormina ſedat; pavores nocturnos fugat; & difficili reſpirationi auxiliatur: ipſis exhibetur in ſubſtantiâ à granis duobus ad decem & ultrà. Pro adultis verò præſcribitur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſcrupulos duos; & in infuſo vinoſo à ſemi-drachmâ ad drachmam unam & ſemis. Quoad uſum externum, ejus pulvis inter exſiccantia, vel mitiora cathæretica & antiputrida recenſetur, cujus beneficio abſumitur ſeroſa vetuſtorum ulcerum colluvies: exeduntur luxuriantes carnes & putredo præcavetur: ſed multis præcipuè effertur laudibus in oſſium carie. Cæterùm ſæpiùs pro ſternutatorio uſurpatur; nec vi ſialagogâ deſtituitur.

(2.) *Scordium*, J. B. Chamædrys vulgaris caneſcens, ſeu Scordium officinarum, Inſt. r. herb.

Hæc planta allium redolens & ſapore amaro, diaphoreticorum & alexiteriorum claſſem ingreditur; nec ipſi denegatur locus in ſerie anthelminticorum. Ideò conducit in febribus mali moris; & præſertìm in variolis: laudatur in arthritide; nec inutilem opem præſtat phthiſicis, tùm

ANTIPUTRIDA.

ſputa promovendo, tùm ulteriorem pulmonum corruptelam amovendo. Datur in ſubſtantiâ, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam; in decocto verò, vel infuſo ad manipulum ſemis pro quâcumque librâ. Crebriùs fortè in uſum externum vocatur ſcordium, quod inter detergentia & vulneraria recenſetur; atque pro antiputrido eximio ab omnibus clinicis habetur; ideò felici ſucceſſu ad imminentem, vel jam patefactam, gangrænam uſurpatur.

(3.) *Myrrha* eſt gummi reſinoſum, colore ſubrubro vel ferrugineo, odore ingrato, ſapore acri & amaricante, quod ſponte fluere dicitur ex arbore quâdam arabicâ vel africanâ, cujus genus planè ignoratur. Inter analeptica & ſtomachica numeratur: in aperientium & diureticorum ordine collocatur: vulnerariorum & antiſepticorum ſeriem ſubit: antihyſtericorum, & menſes moventium gradum conſequitur; nec ipſi denegatur virtus febrifuga, etiam adversùs quartanam. Ideò felici ſucceſſu exhibetur ad refocillandum ſtomachum ſenio confectorum; vel morbis, labore & vigiliis exhauſtorum: ſummè laudatur in exulcerationibus internis: diuturniori demùm tuſſi laborantibus, ac aſthmaticis opitulatur; dummodò tamen ſincera & non adulterata adhibeatur; quod ſanè haud latet expertos. Doſis formâ ſolidâ à granis ſex ad ſcrupulum unum accedit. Elixirium proprietatis vires mutuari à myrrhâ, jam ſuprà notavimus. Quod uſum externum ſpectat; inter vulneraria & detergentia haud infimum locum occupat: ſed ſummè deprædicatur ad arcendam putredinem; atque præſentiſſimum audit remedium adversùs oſſium cariem: in hunc poſtremum ſcopum feliciùs admovetur oleum per deliquium, de quo infrà.

(4.) *Spiritus vini camphoratus* nil aliud eſt quàm camphoræ ad unciam unam diſſolutio in ſpiritûs vini rectificati libris duabus. In familiariſſimum uſum venit, tàm ad arcendam putredinem, quàm ad oppugnandam gangrænam; & vi ſedante gaudet. Ideò prodeſt in odontalgiâ, ſi ope lini carpti denti carioſo imponatur. Haud abs re erit addere, quod majorem camphoræ copiam in ſpiritu vini diſſolvere liceat; cùm prædicti liquoris uncia una totidem camphoræ excipiat.

(5.) *Tinctura myrrhæ*, in ulcerum medelâ uſitatiſſima, paratur hujuſce reſinæ digeſtione per plures dies in ſpiritu vini, balneo arenæ. Pro detergente eximio habetur; nec minùs celebratur ad corrigendam carnium putredinem, oſſiumque cariem cohibendam: nec vi reſolvente deſtituitur; cujus ratione adversùs tumores skirrhoſos, imò & ſcrophuloſos à pluribus haud inferioris notæ commendatur.

(6.) *Tinctura aloës* etiam perficitur ſimpliciſſimâ aliquot dierum digeſtione in ſpiritu vini; donec colorem rubrum induat, vel ſaturatus evadat. Singulas aloës proprietates retinet hæc tinctura; licèt raro intùs exhibeatur: ſed inter traumatica & detergentia externa jure recenſetur; atque in antiputridorum exquiſitiorum ſerie locum obtinet: nec improſperè ſub hoc multiplici conſpectu extùs adhibetur; cum cautelâ tamen uſurpari debet, ſi alvus ſit ſoluta, cùm ſæpiùs catharſim moveat; rectè monente clariſſ. TISSOT.

(7.) *Unguentum de ſtyrace* ex oleo nucum, colophoniâ, gummi elemi & cerâ, quibus liquatis additur ſtyrax liquida, conflatum; antiputridorum uſitatiorum ordini adſcribitur: vi inſuper detergente pollet; nec ipſi denegatur locus in reſolventium numero. Tumoribus ſkirrhoſis nonnunquàm admovetur; ſed ulceribus ſcorbuticis præſertim dicatur.

ANTIPUDRIDA.

(8.) *Spiritus ſalis communis*, qui juxtà diverſum proceſſum diſtillatione elicitur; non niſi edulcatus intùs exhiberi debet; ſed tutiſſimus eſt ejus uſus externus. Egregium enim eſt exſiccans & cathæreticum pro ulceribus externis inveteratis: putredini & gangrænæ reſiſtit; ac fauſtè uſurpatur in anginâ gangrænosâ, non secùs ac in oris ulceribus, tùm venereis, tùm ſcorbuticis. Summè etiam deprædicatur adversùs cariem oſſium, quorum exfoliationem promovet. Cæterùm laudatur à ſolertiſſ. Pott, pro reſolvendis tophis arthriticis; ad quod opus ipſi additur, ut altiùs penetret, oleum terebinthinæ: ſed ægrè miſceri prædictos liquores, ni ſpiritus ſalis ritè ab omni phlegmate orbetur, monet præclarus Author.

(9.) *Oleum* vel *ſpiritus terebinthinæ*, ex hocce balſamo & aquâ communi, ſimul collectis, ſimpliciſſimâ diſtillatione, educitur. Ad utrumque ſervatur: intùs enim exhibetur tanquàm vulnerarium eximium, & diureticum præſtantiſſimum, à guttis ſex ad duodecim in quâvis conſervâ vel vehiculo congruo. Haud tamen innocuum eſt illud remedium; cùm ſæpiùs æquè ac terebinthina, caput afficiat, atque ſeminis vel urinæ fluxum immodicum provocet. Extùs adhibendum, principem inter vulneraria locum obtinet; antiputridorum claſſem ingreditur; nec ipſi denegatur locus in ſerie reſolventium: puncturæ præſertim nervorum & tendinum dicatur: ac nonnunquàm fauſtè admovetur tumoribus ſkirrhoſis & œdematoſis. His addere juvat quod à ſolutione drachmarum duarum camphoræ in olei terebinthinæ ſemi-librâ, egregium paretur topicum contra dolores rheumaticos.

(10.) *Oleum myrrhæ per deliquium* eſt liquor ſtillans in loco humido è myrrhâ in ovo ad duritiem cocto, exempto vitello, inclusâ. Inter detergentia recenſetur; & antiputridorum gradum conſequitur: ideò conducit in herpete; confert in aphthis infantum os infeſtantibus: ultimò tanquàm coſmeticum celebratur; atque pro delendis faciei maculis ſæpiſſimè uſurpatur.

(11.) *Oleum camphoræ* è ſolutione hujuſce reſinæ in ſpiritu nitri, cui ſupernatat, elicitur. Pro detergente & cathæretico exquiſitiori habetur; & antiputridorum ſeriem ſubit. Oſſium, cartilaginum, tendinum & ligamentorum exfoliationi egregiè favet: luxuriantes ulcerum carnes depaſcitur: confert in odontalgiâ, admotum ſcilicèt denti carioſo: verrucas demùm, aliaque id genus tubercula abſumit.

SECTIO II.

DE MEDICAMINIBUS
quæ ad nonnullas partes pertinent, vel ipſis admoveri ſolent.

CAPITI ET FACIEI DICATA.

Hancce claſſem ſubeunt varia topica, alterutri parti imponenda; tàm ad reſolvendas fluxiones, ſedandos dolores, delirium fugandum & ſpiritus exſuſcitandos, quàm ad perſanandas varias cutis capillaceæ, & faciei læſiones, aut defœdationes: raro enim ad faciei nitorem uſurpantur *coſmetica*. Neminem latet ſalviam, furfur, ſaccharum, ſuccinum, olibanum, &c. præbere materiam ſuffituum uſitatiorum in variis capitis defluxionibus; emplaſtrum veſicatorium, thymeleam, aliaque cathæretica ponè aures, vel occipiti admota, eamdem opem præſtare. Scitur quantùm conferant ad impeditas cerebri functiones irrigatio ab alto ex aquis bellilucanis, aliiſque thermalibus; & applicatio animalium viventium ſectorum; nec fortè iners eſt emplaſtrum de betonicâ; etſi exolevit, &c. Varia è præcedentibus tabulis eruenda conſultò prætermittimus; nec inhæremus variis anilibus remediis, ad inſulſum popellum amandandis; ut ea duntaxàt exhibeamus, quæ juxtà ſolertiorum placita congruunt humorum affluxui, doloribus & affectibus comatoſis; quæ pediculis adverſantur; ac tineæ & achoribus medentur; quæ demùm coſmeticorum inſtar, adversùs maculas, puſtulas, alioſque cutis faciei morbos uſurpantur. Nec licet, uti pluriès inculcavimus, omnia in hâcce tabulâ exarata indiſcriminatim adhibere; ſelectu enim, de quo in commentariis, opus eſſe nemini haud obvium.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Capiti dicata.

E*x resolventibus* & *roborantibus* recenſentur ſalvia. Furfur. Saccharum.... Succinum (1), olibanum (2) ad ſuffitum.... Columbæ, catelli, cæteraque animalia viventia ſecta.... Aquæ Bellilucanæ, aliæque thermales pro embrocatione vel irrigatione ab alto.... Emplaſtrum de betonicâ (3). *Sedantium* ſeriem ſubeunt aqua frigidiſſima. Acetum... Verbena (4), ſedum majus (5)..... Camphora. Nitrum. Sal marinum.... Æther vitriolicum (6). Ad *odontalgicorum* gradum provehuntur tacamahaca (7). Maſtiche. Olibanum.... Limaces contuſi (8).... Opium. Oleum hyoſcyami.... Emplaſtrum odontalgicum (9). Adversùs *pediculos* adhibentur ſemen ſtaphiſagriæ. Cevadilla.... Aloë. *Tineæ* dicantur beta; fumaria; lapathum; veronica.... Butyrum. Oleum amygdalinum.... Pix. Sulphur. Viride æris.... Præcipitatus albus & ruber. Inter *coſmetica* numerantur ſuccus limonum. Omphacium..... Aqua florum ſambuci. Aqua calcis. Spiritus vini camphoratus.... Mucilagines. Oleum amygdalarum dulcium.... Sperma ceti. Os ſepiæ (10).... Sulphur. Alumen. Talcum. Ceruſſa. Lithargyrus... Cerata varia. Pomatum album (11), rubrum (12).... Sal, & acetum ſaturni (13)... Oleum tartari per deliquium. Oleum myrrhæ.

M A G I S T R A L I A.

F R O N T A L E.

℞ O*vi albumen*; & agita cum aquæ & aceti roſacei q. ſ.; ac ſtupis cannabinis excipiatur. Fronti admovetur, ad ſomnum conciliandum.

℞ *Boli armenæ* drachmas duas. *Lapidis hæmatites* & *maſtiches* ana drachmam unam. Conquaſſentur cum ſ. q. ovi albuminis, & fronti applicentur.

CATAPLASMA AD APOPLEXIAM.

℞ *Radicum recentium bryoniæ* uncias tres. *Seminis ſinapi pulverati; ſaponis nigri* ana unciam unam. *Cantharidum* drachmas ſex. Contuſis & mixtis adde *aceti optimi* quantùm ſufficit ad cataplaſma capiti raſo imponendum.

C A T A P L A S M A S E D A N S.

℞ *Roſarum rubrarum* minutim ſciſſarum ſcrupulos quatuor. *Seminum*

CAPITI DICATA.

papaveris albi contuſorum. *Olei roſati* ana unciam ſemis. *Farinæ hordei* unciam unam. *Aceti* q. ſ. Contundendo miſce; & fronti tepidè admoveatur. Ad dolorem capitis pulſatilem.

EPITHEMA SEDANS.

℞ *Aceti roſacei* uncias duas. *Spiritûs vini camphorati* unciam unam. Miſce, fiat epithema, ſincipiti cum linteaminibus tepidè admovendum. Pro cephalalgiâ.

℞ *Aquæ nymphææ* libram unam. *Salis prunellæ* unciam unam. *Camphoræ* in ſpiritu vini ſolutæ, ſcrupulos duos. Miſce; & cum linteis complicatis calidè ſincipiti imponatur. Ad maniam & phrenitidem.

EMPLASTRUM ODONTALGICUM.

℞ *Maſtiches*; vel *tacamahacæ* q. ſ. Ad emplaſtrum, ſemi-pollicem, & ultrà, latum. Adde in medio *opium*, à granis duobus ad quatuor; & *olei ſuccini* guttas quatuor. Tempori admoveatur.

LINIMENTUM AD TINEAM.

℞ *Olei tartari per deliquium* drachmas tres. *Olei amygdalarum dulcium* quantum ſufficit. *Olei ſpicæ* ſcrupulum unum. Miſce pro linimento.

℞ *Axungiæ ſuillæ inſulſæ* uncias quatuor. *Mercurii præcipitati rubri* unciam unam. Miſce pro linimento.

℞ *Olei nucum* uncias tres *Butyri recentis* uncias duas. *Sulphuris vivi* ſemi-unciam. *Piperis* & *pyrethri* ana drachmam unam. *Salis gemmæ* drachmas duas. Bulliant per horæ quadrantem; & colaturæ adde *fuliginis ſplendentis* q. ſ. Ad unguenti conſiſtentiam.

EMPLASTRUM AD TINEAM.

℞ *Picis navalis* q. ſ. Lique igne lento, & immergantur lintei, calidè parti affectæ admovendi, & poſt nonnullas horas avellendi.

℞ *Picis navalis* libram unam. *Æruginis* drachmas duas. *Florum ſulphuris*; *axungiæ ſuillæ* ana unciam unam. Leviter bulliant, ſemper agitando; fiatque ex arte emplaſtrum.

MIXTURA COSMETICA.

℞ *Aluminis crudi* uncias quatuor. Coque in aquæ libris tribus, ad duas. Poſteà ℞ *lithargyri* ſemi-libram; bulliat in *aceti* librâ unâ & ſemis; ad libram unam. Colentur & commiſceantur aquæ ut albeſcant & hinc emergat *lac virgineum*, quod lentigines delet; ſerpigines, impetiginesſque ſanat.

℞ *Succi limonum*; *aceti ſaturni* ana drachmam unam. Peractâ miſcellâ ſtatim adhibeantur. Ad guttam roſaceam, affineſque effloreſcentias.

Capiti dicata.

℞ *Aceti ſcillitici* uncias duas. *Succi lapathi acuti*, & *olei tartari* ana drachmas ſex. Miſce pro impetigine faciei.

℞ *Succi limonum* uncias ſex. *Aluminis pulverati* drachmas duas. Coque & deſpuma. Pro guttâ roſaceâ.

℞ *Aquæ lapathi acuti* uncias quatuor. *Boracis* drachmas duas. *Salis communis* drachmam unam. *Aceti ſcillitici* unciam unam. Ad impetigines faciei.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias ſex. *Succi limonum* uncias duas. *Mercurii ſublimati* grana duodecim. *Camphoræ* ſcrupulum unum. Infundantur clausè & calidè per horæ dimidium; & ſervetur colatura pro uſu.

℞ *Aloës* drachmas duas. Diſſolve in *aceto ſcillitico*. Linimenti inſtar uſurpatur adversùs impetigines faciei.

℞ *Lithargyri argentei* pulverati ſemi-unciam. Coque in *aceti* unciis quinque, ad duas. In alio vaſe coque *aluminis* & *ſalis* ana ſemi-unciam in aquæ roſarum ſemi-librâ ad deſpumationem. Liquores miſce pro lotione.

℞ *Camphoræ* drachmas duas. Terantur in mortario ſenſim affundendo *ſucci limonum* unciam unam. Dein adde *vini albi* uncias duodecim: & camphora reſidua, petiâ ligatâ, in vitro ſuſpendatur. Ad faciei maculas.

℞ *Aceti albi optimi* uncias tres. *Succi lapathi acuti* & *cydoniorum* ana drachmas tres. *Lithargyri aurei* libram unam. Coquantur leviter, & diſtillentur.

℞ *Radic. oxylapathi* uncias tres. Sub cineribus coctæ ſubigantur cum *aceto ſcillitico* ad modum linimenti. Cui addere licet *argenti vivi* drachmam ſemis.

POMATUM COSMETICUM.

℞ *Pomati jaſmini* unciam unam. *Ceruſſæ lotæ* drachmas duas. *Spermatis ceti*; *talci* ana drachmam ſemis. Miſce, fiat pomatum cum *mucilagine ſeminum pſyllii*.

℞ *Unguenti diapompholygos* ſemi-unciam. *Aquilæ albæ* drachm. unam. *Aluminis uſti* ſemi-ſcrupulum. Miſce, & cum *oleo roſato* fiat pomatum.

℞ *Radic. oxylapathi* unciam unam. *Radic. gentianæ* ſemi-unciam. Bulliant in aquæ librâ unâ. Expreſſioni adde *axungiæ vituli* uncias duas. Rursùs coque igne lento ad unguenti conſiſtentiam. Laudatur in impetigine.

Capiti dicata.

COMMENTARIA.

(1.) Succinum, vel *Karabe* (*Ambre jaune*), eſt ſubſtantia bituminoſa, dura, ſemi-pellucida & diverſi coloris, utplurimùm tamen flavi, quæ electricitate, vel vi attractili gaudet; ignique impoſita fluit & ardet. Solum ferè Boruſſiæ regnum ſuccino dives eſt: colligitur enim in littore maris baltici; vel effoditur è viſceribus proximioris terræ. Succinum in ſuâ primâ origine liquidum fuiſſe teſtantur varia animalcula, uti muſcæ, araneæ, &c. quæ involuta in eo reperiuntur. Haud intùs exhibetur, ni prævià multiplici lotione, in tenuiſſimum pulverem faciliùs in ſtomacho ſolvendum, redigatur. Inter ſedantia & antiſpaſmodica interna recenſetur; ſeriemque adſtringentium & comprimentium ingreditur. In familiarem uſum venit ſub affectibus hyſtericis; conducit in alvi fluxu & dyſenteriâ; nec inutilem opem praſtat in ſputo cruento, aliiſque ſanguinis profluviis. Præcipi ſolet à granis decem ad ſemi-drachmam, & ultrà, ex ovo ſorbili, juſculo, aliove hauſtu congruo. Ex hâcce reſinâ paratur ſuffumigium, cui ineſt vis anodyna & reſolvens: hinc apprimè congruum cenſetur coryzæ, capitis gravedini, aliiſque fluxionibus: nec minùs deprædicatur ad dolores rheumaticos, iſchiadicos, &c. Sunt demùm qui ope ſuccini, cujus notiſſima eſt electricitas, feſtucas oculis infixas elicere tentant. Proſtant in officinis tinctura, ſyrupus, oleum, ſpiritus, ſal, &c. de quibus ſupra. De *ſuccino albo* parùm aut nihil à flavo diſcrepante nil addimus.

(2.) *Olibanum*, vel *Thus* (*Encens*), cujus fumum gratiſſimum nemo non novit, ſponte, vel arte fluit è quâdam arbore arabicâ, de cujus genere nil certi traditur. Inter vulneraria & detergentia, interna & externa numeratur. Intùs exhibetur ad pulmonum aliorumque viſcerum exulcerationes ab ſcrupulo uno ad drachmam unam. Inſuper à nonnullis laudatur tanquàm diaphoreticum ſpecificum in pleuritide, ad quod opus includitur ad drachmam unam in pomo excavato, quod ſub cineribus coctum deglutiendum exhibetur: iterari poteſt illud remedium poſt ſex vel octo horas, ſi primâ vice haud ritè ſuccedat. Latior eſt olibani uſus externus; præter enim odoramen religioſum, apud omnes ferè gentes, & ab ævo condito acceptiſſimum; adhibetur ſuffitus, ceu reſolvens & roborans in vertigine, coryzâ & ani prolapſu. Emplaſtri inſtar, temporibus admovetur in odontalgiâ: aliàs ad confectionem variorum unguentorum, & emplaſtrorum officinalium ſervatur.

(3.) *Emplaſtrum de betonicâ* præter ſuccum defæcatum betonicæ, recipit folia ejuſdem plantæ, non secùs ac plantaginis, apii, lauri, verbenæ, ſalviæ & ſcrophulariæ; quæ contuſa coquuntur unà cum ſucco, in liquamine picis, ceræ, reſinæ & terebinthinæ; ut poſt debitam defæcationem

cationem addantur elemi, maſtiches & olibanum. Olim celebratiſſimum illud emplaſtrum, ità eviluit ut vix à noſtratibus uſurpetur. Pro roborante, capiti præſertim dicato, habetur, nec vi reſolvente deſtituitur. Capiti dicata.

(4.) *Verbena* communis cœruleo flore, C. B. pin. (*Verveine*).

Parvi ducitur hæc planta à noſtris coætaneis, olim ſupeſtitioſâ veneratione celebratiſſima. Inter vulneraria tamen & adſtringentia interna, vel externa, non infimum locum obtinet; nec vi anodynâ deſtituitur. Datur ad manipulum unum pro ſingulis infuſi vel decocti libris. Cæterùm contuſa nonnunquàm fronti admovetur ad mitigandam cephalalgiam. Proſtat in officinis aqua diſtillata, quæ ſummè deprædicatur ad oculorum fluxiones, phlogoſim & exulcerationem.

(5.) *Sedum majus* vulgare, C. B. pin. (*Joubarbe*).

Extùs duntaxat uſurpatur hæc planta, tanquàm emolliens & anodyna. Ejus ſuccus, vel decoctum, ingreditur gargariſmata ad anginam parata. Folia contuſa & fronti impoſita cephalalgiam leniunt; deliriumque febrile nonnunquàm compeſcunt. Nec inutilem opem præſtant ad emolliendos clavos pedum; ad mitigandos dolores podagricos; imò & ad ambuſtionem.

(6) *Æther vitriolicum* eſt oleum fragrantiſſimum & ſummè volatile; quod licèt tactu frigidiſſimum, flammam facilè concipit, & camphoræ inſtar in ipsâmet aquâ retinet. Diſtillatione educitur, proceſſu hodie notiſſimo, è miſcellâ ſpiritûs vini & olei vitrioli. Hic liquor à Frobenio detectus, quem in chymicorum memoriam revocavit Hoffmannus, vi anodynâ & antiſpaſmodicâ gaudet: ideò conducit in cardialgiâ, & colico dolore: ſingultui medetur: valet in convulſionibus infantum; ac demùm hyſtericis ſuccurrit. A guttis ſex ad octo, ſaccharo exceptus præſcribitur ex vino, aquâ florum aurantiorum, &c. Prætereà foris admovetur æther tanquàm ſedans egregium ad cephalalgiam acerbiſſimam: excipitur nempè à guttis quindecim ad viginti quinque, goſſypio, vel linteis fronti applicandis. Per tranſennam notare lubet aliud parari *æther cum ſpiritu nitri*, de cujus viribus anxii hæremus.

(7.) *Tacamahaca* (*gomme tacamaque*), eſt reſina odore fragrante, & colore variegato, quæ elicitur ex arbore proceriore americanâ & cognomine, de quâ Plukenet. Roborantium externorum ſeriem ingreditur: anodynorum ordini adſcribitur: pro reſolvente demùm & digeſtivâ habetur. Regioni epigaſtricæ emplaſtri inſtar admota, ventriculi dolores refocillat, ejuſque dolores compeſcit. Temporibus impoſita odontalgiam ſedat; præſertim ſi ipſi adjiciantur opii grana duo ad ſex. A quibuſdam demùm proponitur ad cicurandum inſultum arthriticum.

(8.) *Limax*, vel *Cochlea terreſtris* (*Limaçon*), ad rem cibariam, de quâ ad calcem, pertinet. Nec deſpicitur in praxi medicâ; pro enim refrigerante & demulcente, vel, ut inquiunt, obtundente habetur, atque haud infelici ſucceſſu intùs uſurpatur, ad corrigendam ſanguinis acredinem in febre hecticâ, hæmoptyſi, phthiſi, aliiſque cæterorum viſcerum

Capiti dicata.

eidem cauſæ ſubmiſſis. Præſcribuntur *limaces*, exempto putamine, & probè in aquâ fervente loti à numero decem ad viginti in juſculo. Extùs admoti vi emolliente & anodynâ pollent; ac ſæpiùs teſtâ liberi & contuſi ſincipiti applicantur, tùm ad cephalalgiam, tùm adversùs hæmorrhagiam narium; vel temporibus admoventur, nec improſperè, ſæviente odontalgiâ. Ex illis diſtillatione elicitur aqua, quæ tanquàm coſmetica, ad faciei maculas, celebratur. Cochleæ demùm in pulverem redactæ; non ſecùs ac alia teſtacea, vi abſorbente pollent; nec ipſis calcinatis denegatur vis lithontriptica; cur fit ut recipiantur in remedio ſtephenſiano.

(9.) *Emplaſtrum odontalgicum* è tacamahacâ, elemi, thuris, maſtiche & reſinâ conficitur; quibus accedit opium cum camphorâ in petroleo ſolutâ. Temporibus admotum hoc emplaſtrum, non ſolùm dolorem dentium lenit; ſed etiam cephalalgiam compeſcere valet. Nonnulli ipſi extenſo & concinnato addunt, urgente dolore, opii granum unum vel alterum & ultrà; ut citiùs ſuum effectum exerat.

(10.) *Os ſepiæ* in abſorbentium tabulâ collocatur; comprimentium, adſtringentiumque ordini adſcribitur. Sub hoc conſpectu laudatur in gonorrhœâ & fluore albo; nec virtute diureticâ, inſtar aliorum roborantium, deſtituitur. Præcipitur, ſed raro, à ſemi-ſcrupulo ad ſemi-drachmam. Crebriùs in uſum externum vocatur tanquàm detergens & exſiccans; tùm ad delendas faciei maculas; tùm ad dealbandos dentes.

(11.) *Pomatum album* è coctione radic. ireos florentinæ, benzoini, ligni rhodii, caryophyllorum & pomorum renetiorum, in aquis roſarum, florum aurantiorum & axungiâ ſuillâ, poſt colaturam & refrigerationem, emergit. Pro demulcente & reſolvente habetur, & opportunè admovetur naribus fluxione intumeſcentibus; rimis & fiſſuris labiorum, mammarum, genitalium, &c.

(12.) *Pomatum rubrum* ex additis præcedenti medullâ bovis & cerâ albâ conficitur: quibus liquatis color ruber impertitur ope radicis anchuſæ. Vel rectiùs, ni fallor, ex axungiâ ſuillâ, oleo ſeminum frigidorum & ſpermate ceti, quæ eâdem arte tinguntur, exſurgit. Inter demulcentia & emollientia recenſetur; nec diſſimili ratione adversùs labia fiſſa vel aridiora uſurpatur.

(13.) *Acetum Saturni* eſt ceruſſæ diſſolutio in aceto diſtillato, per triduum balneo arenæ digerenda. Sic ſoluta ceruſſa ſuum colorem amittit. Sed ſi nonnullæ hujuſce diſſolutionis guttæ in aquam projiciantur; ſubitò albeſcit prædicta aqua, quæ ideò *lactis* ut inquiunt, *virginalis* titulo inſignitur. Utrumque inter coſmetica locum habet; extùſque adhibetur tanquàm repercutiens; ſed refragatur experientia expertiſſimi *Golardi*, de arte chirurgicâ optimè meriti; qui praxi quadraginta annorum edoctus aſſerere minime dubitavit varias plumbi præparationes vi anodynâ & reſolvente; non ſecùs ac roborante & antiſepticâ gaudere; atque huic opinioni aſſenſum præbuerunt innumeri primi ſubſellii Chirurgi. Alium proceſſum tradidit laudatus Author ad acetum ſaturni extemporaneum, qui

ſic ſe habet. ℞ Lithargyri aurei libras duas; aceti optimi libras quatuor. Bulliant in vaſe idoneo per horam integram & ultrà, ſpatulâ ligneâ aſſiduè verſando. Ab igne remotus liquor quieti traditur; dein decantatur & in lagenis ſervatur ad uſum; è quo etiam paratur lac virgineum, cui addunt tantillum aquæ vitæ; vel pro re natâ ſal marinum, alumen, &c. Hunc liquorem lacteum tanti facit prædictus Author, ut parùm abſit quin illum pro polychreſto habeat. Eâ proportione miſceri ſolent aqua & acetum ut ſint aquæ libræ duæ pro unciâ aceti: huic miſcellæ additur inter uſum tantillum aquæ vitæ ſimplicis, vel camphoratæ. Pro rerum conditione & variis circumſtantiis imminuitur vel augetur aceti ſaturnini doſis, cujus ratione infringuntur vel actuantur hujuſce miſturæ vires. Summam opem præſtat aqua golardiana tepida & mitior in ophthalmiâ: pluris habetur communis ad contuſionem, ad phlogoſim cæterarum partium, ſed præſertim tendinum & ligamentorum; ad eryſipelata, paronychiam, perniones, hæmorrhoïdes furentes; ad herpetem, ſcabiem, ad ankyloſim & contracturam artuum; ad ulcera ſordida & cancroſa; nec minorem laudem meretur adversùs gangrænam. Irrigatur pars affecta, vel fovetur admovendo ſplenia vel lintea hoc liquore imbuta, quæ pluriès per diem renovari ſolent; imò & ter quaterve intrà horam, ſi res urgeat.

Capiti dicata.

OPHTHALMICA.

In immenſum creſceret pagina, ſi omnia remedia oculos reſpicientia huc attexeremus: ſimpliciora duntaxàt & magis comprobata exhibemus; quæ, ad medelam morborum tùm organi, tùm ejus involucrorum, curantium vota explere queunt. Inter quæ primatum ſanè ducunt genuina ophthalmica, ſeu visûs debilitati occurrentia; quæ ſcilicet ad organi pelluciditatem vel ad obſtructos nervos ſpectant: de horum tamen ſpecificis viribus multi, nec fortè perperàm, dubitant: cùm plura de hâc re in medium protulerint Veteres, ſuis præjudiciis obcæcati, quæ ſolertiorum experientiæ planè adverſantur. Alia occurrunt topica, quæ licèt diverſis inſtruantur viribus, haud minùs oculis congruunt; anodyna ſcilicèt ad ſedandos horumce organorum dolores ſummè proficua; repellentia humorum in haſce partes defluxui occurrentia; reſolventia quæ ſuggillationibus, vel nimio humorum proventui medentur; & ideò harumce partium infarctum vel intumeſcentiam diſcutere queunt; detergentia demùm & exſiccantia quæ exulcerationibus proſunt; & ſolutarum partium coalitum promovent. Hæc omnia topica ſub formâ liquidâ adhibita, collyriorum titulo inſigniuntur. Prætereà alia è cæteris claſſibus depromuntur remedia, quæ ſub variis oculorum affectibus, intùs pro re natâ exhiberi; vel extùs admo-

Ophthalmica.

veri ſolent. Nec deſunt quæ, licèt procul ab oculis applicentur, haud minùs conferunt; balnea putà, veſicatoria, & ſetacea, &c. Poſtremò attrahuntur ſordes & feſtucæ oculos vellicantes ope ſuccini, vel ceræ ſignatoriæ, quæ, dummodò frictu incaleſcant, vim electricam obtinent: eamdem opem præſtare magnetem ergà particulas ferreas, neminem vel rudem & inexpertum latet.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

In *ſedantium* numerum adſciſcuntur althæa. Semina frigida. Capita papaveris albi.... Mucilagines gummi tragacanthi, ſeminum pſyllii, & cydoniorum.... Malum coctum vel putridum. Medulla caſſiæ.... Lac muliebre. Sanguis columbæ (1).... Aqua ſolani, ſperniolæ & verbenæ.... Emulſio ſimplex. Trochiſci albi Rhaſis. In claſſe *repellentium* recipiuntur aqua plantaginis & roſarum rubrarum. Albumen ovi (2).... Cryſtallus mineralis. Sal ſaturni.... Alumen. Bolus armena. *Reſolventium* agmen ſubeunt plantago (3); feniculum; euphraſia, verbena & hyſſopus.... Aquæ diſtillatæ earumdem ſtirpium. Sanguis columbæ.... Ruta (4); chelidonium majus; calcitrapa.... Radix ireos florentinæ & valerianæ... Semina aniſi, feniculi.... Crocus. Caryophylli. Camphora.... Saccharum cryſtallinum. Sal ammoniacum.... Vinum. Aqua vitæ, Reginæ Hungariæ. Aqua ophthalmica (5). Inter *detergentia* recenſentur olibanum. Myrrha. Aloë.... Fel anguillæ, & nonnullorum piſcium.... Vitriolum cœruleum (6); & album (7).... Tuthia (8). Antimonium. Saccharum cryſtallinum.... Vitrum antimonii. Crocus metallorum. Vinum emeticum.... Lapis divinus (9), medicamentoſus (10).... Collyrium Charras (11). Aqua ophthalmica Daquin. Succus verbenæ. In *exſiccantium* claſſe locum ſibi vindicant ceruſſa. Tuthia. Os ſepiæ.... Vitriolum album & cæruleum.... Trochiſci Rhaſis (12). Aqua calcis. Ad *ſpecificorum* gradum promoventur euphraſia (13). Verbena.... Feniculum (14). Roſmarinus. Satureia.

MAGISTRALIA.

OPHTHALMICA.

COLLYRIUM DEMULCENS ET REPERCUTIENS.

℞ *Aluminis* fruſtum. Agita in *ovi albumine* ad unguenti conſiſtentiam. Suprà linteum duplicatum extende & tepidè admove, removendum cùm fuerit exſiccatum.

℞ *Albumen ovi. Aquæ roſarum* uncias duas. Agitentur diù, & adde *pulveris aluminis rupei*; vel *boli armenæ* ſemi-drachmam. Fiat collyrium, illicò admovendum pro contuſione.

℞ *Aquæ roſarum rubrarum* & *plantaginis* ana uncias tres. *Trochiſcorum alborum Rhaſis* drachmam unam. *Salis ſaturni* grana decem. Miſce.

℞ *Aquæ roſarum* uncias quatuor. *Seminum pſyllii* drachmas duas. Infunde ad extrahendam mucilaginem. Colaturæ adde *pulveris croci orientalis* grana quindecim.

℞ *Seminum frigidorum majorum* ſemi-unciam. Contunde ex arte ſenſim affundendo *aquæ ſolani* & *roſarum* ana uncias tres. Colaturæ adde *ſacchari cryſtallini* drachmas duas.

℞ *Capitum papaveris albi*, cum ſeminibus contuſorum unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *trochiſcorum alborum Rhaſis* drachmas tres. Fiat collyrium quo foveantur palpebræ.

℞ *Florum malvæ* & *chamæmeli* ana pugillum unum. Infunde in aquæ ferventis librâ unâ. In colaturâ diſſolve *trochiſcorum alborum Rhaſis* drachmam unam; *ſacchari candidi* unciam ſemis.

℞ *Salis ſaturni* & *ſalis ammoniaci* ana grana quatuor. *Aquæ roſarum* & *plantaginis* ana uncias tres. Miſce ad collyrium.

℞ *Gummi tragacanthi*, & *mucilaginis ſeminum pſyllii* ana drachmas duas. Diſſolve in *aquæ roſarum* q. ſ. Fiat collyrium mediocris conſiſtentiæ, oculis dolentibus inſtillandum, & linteis madefactis extùs admovendum.

℞ *Boli armenæ* & *aluminis rupei* ana ſcrupulos duos; *tuthiæ præparatæ* ſcrupulum unum. *Sacchari ſaturni* grana decem. Miſce, fiat pulvis cum albumine ovi conquaſſato in linimentum redigendus.

COLLYRIUM RESOLVENS ET DISCUTIENS.

℞ *Aquæ roſarum rubrarum* uncias duas. *Aquæ Reginæ Hungariæ* drachmas duas. Miſce.

℞ *Aquæ verbenæ* & *feniculi* ana uncias tres. *Sacchari cryſtallini* ſemiunciam. Miſce.

℞ *Aquæ feniculi* uncias ſex. *Caryophyllorum* contuſorum ſcrupulum unum. Infunde & cola.

OPHTHALMICA.

℞ *Croci orientalis* ſcrupulum unum. Infunde per tres horas in *aquæ roſarum* unciis quatuor. Cola.

℞ *Ireos florentinæ* drachmas duas. *Sacchari cryſtallini* drachmas tres. *Aquæ plantaginis* uncias duodecim. *Aquæ vitæ* uncias duas. Digerantur per ſex horas; aliquandiù agitando.

℞ *Aquæ feniculi* uncias quatuor. *Camphoræ* grana ſex. *Croci* grana quatuor. *Sacchari candidi* drachmas duas. Miſce.

℞ *Croci metallorum* drachmam unam. Infunde in aq. feniculi uncias quatuor. Ad ſuffuſionem.

℞ *Folior. rutæ* man. unum. *Seminum feniculi* drachmam unam. Bulliant in *vini albi* q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *aquæ vitæ* drachmas duas.

℞ *Seminum feniculi dulcis* drachmam unam. Bulliant in aquæ unciis duodecim. Infunde calidè *roſarum rubrarum* & *florum chamæmeli* ana pugillum unum. In colaturâ diſſolve *ſacchari candidi* drachmas tres.

℞ *Foliorum rutæ* contuſorum manipulum ſemis. *Radicum valerianæ ſylveſtris* drachmas tres. Infunde in *vini albi* libris duabus, per viginti quatuor horas. Servetur colatura ad collyrium tepidè adhibendum.

COLLYRIUM EXSICCANS ET DETERGENS.

℞ *Vitrioli albi* drachm. unam. *Ireos florentinæ* drachm. duas. Infunde per biduum in *aquæ roſarum* & *plantaginis* ana libr. unâ. Cola.

℞ *Tuthiæ præparatæ*; radicis *ireos florentinæ* ana ſemi-drachmam. *Aquæ feniculi*; *vini rubri* ana uncias duas. Miſce.

℞ *Radic. ireos florentinæ* ſcrupulum unum. *Aquæ roſarum* uncias ſex. Bulliant igne lento ad uncias quatuor. Colaturæ adde *vitrioli albi* grana octo.

℞ *Aquæ roſarum* & *plantaginis* ana uncias tres. *Tuthiæ præparatæ* drachmam unam. *Vitrioli albi*; *aluminis* ana grana ſex. Miſce.

℞ *Aquæ plantaginis* & *feniculi* ana uncias duas. *Tuthiæ præparatæ* ſemi-drachmam. *Pulveris aloës* grana decem. Miſce.

℞ *Vini albi*; *aquæ roſarum* ana uncias duas. *Aloës* in tenuiſſimum pulverem redactæ drachmam unam.

℞ *Aloës hepaticæ* & *ſarcocollæ* ana drachmam unam. *Camphoræ* & *croci orientalis* ana ſemi-drachm. Aliquandiù bulliant, vaſe clauſo, in *vini Hiſpanici* & *aquæ roſarum* ana uncias ſex. Ad inflammationem, affluxum & maculas.

℞ *Aquæ feniculi* uncias ſex. *Tuthiæ præparatæ*; *ſacchari cryſtallini* ana drachm. ſemis. *Lapidis divini* ſcrupulum unum. *Mellis roſati* ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Aquæ plantaginis* & *roſarum* ana uncias tres. *Trochiſcorum Rhaſis* drachmam unam. *Tuthiæ præparatæ* ſcrupulos duos. *Vitrioli albi* grana quatuor.

Ophthalmica.

℞ *Aloës ſoccotrinæ; tuthiæ præparatæ* ana drachm. ſex. *Sacchari albi* ſemi-unciam. Infunde per menſem, calidè in vaſe clauſo cum *aquæ roſarum*, & *vini albi* ana ſemi-libram.

℞ *Tuthiæ præparatæ* drachm. unam. *Vitrioli albi* grana octo. *Aloës* lotæ grana quindecim. *Sacchari candidi* ſemi-drachmam. Contuſa infunde in *aquæ feniculi* & *euphraſiæ* ana uncias duas. Cola.

℞ *Succi abſinthii* unciam ſemis. *Albumin. ovi* q. ſ. ad collyrium cataplaſmatis inſtar admovendum. Ad epiphoram, dummodò haud obſtructa ſint puncta lacrymalia.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias quatuor. *Aquæ roſarum* uncias duas. *Vini emetici turbidi* uncias duas. Miſce.

℞ *Vitri antimonii pulverati; tuthiæ præparatæ; ſalis ſaturni* ana ſcrup. unum. *Aquæ verbenæ* uncias quatuor. Miſce.

℞ *Viridis æris purificati* drachmam unam. *Spiritûs ſalis ammoniaci* ſemi-unciam. *Aquæ vitæ camphoratæ* uncias duas. *Aquæ feniculi* uncias tres. Miſce.

℞ *Aquæ calcis* percolatæ ſemi-libram. *Salis ammoniaci* pulverati ſemi-drachmam. Simul mixta in pelvim æneam conjiciantur; donec cæruleum colorem induant; vel per duodecim horas. Cola.

℞ *Aquæ plantaginis* & *roſarum* ana uncias tres. *Sacchari ſaturni* drachmam ſemis; *tuthiæ præparatæ* drachmas duas. *Camphoræ* ſcrupulum unum. Detergit & dolores compeſcit.

℞ *Aquæ calcis* percolatæ libram unam; *ſalis ammoniaci* pulverati drachmam unam. Simul mixta in pelvim æneam conjiciantur, ibique per noctem maneant. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Radic. ireos florentinæ* & *valerianæ ſylveſtris* ana unciam ſemis. *Folior. rutæ* contuſorum manipul. ſemis. *Pulveris croci metallorum* drachmas duas. Infunde per viginti quatuor horas in *vini canarienſis* librâ unâ, balneolo. Colatura ſervetur ad uſum.

℞ *Aquæ roſarum* & *plantaginis* ana uncias tres. *Vitrioli albi* grana decem. *Camphoræ* grana tria. Miſce in mortario ad collyrium. Pro maculis delendis.

℞ *Succi feniculi dulcis* uncias duas. *Vitrioli albi* grana octo. *Camphoræ* grana quatuor. *Trochiſcorum myrrhæ* grana duodecim. *Croci orientalis* grana ſex. Miſce ad maculas.

SUCCUS RESOLVENS ET DETERGENS.

℞ *Succi feniculi* depurati uncias tres. *Ireos florentinæ* ſemi-drachmam. *Sacchari cryſtallini* drachm. unam. Miſce. Fiat collyrium cujus nonnullæ guttæ identidem in oculum inſtillentur.

℞ *Succi calcitrapæ* uncias ſex. *Aquæ vitæ* unciam unam. Miſce.

PULVIS EXSICCANS ET DETERGENS.

℞ *Sacchari cryſtallini* drachmas duas. *Oſſis ſepiæ* ſemi-drachmam. Fiat

OPHTHALMICA.

pulvis tenuiſſimus tubulo plumeo in oculum inſufflandus ; ad maculas. Vel tuthia ſimplex in eumdem uſum venit.

CATAPLASMA ANODYNUM.

℞ *Pulpæ malorum* ſub cineribus coctorum uncias ſex. Subige cum *lactis vaccini* q. ſ. & adde *croci pulverati* ſemi-drachmam. Fiat cataplaſma.

℞ *Pulpæ malorum dulcium* in *aquâ roſarum* coctarum, uncias quatuor. *Mucilaginis ſeminum cydoniorum* ſemi-unciam. *Sacchari candidi* drachmas duas. *Croci* ſcrupulum unum. *Camphoræ* grana octo. Fiat catapl. ad ambuſtionem.

CATAPLASMA RESOLVENS.

℞ *Pulpæ malorum coctorum* uncias duas. *Vitellos ovi* numero duos. *Medullæ caſſiæ* recèns extractæ unciam ſemis. *Mucilaginis ſeminum pſyllii* unciam unam. Miſce cum tantillo *farinæ hordei* ad debitam conſiſtentiam.

COMMENTARIA.

(1.) COLUMBÆ ſanguis è venâ axillari eductus & tepens, in oculum inſtillatus pro ophthalmico, anodyno & reſolvente habetur : ideò conducit ubi turgent conjunctivæ vaſa ſanguinea ; organi æſtum temperat ; ejuſque dolorem vel irritationem ſedat : nec deſunt qui ejus ope cataractam præcaveri poſſe autumant. Nùm columba ad prædictos uſus, cæteras aves, aliaque animalia antecellat dubitare nil vetat : ſed avem domeſticam, ex tempore ubique habendam, euporiſti inſtar remedii, cæteris præferri pronum eſt credere. Nec hiſce cancellis continentur columbæ vires medicæ ; viva enim per medium diſſecta, & capiti impoſita confert in cephalagiâ, ac in delirio febrili ; nec inutilem opem præſtat in affectibus comatoſis, &c. Catelli, feles, aliaque animalia, ſimili modo uſurpantur, nec minor eſt eorum efficacia. Haud deſpiciendum illud topicum, periculi ſanè expers, à quibuſdam immeritò inter anilia medicamenta relatum : cùm pluriès, ſolertiorum experientiâ judice, optimè ceſſerit.

(2.) *Ovum gallinaceum* materiam variorum medicaminum, tùm internorum, tùm externorum ſuppeditat. *Putamen*, vel teſta ovorum, inter abſorbentia recenſetur, aperientium & diureticorum, imò & lithontripticorum ordini adſcribitur ; nec ipſi denegatur vis febrifuga : datur in tenuiſſimum pulverem redactum, à ſemi-ſcrupulo ad ſemi-drachmam & ultrà. Scire expedit majorem efficaciam tribui teſtis ſiccatis & lævigatione paratis, quàm calcinatis. *Albumen* inter demulcentia & anodyna externa eminet ; vique roborante & repellente inſtruitur : quàpropter conducit in contuſionibus & inflammatione oculorum ; horumce organorum irritatio-

nem

nem lenit; æſtum temperat: nec inutilem opem præſtat in ambuſtione cujuſvis partis, ſi linteis & ſtupis exceptum ex tempore parti læſæ imponatur. *Vitellus* in duplicem uſum venit: ſi intùs exhibeatur, pro demulcente & pectorali habetur: ex illo paratur *lac*, ut inquiunt, *gallinaceum*, quod nil aliud eſt quàm vitellus ovi ſorbilis dilutus in aquæ ferventis unciis octo, quibus additur ſacchari q. ſ. Horâ ſomni propinatur illud remedium apud noſtrates familiariſſimum, adversùs tuſſim & pulmonum æſtum. Poſtremò nemo neſcit, ova ad duritiem cocta vi comprimente gaudere; cur fit ut commendentur in alvi profluvio. Quoad uſum vitelli externum, inter demulcentia numeratur: vulnerariorum claſſem ſubit; atque in digeſtivorum ordine recipitur: proindè enemata antidyſenterica vulgatiora ingreditur: atque variorum unguentorum digeſtivorum, cataplaſmatumque maturantium compoſitionem ſubit. De oleo ovorum ſuo loco.

(3.) *Plantago* latifolia incana, C. B. pin. (*Plantain*).

Pluris habetur hæc ſpecies, cui tamen cæteræ minimè cedunt. Folia intùs & extùs uſurpata vi vulnerariâ & adſtringente pollent: ideò conferunt in hæmorrhagiâ, diarrhœâ, aliiſque cujuſvis ſortis profluviis. Præſcribuntur ad manipulum unum pro quâque libra decocti; vel ſuccus ab unciis duabus ad tres propinatur. Sed in familiarem uſum internum & externum venit aqua diſtillata, quæ vulgatiora ingreditur collyria repercutientia & detergentia. Nùm tamen quidpiam virium plantaginis retineat prædicta aqua? dubitare licet. Folia hujuſce plantæ extùs admota à nonnullis ſummè deprædicantur, adversùs ſcrophulas; nec fortè immeritò: contuſa demùm conferunt ad puncturam veſparum.

(4.) *Ruta hortenſis* latifolia, C. B. pin (*Rue domeſtique*).

Ruta ſylveſtris major (& minor), C. B. pin. (*Rue ſauvage*).

Folia & ſemina, præſertim ſylveſtrium, graveolentia cephalicorum & antiſpaſmodicorum claſſem jure ſubeunt: ad anodyna referuntur: inter ſtomachica & carminantia numerantur: alexiteriorum ordini adſcribuntur; nec ipſis denegatur vis emmenagoga. Cur fit ut proſperè intùs exhibeantur ad morbos convulſivos & hyſtericos, ad flatulentiam, obſtructionem uteri, &c. In ſubſtantiâ ad ſcrupulum unum vel alterum præcipiuntur: in infuſo verò vinoſo ad pugillos duos: vel ſuccus propinatur ab unciâ unâ ad duas. Nonnunquàm etiam recipiuntur in clyſteribus carminantibus & antihyſtericis: ſed ſub hoc conſpectu uſitatius eſt oleum rutæ; de quo ſuo loco. Majoribus inſuper encomiis celebratur prædicta planta ad morbos oculorum; præcipuè in corneæ læſionibus; ad quod opus recipitur vapor decocti; vel halitus à rutâ maſticatâ imprægnatus. In ipſum etiam oculum inſtillantur aqua diſtillata, decoctum, & ſuccus. Cæterùm à nonnullis decantatur ruta tanquàm topicum eximium adversùs morſum canum rabidorum: ſed huicce remedio minime fidendum. Foliorum infuſione per quindecim vel viginti dies paratur acetum rutaceum; quod ſolâ fragrantiâ morborum peſtilentialium contagium arcere; vel vi-

OPHTHALMICA.

rulenta effluvia avertere valet. Poſtremò mulieribus hyſtericis juvamen præſtat odor rutæ quam, faſciculi florum inſtar, geſtant.

(5.) *Aqua ophthalmica Daquin*, infuſione & inſolatione per quindecim dies tuthiæ, caryophyllorum, ſacchari candidi, camphoræ & aloës in aquis dictis ophthalmicis & vino hiſpanico paratur : plurimùm decantatur, nec perperàm, ad roborandum viſûs organum ; necnon ad detergenda vel exſiccanda bulbi ulcuſcula. Adeò ut inter remedia ophthalmica exquiſitiora, ubi cornea variis albuginibus defœdatur, illam recenſere liceat.

(6.) *Vitriolum cæruleum* ſic dictum ut diſtinguatur à viridi, de quo ſuprà, (*Vitriol de Chypre*), ſal minerale audit æris particeps, quod ad uſum externum ſervatur. Inter adſtringentia numeratur ; & cauſticorum vires æmulatur : quamobrem brevi ſanat aphthas & ulcuſcula oris : ſed debiliùs agit in ſuperfluas ulcerum carnes. Ingreditur tanquàm detergens & exſiccans eximium majorem collyriorum partem. Prætereà illud eſt quod in officinis uſurpatur ad confectionem arcani duplicati, tartari vitriolati, ſalis ſedativi & liquoris anodyni mineralis ; de quibus ſuprà actum fuit. Ex hocce demùm vitriolo, nitro & ſale marino, radiis ſolaribus calcinatis, parantur ſacculi, ut inquiunt, antiapoplectici : ſed ad populum phaleras.

(7.) *Vitriolum album* (*Couperoſe blanche*), cæteris mitius, è vitrioli viridis, de quo alibi, ad albedinem calcinati diſſolutione & evaporatione emergit. Non ſecùs ac cæruleum, familiariſſimè ingreditur collyria detergentia & exſiccantia : aliàs rarò in uſum vocatur. In caſu tamen urgentiori, vel aliis deficientibus, illud exhibere licet tanquàm emeticum, à granis quatuor ad viginti.

(8.) *Tuthia*, vel Cadmia factitia, eſt ſubſtantia metallica, cruſtacea, quæ fuliginis inſtar in fornacibus metallicis congeritur ; atque è miſcellâ æris & lapidis calaminaris prodire videtur. Pro detergente & exſiccante mitiſſimo, oculorum morbis præſertim dicato habetur. Nullum ferè paratur collyrium quod tuthiam haud excipiat ; vel pulvis tenuiſſimus in oculos inſufflatur ad detergenda corneæ ulcuſcula. A nonnullis demùm mulierculis uſurpatur ad infantum intertriginem : aliàs rarò adhibetur.

(9.) *Lapis divinus* vel *ophthalmicus* ob egregias dotes ſic nuncupatus, è vitriolo cæruleo, nitro & alumine, quibus ſimul liquatis additur camphora, emergit. Inter adſtringentia & detergentia externa celebratur ; atque non ſolùm oculos reſpicit ; ſed etiam ulcera cæterarum partium : imò & conducit in hæmorrhagiis. Diſſolvitur ab ſcrupulo uno ad ſemidrachmam in aquæ plantaginis unciis ſex ; vel in alio vehiculo congruo.

(10.) *Lapis medicamentoſus* è maceratis per triduum vitriolo ad rubedinem calcinato, lithargyro, bolo & alumine, in aceto acerrimo ; quibus adduntur nitrum & ſal ammoniacum, ut omnia ad exſiccationem coquantur, & demùm, per horam circiter, calcinentur, conficitur. Pro adſtringente & detergente eximio oculis proſpiciente habetur ; & crebrò

præcipitur in variolis ſub formâ collyrii, ad præcavendam vel evincendam oculorum læſionem. A nonnullis commendatur ad gonorrhœam, ſed hæc injectio ſolertioribus minime arridet. Parergi loco addere juvat alium proſtare in officinis lapidem medicamentoſum, nempè Crollii; qui vires etiam mutuatur à vitriolo & alumine : ſed vix à noſtratibus in uſum venit.

Ophthalmica.

(11.) *Collyrium Charras* recipit radicem ireos florentinæ, caryophyllos, aloen, ſaccharum cryſtallinum, vitriolum album, tuthiam & ſarcocollam, quæ in vino hiſpanico, aquis euphraſiæ, feniculi & roſarum digeruntur, ſoli æſtivo per quindecim dies expoſita; & poſteà ulteriori digeſtioni, igne arenæ mitiſſimo, per idem tempus committuntur. Egregiè reſolvit & exſiccat; ac fauſtè uſurpatur in rubore & phlogoſi oculorum; non ſecùs ac in corneæ, conjunctivæ & palpebrarum ulcuſculis. Nùm cataracta, uti nonnulli autumant, huicce topico cedat, dubitare fas eſt : nonnullæ guttæ oculis inſtillantur; vel lintea, aut ſplenia madida ipſis imponuntur.

(12.) *Trochiſci albi Rhaſis* è cerusſâ, ſarcocollâ, gummi arabico & tragacantho, camphorâ & amylo mixtis; & cum aquâ roſarum ſubactis conflantur. Extùs uſurpantur tanquàm demulcentes & anodyni : locum habent in roborantium ordine; detergentiumque ſeriem ſubeunt. Sub hoc conſpectu diverſimodè extùs adhiberi queunt : ſed crebriùs collyria ingrediuntur.

(13.) *Euphraſia* officinarum, Inſt. r. herb. (*Euſraiſe.*)

Amaricans hæc planta inter ophthalmica celebriora primatum ducit, & ſub hoc conſpectu in familiariſſimum uſum venit non ſolùm in phlogoſi oculorum & caligine; aut visûs imbecillitate ſenectutis pediſſequâ : ſed etiam adversùs cataractam & ſuffuſionem : egregias tamen haſce vires, plures in dubium revocant. Roborantium inſuper & cephalicorum ordinem ſubit; & ſummè prodeſſe in memoriâ debiliori, non ſecùs ac in affectibus ſoporoſis, traditur. Intùs præſcribitur in infuſo, inſtar the; vel in ſubſtantiâ, à ſemi-drachmâ ad drachmam unam ex aquâ feniculi. Ad uſum externum adhibetur ſuccus, decoctum, vel aqua diſtillata; quæ linteorum madidorum beneficio oculis admoventur; vel ipſis inſtillantur.

(14.) *Feniculum* vulgare germanicum, C. B. pin. (*Fenouil commun*).

Feniculum dulce officinarum, C. B. pin. (*Fenouil doux*).

Iiſdem viribus gaudent binæ ſpecies : ſed præfertur poſtrema. Planta integra virtute analepticâ inſtruitur; diaphoreſimque movet : proindè prodeſt in corpulentiâ nimiâ, quâ ſæpiùs vires labefactantur. Sed radix & ſemen in familiariſſimum uſum veniunt. Prima corticem præbet qui inter aperientia & hepatica principem quaſi locum obtinet; diureſim movet; perſpirationem juvat; & alexiteriorum ordini adſcribitur; ideò conducit in cachexiâ ictero, hydrope, aliiſque affectibus ab obſtructione & infarctu oriundis : tremori ab intempeſtivo mercurii uſu concitato medetur; valet in febribus putridis & malignis, variolis, &c. nec deſunt qui autu-

Ophthalmica.

mant hancce radicem vires æquare celebratiſſimæ illius radicis exoticæ, quæ Ginseng Sinenſium audit. Doſis hujuſce corticis recentis à ſemiunciâ ad unciam unam, in decocti vel infuſi librâ unâ: ad dimidium verò, ſi ſiccus uſurpetur: vel ſuccus propinatur ab unciis duabus ad quatuor; cujus poſtremi uſus per duodecim vel quindecim dies protelatus valet ad quartanam aliaſque febres intermittentes. Semen pro ſtomachico aut carminante egregio habetur: prodeſt inſuper ſingultui; conducit in morbis pectoris; nimirùm raucedine, tuſſi contumaciori & aſthmate: ſecretioni demùm, vel generationi lactis favet. Doſis in infuſo ad drachmam unam vel alteram accedit: pulvis verò à ſemi-drachmâ ad drachmam unam exhibetur; vel ſemen integrum, tùm ſincerum, tùm ſaccharo conditum comeditur. Quoad uſum externum; inter ophthalmica præſtantiora celebratur; quapropter præſtat in viſûs imbecillitate: in hunc finem oculi excipiunt vaporem infuſi calidi; vel halitum eorum qui prædictum ſemen maſticant. Celebris eſt aqua diſtillata feniculi, quæ potiorem collyriorum partem ingreditur. Poſtremò contuſum ſemen opportunè mammis tumentibus admovetur.

E R R H I N A.

Sic nuncupantur omnia medicamina liquida vel ſicca quæ naribus internis proſpiciunt; licèt attrahantur vel inſufflentur; aut quovis alio modo in diverſum ſcopum immittantur. Ideò ad hancce claſſem pertinent adſtringentia, detergentia, cathæretica & emollientia, quæ organi læſiones reſpiciunt. Ea tamen ex aliis tabulis eruenda conſultò prætermittimus, vel per tranſennam indicamus; ne repetitam apponamus crambem. Quàpropter ſternutatoria duntaxàt, odoramenta & ſuffitus, licèt in alium ſcopum uſurpentur, memoranda eſſe cenſemus. Inter adſtringentia quæ contrà hæmorrhagiam narium adhibentur, nonnulla duntaxàt familiariora proponimus. Numeroſiora ſunt vulneraria & detergentia quibus ozæna impugnari ſolet. Sed notandum aquam Bellilucanam, aliamve thermalem ſæpiùs magis proficuam eſſe ad ulcus narium, quibuſvis infuſis & decoctis ad hoc opus paratis. Nec pecularia ad polypum occurrunt cathæretica; cur fit ut unguentum unicum tradamus; quod ſæpiùs benè ceſſiſſe pro comperto habemus. Idem dicendum de emollientibus & demulcentibus; inter quæ aqua tepida, lac, axungiæ & pomata, de quibus ſatis ſuperque actum fuit, familiariùs pro internis naribus in uſum vocantur. Hæc igitur omnia ex albo emporeticorum & officinalium expungimus; & pauca hujuſce ſortis remedia magiſtralia in medium adducimus; ut ſolis ſternutatòriis, odoramentis & ſuffumigiis inhæreamus.

Nemo neſcit *ſternutatoria*, vel *ptarmica*, præſtò eſſe ad impeditum ca-

put ſublevandum; ad ſopitos ſpiritus exſuſcitandos, humorum influxum revellendum, ſingultum compeſcendum, partum promovendum, &c. Ab illis abſtinere debent mulieres prægnantes; hæmorrhagiis obnoxii, hernioſi, &c. Periculoſa cenſentur in epilepſiâ; in phlogoſi tùm pectoris, tùm abdominis, &c. Ubi, uno verbo, metus eſt ne à nimiâ capitis vel pectoris concuſſione, morbus exaſperetur: quod præſertim intelligi debet de validioribus, euphorbio nempè, cantharidibus, vitriolo, ſublimato corroſivo, &c. Haud abs re erit præfatis addere nimiam vel ultrà modum protenſam ſternutationem ſpontaneam; vel ab acrioribus ſtimulantibus productam compeſci; ſi naribus attrahantur, lac, aqua tepida, aliudve demulcens. Notiſſima ſunt odoramenta grata vel ingrata quæ fauſtè adhiberi ſolent in ſyncope, affectibus comatoſis vel hyſtericis; ad ſomnum conciliandum, ad arcendum contagium, &c. Ejuſdem commatis ſunt vapores & ſuffitus, qui in hâcce ſerie locum ſibi vindicant; ad caput roborandum, inſultum hyſtericum fugandum; vel aërem corrigendum, tùm à miaſmatibus venenoſis, tùm ab effluviis fœtentibus inquinatum, uſurpari ſolent.

ERRHINA.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Sternutatoria ſic ſe habent radices ireos noſtratis [1], & florentinæ, lilii convallium, hellebori albi [2]. Folia nicotianæ, betonicæ, nerii.... Piper, pyrethrum, zingiber..... Semina ſinapi, ſtaphiſagriæ, erucæ, naſtartii hortenſis [3].... Fructus hippocaſtani [4]..... Succus betæ, betonicæ, majoranæ [5], naſturtii, ireos noſtratis.... Euphorbium, elaterium.... Vitriolum album. Arſenicum.... Sublimatum corroſivum. Cantharides. *Adſtringentia* audiunt acetum, ſuccus urticæ.... Aqua aluminoſa, ſtyptica [6], liquor anodynus mineralis.... Bolus, gypſum.... Sanguis draconis, maſtiches. In *fragrantium* agmine locum habent ruta, aſſa fœtida..... Acetum ſimplex, rutaceum, prophylacticum [7]... Aqua Reginæ Hungariæ [8], meliſſæ compoſita, tinctura caſtorei..... Spiritus ſalis ammoniaci [9], ſimplex & ſuccinatus.... Sal Anglicanum [10], volatile cornu cervi [11]... Balſamum apoplecticum [12], hypnoticum [13], &c. *Ad vaporem & ſuffitum* adhibentur olibanum, benzoinum, ſuccinum.... Caſcarilla, caffe, cutis pomorum renetiorum..... Panis, papyrus, plumæ, vetuſta coria, pulvis pyrius... Aqua roſarum, florum aurantiorum, acetum.... Oleum cinnamomi, caryophyllorum, &c.

ERRHINA.

MAGISTRALIA.

PULVIS STERNUTATORIUS.

℞ RADICIS *ireos florentinæ* drachmam unam. *Folior. betonicæ* ſcrupulos duos. Miſce.

℞ *Hellebori albi* ſemi-ſcrupulum. *Ireos florentinæ* ſcrupulum unum. *Olei nucis moſchatæ* guttam unam. Miſce. Fiat pulvis, cui nonnunquàm additur *vitrioli albi* grana quatuor.

℞ *Seminis ſinapi; folia majoranæ* ana ſemi-drachmam. Miſce, & ſub caſu urgentiori adde *cantharidum* granum unum aut alterum.

℞ *Radicum pyrethri; ſeminis ſtaphiſagriæ* ana ſemi-drachmam. Miſce. Fiat pulvis cui pro re natâ addere licet *euphorbii* grana duodecim.

PULVIS CEPHALICUS.

℞ *Folior. betonicæ, baſilici* & *mari* ana drachmas tres. *Florum lilii convallium* & *roſarum rubrarum* ana drachmas duas. *Caſtorei* drachmas tres. *Sacchari albiſſimi* unciam ſemis. Miſce, fiat pulvis ad memoriam firmandam; vertiginem profligandam; viſum reſtaurandum, & inſultus hyſtericos compeſcendos.

PULVIS ADSTRINGENS.

℞ *Boli armenæ, terræ ſigillatæ; pulveris roſarum rubrarum* ana drachmam unam. Cum *albumine ovi* mixta excipiantur goſſypio, turundæ inſtar, naribus immittendo.

AQUA ADSTRINGENS.

℞ *Vitrioli albi* drachmam unam. Diſſolve ex arte in aquæ fontanæ unciam unam. Hâc diſſolutione imbibantur turundæ, vel lintea tenuiſſima, naribus ſenſim immittenda. In eumdem uſum vocantur *liquor anodynus mineralis, acetum, aqua aluminoſa*, &c.

SPIRITUS CEPHALICUS.

℞ *Tincturæ caſtorei; ſpiritûs volatilis ſalis ammoniaci* ana drachmas duas. Miſce, & naribus admove.

℞ *Aceti acerrimi; tincturæ caſtorei* ana drachmas duas. Miſce. Ad eumdem uſum.

INJECTIO DETERGENS.

℞ *Folior. plantaginis* manipulum unum. *Summit. ſcordii* & *abſinthii* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Sub finem adde *roſarum rubrarum; ſummit. hyperici* ana pugillum unum. In colaturâ diſſolve

mellis roſacei uncias duas. *Pulveris lapidis medicamentoſi* drachmas duas. Ad ozænam. ERRHINA.

LINIMENTUM EMOLLIENS.

℞ *Butyri recentis* igne deſpumati q. ſ. in aquam frigidam projice & ſerva.

UNGUENTUM CATHÆRETICUM.

℞ *Vitrioli calcinati* ad rubedinem; *æruginis*, & *aluminis* ana drachmam unam. Miſce cum *mellis roſacei* q. ſ. ad polypum.

NODULUS HYSTERICUS.

℞ *Aſſæ fœtidæ* ſemi-unciam. *Caſtorei; camphoræ* ana ſcrupulum unum. *Olei ſuccini* ſemi-ſcrupul. Miſce. Fiat nodulus, naribus admovendus.

COMMENTARIA.

(1.) IRIS NOSTRAS officinarum. Iris vulgaris germanica ſive ſylveſtris, C. B. pin. (*Glaïeul*).

Radix recens inter carthartico-emetica numeratur; & hinc congruit cachexiæ, ictero & hydropi. Datur ſuccus ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam & ſemis, & ultrà, in juſculo: ſed cautè uſurpari debet illud hydragogum, quod pluriès malè ceſſiſſe nemo neſcit. Sicca verò nil virtutis purgantis retinere videtur; ſed aperientium & incidentium claſſem ſubit; nec ipſi denegatur locus in roborantium agmine: cur fit ut opportunè exhibeatur ſub cachexiâ & hydrope; in ſubſtantiâ ad ſcrupulum unum vel alterum: ad duplum verò in infuſo vinoſo. Radicis ſuccus, & pulvis naribus excepti ſternutamenta promovent; majoremque ſeri copiam educunt. Ireos, non ſecùs ac bryoniæ, ſuccus fæculas præbet, quibus conceditur vis cathartica: atque à granis duodecim ad ſemi-drachmam præcipi ſolent.

(2.) *Helleborus albus*, J. B. Veratrum flore ſubviridi, Inſt. r. herb. (*Hellébore blanc*).

Acerrima radix inter emetica & purgantia per alvum validiora locum habet: ſed vetatur à ſanioribus practicis; niſi ſub caſu urgentiori; & poſt cætera præſidia incaſsùm adhibita. Nec periculo vacat ejus intromiſſio in nares, pro ſternutatione promovendâ, ob violentam ſcilicèt cerebri concuſſionem, quam concitare valet.

(3.) *Naſturtium hortenſe* vulgatum, C. B. pin. (*Creſſon alenois*).

Tanquàm ſuccedaneum naſturtii aquatici, vi antiſcorbuticâ ſed mitiori pollet: inter hepatica & depurantia numeratur: atque aperientium & inci-

dentium ordini adſcribitur. Inſuper roborantium & cephalicorum gradum aſſequitur; cujus ratione commendatur in paralyſi & affectibus comatoſis. Datur in infuſo aut decocto ad manipulum unum pro juſculo vel pro librâ unâ apozematis: ſuccus verò propinatur ab unciis duabus ad tres. Si extùs admoveatur, pro detergente & pſorico habetur: ideò laudatur in pruritu, tineâ, aliiſque affectibus cutaneis. Seminis pulvis inter ptarmica locum habet: nec inopportunè ſinapiſmis immiſcetur.

ERRHINA.

(4.) *Hippocaſtanum* vulgare, Inſt. r. herb. (*Marronier d'Inde*).

Notiſſimus eſt hujuſce egregiæ arboris fructus caſtaneiformis, qui tanquàm res viliſſima in hortis conculcatur. Ejus tamen pulvis ptarmicum egregium præbet, quod in variis morbis capitis & oculorum haud levem opem præſtat. Haud reticendum hujuſce arboris corticem pro ſuccedaneo kinækinæ à nonnullis recentioribus haberi; ſed nondum conſtat de hacce virtute febrifugâ.

(5.) *Majorana* vulgaris, C. B. pin. (*Marjolaine*).

Non ſecùs ac aliæ plantæ aromaticæ inter cephalica roborantia, ſtomachica, &c. numeratur. A nonnullis potiſſimùm laudatur in memoriæ debilitate & affectibus ſoporoſis. Illam præſcribere licet in ſubſtantiâ ad ſemi-drachmam: ſed vulgò datur in infuſo ad manip. ſemis, pro aquæ librâ unâ. Ptarmicorum præterea mitiorum vires obtinet; atque enemata carminantia ingreditur.

(6.) *Aqua ſtyptica* paratur ſolutione & digeſtione ſacchari, aluminis, vitrioli albi & viridis, in aquis plantaginis & centinodiæ. Cætera adſtringentia antecellit ad cohibenda ſanguinis profluvia, aliis præſidiis domari neſcia: dummodò lintea, vel linum carptum, ex hâcce imbuta ipſiſmet vaſculis, è quibus ſanguis erumpit, admoveantur: efficacior enim cenſetur, ſi pars tantiſper comprimi valeat; cur fit ut nonnunquàm ſub hæmorrhagiâ narium improſperè adhibeatur. Nec vetatur hujuſce aquæ uſus internus in caſu urgentiori, à ſemi-drachmâ ad drachmas duas.

(7.) *Acetum prophylacticum*, nonnullis antiſepticum (*Vinaigre des quatre voleurs*), paratur infuſione camphoræ, caryophyllorum, allii, abſinthii, cum uberiori proventu herbarum, corticum & fructuum aromaticorum in aceto acerrimo. Plurimùm deprædicatur ad arcendum contagium; vel pro corrigendis effluviis peſtilentialibus. Hoc imbuitur ſpongiola quæ pyxide includitur, ut pro re natâ naribus ſupponatur.

(8.) *Aqua Reginæ Hungariæ* à florum roriſmarini maceratione per ſex dies in ſpiritu vini & diſtillatione balneolo paratur. Antiſpaſmodicorum ſeriem ſubit, & confert in affectibus hyſtericis; non ſecùs ac in cordis palpitatione. Datur in vehiculo à drachmâ unâ ad tres. Odoraminis inſtar naribus admota, vires refocillat & inſultus hyſtericos fugat. Optimum præterea remedium audit in odontalgiâ; ſi in ore aliquantiſper detineatur. Reſolvente demùm vi pollet; exindè in contuſionibus & ambuſtione conducit.

(9.) *Spiritus*

ERRHINA.

(9.) *Spiritus ſalis ammoniaci* è prædicto ſale mixto, cum calcis vivæ triplâ quantitate & tantillo aquæ, notiſſimâ arte educitur. Summè volatilis & penetrans hic ſpiritus cephalicorum & antiſpaſmodicorum gradum obtinet; in cardiacorum numero collocatur; diaphoreticorum ordini adſcribitur. Idcircò confert in apoplexiâ; deprædicatur in affectu hyſterico; prodeſt in ſyncope, &c. Doſis à guttis ſex ad viginti. Eumdem fermè effectum exerere valet ſuo odore vehementiori & teterrimo nares feriens: imò & crebriùs hoc modo uſurpatur ad fugandum inſultum hyſtericum. Si demùm applicetur ope goſſypii denti carioſo, odontalgiam ſedat. Parùm diſcrepat à prædicto ſpiritu aqua, dicta *de Luce*, haud multis abhinc annis evulgata; quæ nil aliud eſt quàm ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus; vel miſcella ſalis & ſpiritûs volatilis ammoniaci, quibus accedit oleum ſuccini in ſpiritu vini ſolutum: cur fit ut mitior evadat, & quaſi edulcetur. Cæterùm in eumdem ſcopum, nec diſſimili modo uſurpatur.

(10.) *Sal Anglicanum* ſublimatione educitur è ſerico crudo; poſtquàm prodiit ſpiritus guttarum anglicarum nomine notus. Cephalicorum & antiſpaſmodicorum eximiorum gradum conſequitur prædictum ſal: inter præſtantiora cardiaca numeratur: vi alexiteriâ præditum cenſetur, & ſudorem movet. Intùs præcipitur à grano uno, ad grana octo. Naribus excepto odore præſtantiſſimo vires reſarcit, & hyſtericis ſuccurrit. Per tranſennam notare expedit aliud eſſe ſal, nempè ebſonienſe, quod à pluribus etiam anglicum vocitatur; ne incauti errore nominis decipiantur.

(11.) *Sal volatile cornu cervi*, poſt diſtillatum ejuſdem materiei ſpiritum, ſublimatione elevatur. Omnia ſalia volatilia, quæ à materiâ quâcumque animali prodeunt, iiſdem fermè viribus, annuente BOERHAAVIO, gaudere videntur, cephalicis nempè, antiſpaſmodicis, cardiacis, &c. illud tamen, de quo in præſentiarum, crebriùs cæteris congeneribus uſurpatur, ad vertiginem & affectus comatoſos; licèt intùs detur à gran. duobus ad duodecim in vehiculo congruo, vel tanquàm odoramen uſurpetur. Addere juvat quòd hujuſce ſortis ſalia haud niſi ſummâ cum cautelâ intùs ſint exhibenda; cùm nullum ſit dubium quin vi cathæreticâ inſtruantur; quâ non ſolùm verrucæ abſumi queunt; ſed etiam fonticuli aperiuntur.

(12.) *Balſamum apoplecticum* à ſimplici miſcellâ oleorum cinnamomi, caryophyllorum, thymi, &c.; balſami peruviani, ſtyracis, benzoini, ambræ & moſchi exſurgit. Nil impedit quominùs intùs detur tanquàm cephalicum à gran. duobus ad decem: ſed ad uſum externum ſervatur: odore enim potentiſſimo, valet in apoplexiâ & affectibus comatoſis; ſuccurritque animo linquentibus; licèt naribus admoveatur, aut in aures immittatur; vel ex hoc illinantur tempora. Haud tamen alia ſunt poſthabenda præſidia quibus noſtrum balſamum auxiliatrices tantummodò manus præbere valet. Ex illo præſertim proſperè utuntur affectibus comatoſis obnoxii, qui illud pyxide incluſum geſtare conſueverunt.

ERRHINA.

(13.) *Balſamum hypnoticum* è miſcellâ oleorum expreſſorum nucis moſchatæ, ſeminum hyoſcyami, papaveris albi, &c. cui accedit opium, camphora & crocus, emergit. Pro uſu duntaxàt externo ſervatur ceu narcoticum, quo illinuntur nares & tempora; non ſolùm ad dolores compeſcendos; ſed etiam ad vigilias arcendas. Cautè tamen cum hocce remedio, etſi externo, mercari expedit.

AURIBUS CONGRUA.

VARIA hùc colliguntur topica diverſæ indolis; ob diverſos ſcilicèt aurium morbos quos reſpiciunt. Etenim occurrunt 1°. dolores, qui nùnc à phlogoſi, nùnc à vermibus, aliiſque inſectis, vel à corporibus extraneis ortum ducunt: 2°. ulcera ab abſceſſu diſrupto, vel à quovis corpore erodente, & laceſſente inducta: 3°. varia auditûs impedimenta tùm interna tùm externa. Hinc emergunt triplicis ſortis remedia, ſedantia nempè ex emollientibus, demulcentibus & anodynis eruenda; quorum ſelectiora, reſpectu aurium proponimus: vulneraria & detergentia è claſſibus generalibus depromenda; quorum nonnulla in medium adducimus, in aurium exulcerationibus feliciùs adhiberi ſolita: *acouſtica* demùm, ad tinnitum & ſurditatem, quorum cauſa utplurimùm in obſcuris latet, ſpectantia: incaſsùm utplurimùm uſurpari hæc poſtrema nemo neſcit: ea tamen quæ à ſolertioribus practicis, ad imminutum vel abolitum auditum, proponuntur, memorare haud gravamur; ut ſcilicèt nil intactum relinquatur; & quævis exploranda, ubi citrà periculum licet, in promptu pateant.

Auribus congrua.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Ad *Anodynorum* cenſum revocantur lac, & præſertim muliebre.... Oleum amygdalarum dulcium.... Oleum ovorum. Petroleum ad vermes.... Laudanum. Tinctura anodyna, &c. *Detergentium* ſeriem ſubeunt roſæ rubræ. Flores hyperici.... Mel. Tinctura myrrhæ & aloës. Pro *Acouſticis* habentur vapor decocti ſalviæ, rutæ, abſinthii, ſeminum aniſi, baccarum juniperi, &c.... Aqua fraxini ([1]). Succus cepæ ([2]). Moſchus ([3]).... Spiritus vini. Tinctura caſtorei.... Oleum laurinum ([4]), amygdalarum amararum ([5]), nucleorum perſicorum.... Oleum cinnamomi, & roriſmarini.

MAGISTRALIA.

INJECTIO DEMULCENS.

℞ Lactis recèns emulcti uncias duas. *Aquæ roſarum* ſemi-unciam. Miſce, & tepidè injiciatur.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* q. ſ. Guttæ aliquot in aurem inſtillentur, cum goſſypio: vel *lardi* fruſtulum oleo inunctum in aurem immittatur.

℞ *Aquæ roſarum* unciam unam. *Laudani* à granis duobus ad quatuor. Fiat ex arte miſcella, cujus nonnullæ guttæ in aurem affectam inſtillentur.

INJECTIO DETERGENS.

℞ *Decocti hordei* uncias quatuor. *Mellis roſacei* unciam unam. Miſce pro injectione.

℞ *Hordei integri* manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Sub finem adde *roſarum rubrarum* & *florum hyperici* ana manip. ſemis. In colaturâ diſſolve *mellis narbonenſis* uncias tres. Miſce.

℞ *Tincturæ myrrhæ*, & *aloës* ana drachmam unam. Fiat miſcella, cujus nonnullæ guttæ in aurem inſtillentur.

VARIA AD SURDITATEM.

℞ *Aquæ fraxini* uncias duas. *Spiritûs vini* unciam unam. Miſce, & nonnullæ guttæ in aurem tepidè inſtillentur.

Auribus congrua.

℞ *Olei caryophyllorum* guttas ſex. Vel per ſe, vel cum tantillo *olei amygdalarum amararum* fiat injectio in aurem.

℞ *Tincturæ caſtorei* drachmas duas. *Olei caryophyllorum* & *roriſmarini* ana guttas quatuor. Fiat miſcella cujus guttæ aliquot immittantur cum goſſypio in aurem, ante ſomnum.

℞ *Tincturæ caſtorei* drachmas duas. *Succi cepæ* drachmam unam. *Olei ſpicæ* guttas duas. Miſce. Pro aurium tinnitu.

℞ *Aquæ fraxini* unciam unam. *Balſami Commendatoris* guttas viginti. Miſce, & tantiſper in aurem inſtilla.

℞ *Balſami judaïci* & *olei amygdalarum amararum* ana guttas tres. Miſce. Hoc liquore imbutum goſſypium in aurem immittatur, poſt nonnullas horas retrahendum. Ad ſurditatem.

VAPOR ACOUSTICUS.

℞ *Radic. hellebori nigri* unciam unam. *Baccarum juniperi* ſemi-unciam. *Seminum cumini* drachmas duas. *Folior. rutæ* & *abſinthii* ana manip. ſemis. *Aceti* libram ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Paretur vapor, ope infundibuli.

COMMENTARIA.

(1.) Fraxinus excelſior, C. B. pin. (*Frêne*).

Radicis & caudicis hujuſce proceræ arboris cortex, inter aperientia numeratur; imò & ipſi aſſignatur vis depurans: cur ſit ut à quibuſdam haud inferioris notæ laudetur in hydrope & rheumatiſmo; huic tribuitur etiam vis febrifuga; nec deſunt qui hunc corticem, ipſimet kinækinæ perperàm æquiparent: multis paraſangis ab invicem diſtare prædictorum corticum vires febrifugas, experientiâ edocti aſſerere minime dubitamus. Datur à ſemi-drachmâ, ad drachmam unam in ſubſtantiâ; & ad duplum in infuſo aut decocto: à nonnullis præſcribitur recens à ſemi-unciâ, ad unciam unam, pro quâque librâ decocti. È ramulis recentibus igni commiſſis exſudat aqua, quæ pluris habetur ad ſurditatem: nonnullæ guttæ, quas cum tantillo aquæ vitæ actuare licet, in meatum auditorium inſtillantur: vel goſſypium hâc aquâ imbutum in huncce ductum immittitur; quod pluriès iterari debet. Haud deſpiciendum illud remedium, illibato & pervio organo: aliàs iners eſſe nemo non intelligit.

(2.) *Cepa* vulgaris, floribus & tunicis candidis vel purpuraſcentibus, C. B. pin. (*Oignon*).

Notiſſimus hic bulbus, tùm crudus, tùm coctus, pro anthelmintico & diuretico habetur: ideóque alimentum præbet congruum, non ſolùm ver-

mibus conflictatis; ſed etiam cachecticis, ſcorbuticis, & aſthmaticis; dummodò haud illud renuat ſtomachus. Nonnunquàm ſuccus cum tantillo ſacchari propinatur ab unciis duabus ad quatuor. Aliàs ſub formâ medicaminis rarò præſcribitur. Sed latiſſimus eſt uſus externus: etenim cepa ſub cineribus aſſata, inter præſtantiora emollientia & maturantia jure recenſetur: haud inutilem prætereà opem præſtat in iſchuriâ veſicali, ſi regioni pubis imponatur. A nonnullis demùm laudatur ejus ſuccus guttatim auribus immiſſus, ſub jam prolatis conditionibus, tùm ad gravem auditum; tùm ad ſurditatem.

AURIBUS CONGRUA.

(3.) *Moschus* (*le Muſc*), odoramen notiſſimum, eſt ſubſtantia unctuoſa, odore ſuavè fragrantiſſimo, & latè ſe ſpargente, corporibus obviis diutiſſimè, vel ad quadraginta annos, hærente; colôre ferrugineo, & ſapore ſubamaricante; primo intuitu à ſanguine congrumato vix diſcrepans. Folliculo membranaceo, ovum gallinaceum quandóque adæquante, concluditur; qui reperitur in abdomine cujuſdam capræ orientalis, barbâ, uti tradunt, & cornubus carentis. Moſchus rarò ſincerus proſtat in officinis: quod tamen non impedit quominùs, vel adulteratus, egregiis viribus roborantibus & cephalicis inſtruatur, æquè ac cardiacis & alexiteriis. Sincerus laminæ ignitæ impoſitus totus evaporat; verùm ſi quidpiam aduſtum, inſtar carbonis, remaneat, adulteratus jure dicitur. Moſchus ſummè deprædicatur tàm ad memoriam debiliorem reſtituendam, quàm ad viſum inſtaurandum: confert inſuper in paralyſi; conducit in tremore, &c.; ac juxtà nuperrimas obſervationes pro hydrophobiæ ſpecifico habetur: nec minorem opem præſtat adversùs ferociores inſultus convulſivos; dummodò à granis octo ad duodecim, & ultrà exhibeatur. Doſis tamen ſolita à quartâ parte grani ad granum unum vel alterum accedit; ni adhibeatur adversùs rabiem caninam, ſub quo caſu præſcribitur à granis decem ad ſexdecim, cum æquali pondere cinnabaris in vehiculo ſpirituoſo, de quo remedio vide lexicum medicum JAMES. Nec minorem doſem præcipi ſub ferocioribus inſultibus convulſivis jam innuimus; haud refragante clar. PRINGLE. A paucis tamen intùs uſurpatur, niſi in confectione variarum præparationum officinalium, è quibus neceſſum quandóque eſt ut reſcindatur; cùm noxam inferat nonnullis hyſtericis. Anguſtioribus etiam cancellis continetur uſus externus, qui reſpicit tantummodò nares & aures: pluribus tamen inviſum eſt illud odoramentum; aliis gratiſſimum. Quod ad aures pertinet, ſi goſſypium moſchatum in meatum auditorium immittatur, ſurditati mederi valet; dummodò organum ſit integrum, & ab omni obſtructione liberum; vel morbus à ſolâ nervorum læſione pendeat.

(4.) *Oleum laurinum*, viride & ſpiſſum, expreſſione è baccis lauri educitur. Emollientium claſſem jure ſubit: in reſolventium ordine recipitur; inter anodyna recenſetur; nec vi roborante deſtituitur. Linimenti inſtar, calidè & cum frictu, admotum dolores compeſcit; juvamen præſtat membris paralyticis; prodeſt artubus contractis; nec inutilem

AURIBUS CONGRUA.

opem confert tumoribus reſolvendis & maturandis. A nonnullis etiam prædicatur ad diſcutiendum aurium tinnitum, ſi cum goſſypio in meatum auditorium immittatur. Enemata demùm carminantia familiariſſimè ingreditur à ſemi-unciâ ad unciam unam & ſemis.

(5.) *Oleum amygdalarum amararum* torculari vulgatiſſimo expreſſum pro anthelmintico eximio, nemine refragante, habetur; & ad morbos uterinos deprædicatur. Intùs exhibetur à ſemi-unciâ ad unciam unam; vel in enematibus recipitur, ab unciis duabus ad tres. Inter remedia denique acouſtica, vel auditum juvantia, numeratur; & methodo pluriès expoſitâ ſubminiſtratur.

ORE EXCIPIENDA.

NEMINEM fermè fugit, id genus medicamina, in hâcce claſſi numeranda, totum os reſpicere, aut huic vel illi parti dicari; undè duplex emergit ordo. In primum colliguntur *gargariſmata* quibus omnes oris partes colluuntur, & ideò generalia audiunt: hæc in varium ſcopum præſcribi cuivis obvium; depromuntur enim è maturantibus, refrigerantibus, repercutientibus, adſtringentibus, detergentibus & antiſcorbuticis: de quibus jam ſatis ſuperque ſuprà actum fuit: ideò os præſertim reſpicientia, in medium adducemus. Secundus ordo ſialagoga, odontalgica, aliave linguæ, uvulæ, &c. proſpicientia complectitur.

Sialagoga ſuâ acredine vellicantia uberiorem ſalivæ fluxum ſollicitant: formâ ſolidâ porriguntur; vel fumus à materiebus ſtimulantibus excitatus ope fiſtulæ congruæ excipitur. Nonnullæ tamen materies acredinis expertes, felici etiam ſucceſſu, maſticandæ præbentur; uti cera & maſtiches; cùm ab alterâ maxillæ motione expreſſa incernicula uberiorem ſalivæ copiam eructare valeant; hujuſce laticis etiam fluxum promovet hydrargyrus intùs aſſumptus, vel extùs admotus. Quapropter in evacuantium agmine haud infimum locum tenent ſalivantia; quæ plurimùm conferunt in affectibus ſoporoſis; valent in linguæ paralyſi; fluxionibus medentur; utilia ſunt ſurdis; conducunt in viſu debiliori; cephalalgiam leniunt; odontalgiam compeſcunt; nec exiguam laudem merentur in ranulâ; aliiſque tùm oris, tùm cervicis humorum ſtaſibus. Haud tamen periculo vacat ptyaliſmus, quem ægrè ferunt debiliores & ad vomitum proclives; ulcera inſuper oris exacerbat; nec levem infert noxam tabidis & phthiſicis.

Odontalgica uſitatiora, & magis comprobata tradimus: cætera dentes reſpicientia ad noſtrum propoſitum vix pertinentia, prætermittimus; quandóquidem omnibus innoteſcunt os ſepiæ pro dealbandis dentibus; lentiſcus, aliaque adſtringentia ad illos firmandos; portulaca & amyg-

dalæ amaræ ad fugandum ſtuporem, &c. Scitur etiam piper, alumen, nonnullaque alia ſtyptica vel acria, fauſtè ad uvulæ prolapſum uſurpari: ſpiritum vitrioli & ſulphuris, vel eſſentiam Rabel opportunè vulneribus admoveri; ſpiritum ſalis gangrænam arcere, &c. Laudatur fumus nicotianæ, ſalviæ & betonicæ tàm ad diſcutiendas fluxiones, quàm ad cerebrum refocillandum: ſimili modo adhibentur folia tuſſilaginis & verbaſci, balſamum judaïcum, ſuccinum, aniſum, &c. ad pulmonum exulcerationes; maſticantur demùm folia ſalviæ, lavandulæ & roriſmarini ad impeditam loquelam. Nec è re noſtrâ fore putavimus mentionem ſubjicere radicum imperatoriæ & angelicæ, ſeminum aniſi & coriandri, aliorumque aromaticorum quæ in ore detinentur tàm ad leniendum oris fœtorem, quàm ad arcendum contagium; vel ad aëris inquinati effectus noxios præcavendos. Circà tamen hæc prolata objecta, nonnullas formulas ſelectiores aliis ſubnectimus, ne promiſſis perfunctoriè ſtetiſſe, inſimulemur.

ORE EXCIPIENDA.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

EMOLLIENTIUM ordinem ſubeunt radices althææ, & nymphææ. Flores malvæ. Semen lini.... Caricæ. Gummi arabicum (1).... Lac. Syrupus althææ & nymphææ. Inter *Refrigerantia* numerantur acetoſa. Portulaca (2). Sedum majus.... Aqua ſperniolæ. Serum lactis.... Oxycratum. Syrupus berberis.... Nitrum. Sal ſaturni. *Repellentium* vires obtinent plantago. Urtica. Pentaphyllum. Pervinca (3). Brunella. Acetoſa. Oxytriphyllum.... Omphacium. Acetum. Oxycratum.... Syrupus de moris. Oxymel.... Nitrum & alumen. Ex *Adſtringentibus* eruuntur biſtorta. Plantago. Argentina. Pervinca. Piloſella.... Aqua roſarum & plantaginis.... Balauſtia. Semen ſumach. Nuces cupreſſi. Cortex granatorum.... Lignum lentiſci (4); guaiacum.... Syrupus de moris (5); de roſis ſiccis.... Acacia. Catechu. Maſtiche (6).. Alumen. *Detergentia* audiunt ariſtolochia. Agrimonia. Pervinca. Argentina. Piloſella. Rubus (7). Abſinthium.... Flores hyperici; roſæ rubræ. Hordeum.... Mel ſimplex & roſatum (8). Oxymel (9). Vinum.... Syrupus de moris & roſis ſiccis.... Aqua golardiana, Spiritus vitrioli.

Pro *Antiſcorbuticis* habentur cochlearia. Naſturtium. Hyſſopus. Brunella.... Balauſtia. Roſæ rubræ. Flores & ſemina aquilegiæ (10). Cortex granatorum, & mali citrei, Winteranus.... Guaiacum. Lignum lentiſci.... Gummi lacca. Succinum. Camphora. Sal ammoniacum... Tinctura laccæ (11), & myrrhæ; ſpiritus cochleariæ. Inter *Sialagoga* recenſentur radices imperatoriæ, angelicæ (12), ireos florentinæ.... Folia nicotianæ, ſatureiæ.... Semen ſinapi, ſtaphiſagriæ & erucæ.... Piper (13). Cardamomum. Zingiber. Pyrethrum (14).... Fumus tubularis nicotianæ,

ſalviæ, betonicæ, verbaſci. Ad *Odontalgicorum* gradum provehuntur acetum. Spiritus vini. Aqua Reginæ Hungariæ.... Petroleum. Opium... Oleum cinnamomi, caryophyllorum ([15]), thymi ([16]), guaiaci ([17]), buxi.... Spiritus ſalis ammoniaci. Oleum camphoræ..... Fumus tabaci ore hauſtus, &c.

ORE EXCIPIENDA.

MAGISTRALIA.

GARGARISMA DEMULCENS, ET EMOLLIENS.

℞ CARICARUM *pinguium* uncias tres. Coque in *lactis* q. ſ. pro gargariſmate.

℞ *Radicum althææ* ſemi-unciam. *Caricas pingues* numero quatuor. Coque in *lactis* librâ unâ. Sub finem adde *ſeminum lini* contuſorum in nodulo ſemi-unciam. In colaturâ dilue *hydromellis* uncias ſex. Simplicius paratur è mero lacte, ſero lactis, aquâ pulli, emulſione, &c.

GARGARISMA REFRIGERANS.

℞ *Seri lactis*, vel *decocti hordei* libram unam. *Cryſtalli mineralis* drachmam unam. *Syrupi de moris* uncias duas. Miſce.

℞ *Aquæ ſperniolæ*; *ſucci ſedi majoris* ana uncias tres. *Sacchari ſaturni* ſemi-drachmam. *Syrupi de nymphæâ* uncias duas.

GARGARISMA REPELLENS.

℞ *Aquæ communis* libram unam. *Omphacii*, vel *aceti optimi* unciam unam & ſemis. *Syrupi de moris* uncias duas.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias ſex. *Salis prunellæ* drachmam unam. *Diamori* unciam unam.

℞ *Roſarum rubrarum* manipulum unum. *Aluminis* drachmam unam. Bulliant in aquæ *plantaginis* librâ unâ. In colaturâ diſſolve *ſyrupi de moris* uncias duas.

GARGARISMA RESOLVENS.

℞ *Foliorum pervincæ* manipulum unum. Coque, vel infunde in aquæ libris duabus. Colaturæ adde *mellis* & *aceti* ana uncias quatuor. Fiat gargariſma calidè uſurpandum.

GARGARISMA ADSTRINGENS.

℞ *Aluminis rupei* drachmam unam & ſemis. Diſſolve in aquæ ferventis librâ unâ. Adde *mellis communis* uncias duas. Deſpuma & cola.

℞ *Acaciæ*

℞ *Acaciæ* ſemi-unciam. Coque in *vini rubri* auſteri q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *ſyrupi de roſis ſiccis* uncias duas.

℞ *Corticis granatorum* ſemi-unciam. *Balauſtiorum ; ſeminis ſumach* ana drachmas tres. *Aluminis rupei* drachmam unam. Bulliant in *vini rubri* q. ſ. ad libram unam.

ORE EXCIPIENDA.

℞ *Nucum cupreſſi* unciam unam. *Balauſtiorum* manipulum ſemis. *Malicorii* drachmam unam. *Aluminis* ſemi-drachmam. Coque in *aquæ ferrariorum* q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *ſyrupi myrtini compoſiti* uncias duas.

℞ *Ligni lentiſci* unc. duas. *Roſarum rubrarum* & *balauſtiorum* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *aluminis rupei* drachmam unam.

GARGARISMA DETERGENS.

℞ *Folior. plantaginis* & *agrimoniæ* ana manipulum unum. *Roſarum rubrarum* manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *mellis roſati* uncias tres.

℞ *Decocti hordei* libram unam. *Diamori* & *mellis roſati* ana unciam unam. Miſce ad gargariſma vulgatiſſimum.

℞ *Hordei integri* unciam unam. *Summit. rubi* & *folior. agrimoniæ* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *mellis roſati* uncias duas. *Cryſtalli mineralis* drachmam unam. Vel *olei vitrioli* q. ſ. ad gratam aciditatem.

℞ *Radicum ariſtolochiæ rotundæ* ſemi-unciam. *Summitatum abſinthii* & *hyperici* ana manip. ſemis. Coque in *tincturæ roſarum* q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *mellis roſati*, vel *ſyrupi de roſis ſiccis* unciam unam.

GARGARISMA ANTISCORBUTICUM.

℞ *Succi naſturtii aquatici*, vel *cochleariæ* uncias quatuor. *Tincturæ gummi laccæ* ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Decocti hordei*; *ſucci beccabungæ* ana uncias tres. *Mellis roſati* unciam unam.

℞ *Infuſi naſturtii* libram unam. *Spiritûs cochleariæ* ſemi-unciam. *Spiritûs vini camphorati* drachmas duas. *Syrupi de roſis ſiccis* uncias duas.

℞ *Decocti agrimoniæ* uncias ſex. *Succi citrei ; mellis roſati* ana uncias duas. *Spiritûs ſalis dulcis* ſemi-drachmam.

℞ *Camphoræ* ſemi-unciam. *Aluminis* unciam unam. *Sacchari cryſtallini* uncias duas. Macerentur per biduum in *aquæ vitæ* librâ unâ. Cola.

℞ *Decocti pervincæ* uncias quatuor. *Succi limonum* uncias duas. *Spiritûs vini camphorati* unciam unam. *Salis ammoniaci* drachmam unam. Miſce.

Ore exci-
pienda.

℞ *Folior. cochleariæ* & *naſturtii* ana manipulum unum. *Aluminis* drachmam unam. *Salis ammoniaci* ſemi-drachm. Bulliant leviter & infundantur in *decocti folior. rubi* librâ unâ. Colaturæ adde *aquæ vitæ camphoratæ* unciam unam. *Tincturæ myrrhæ* ſemi-drachmam.

℞ *Radic. ariſtolochiæ* & *gentianæ* ana unciam unam. *Corticis Winterani* ſemi-unciam. *Roſarum rubrarum*; *ſummitat. hyperici* ana manip. ſemis. Bulliant in *vini rubri*, vel *aquæ calcis* q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *aquæ vitæ camphoratæ* uncias duas. *Mellis roſati* uncias tres. *Salis ammoniaci* drachmas duas.

COLLUTIO ODONTALGICA.

℞ *Radicum pyrethri* unciam unam. *Zingiberis*, *caryophyllorum* ana ſemi-unciam. Digerantur per viginti quatuor horas in *aquæ vitæ* librâ unâ. Cola.

℞ *Radic. pyrethri* & *hyoſcyami* ana unciam ſemis. Coque in *aceti* librâ unâ. Colaturæ adde *opii* grana ſex; *camphoræ* ſcrupulum unum. Hæc decoctio ſubfervida tandiù in ore retineatur, donec dolor ceſſaverit; & tunc eluatur os aquâ tepidâ.

℞ *Cinnamomi* uncias duas. Infunde per viginti quatuor horas, & ultrà, in *aceti acerrimi* librâ unâ. Servetur ad uſum.

AQUA DETERGENS.

℞ *Aluminis* drachmas duas. *Arſenici* ſcrupulos duos. Coque per horam in *aquæ plantaginis* librâ unâ. Colatura adhibeatur ad ulcera & ſarcoſes.

AQUA ANGINOSA.

℞ *Salis ſaturni* ſcrupulum unum. Diſſolve in *aquæ roſarum*, vel *plantaginis* unciis duabus; & ex lino carpto tange eſcharas, in anginâ gangrænoſâ.

LINIMENTUM ANGINOSUM.

℞ *Mellis roſati* ſemi-unciam. *Spiritûs ſulphuris* drachm. unam. Miſce pro litu quo inungantur oris partes phlogoſi correptæ.

LINIMENTUM AD APHTHAS.

℞ *Mellis roſacei* drachm. duas. *Olei vitrioli* drachm. unam. Miſce pro linimento cum tantillo goſſypii, vel lini carpti, ulceribus admovendo.

LINIMENTUM AD GANGRÆNAM.

℞ *Mellis roſacei* unciam unam. *Spiritûs ſalis marini* drachmam unam. Miſce. Fiat linimentum.

GLOBULUS SIALAGOGUS.

Ore excipienda.

℞ *Lacrymarum maſtiches* drachmas duas. *Ceræ flavæ* unciam unam. *Zingiberis* & *pyrethri* ana ſemi-drachm. Liqueſcant & miſceantur ad conficiendos globulos, linteis involvendos & maſticandos.

℞ *Radic. pyrethri* drachm. duas. *Pulveris ſeminum ſinapi* & *ſtaphiſagriæ* ana drachmam unam. *Ceræ albæ* q. ſ. & formentur globuli.

NODULUS SIALOGOGUS.

℞ *Caryophyllorum* & *Zingiberis* ana ſcrupulum unum. *Seminis ſtaphiſagriæ* ſemi-drachm. Miſce, & nodulo includantur.

℞ *Folior. nicotianæ* drachmam unam. *Piperis* & *pyrethri* ana ſemi-drachmam. *Salis marini* drachmam unam. Miſce. Fiant tres, quatuorve noduli.

℞ *Ireos florentinæ* drachmas duas. *Seminis ſinapi* & *ſtaphiſagriæ* ana ſemi-drachmam. Miſce pro nodulis.

PULVIS UVULARIS.

℞ *Radicis biſtortæ*; *piperis longi* ana ſcrupul. unum. Miſce. Fiat pulvis, cum ſpatulâ, uvulæ laxatæ applicandus.

℞ *Aluminis*; *piperis* ana ſcrupul. unum. Miſce pro pulvere.

MIXTURA TUBULARIS.

℞ *Folior. betonicæ* & *tuſſilaginis* minutim ſectorum ana unciam unam. *Balſami judaïci* ſemi-ſcrupulum. Miſce pro uſu phthiſicorum; ut hauriant fumum per fiſtulam notiſſimam.

℞ *Foliorum tuſſilaginis*; *ſeminum aniſi*; *ſuccini* ana quantùm vis. Miſce ad uſum.

ORE EXCIPIENDA.

COMMENTARIA.

(1.) GUMMI ARABICUM, ſubſtantia pallida & pellucida, ſaporis & odoris expers, pro demulcente & refrigerante habetur. Ideò proficuum cenſetur in æſtu vel ardore pectoris; & ſtranguriæ opitulatur. Intùs datur ab ſcrupulo ſemiſſe ad ſemi-drachmam ſub formâ ſolidâ, vel in aquâ ſolutum. Quoad uſum externum; in emollientium & demulcentium ordine continetur; & ſub hoc conſpectu gargariſmata ingreditur, non ſecùs ac enemata, &c. Mantiſſæ inſtar addere liceat quòd pro comperto maneat genuinum gummi arabicum ſpontè fluere è quâdam acaciæ ægyptiæ ſpecie, de quâ PROSPER ALPINUS; è cujus ſiliquis, uti ſuprà innuimus, exprimitur ſuccus qui inſpiſſatus acaciæ nomine ad nos transfertur: ſed alterius eſt indolis illud gummi, perperam arabicum vocitatum, quod in officinis venale proſtat; quod ſcilicèt è miſcellâ variorum gummatum emergere, vel adulterari, nullus fermè dubitandi locus.

(2.) *Portulaca* latifolia, ſeu ſativa, C. B. pin. (*Pourpier des jardins*).
Portulaca ſylveſtris, ſive anguſtifolia, C. B. pin. (*Pourpier ſauvage*).

Utraque ſpecies inter refrigerantia & depurantia recenſetur: atque in ſerie antiſcorbuticorum recipitur. Largiùs comeſta veneris ſtimulos domat: ſub formâ remedii, hæmorrhagiæ obviam it; & conducit ſub febribus ardentibus. Doſis ad manip. unum pro quâque librâ decocti; vel ſuccus propinatur ab unciis tribus ad quatuor & ultrà. Semen inter frigida, ut inquiunt, minora numeratur; atque in urinæ ardore & interaneorum æſtu ſimili ratione adhibetur. Proſtat in officinis aqua diſtillata, quæ tanquàm vermifuga in familiariſſimum uſum venit; licèt plures prioris ſubſellii hancce virtutem in dubium revocent. Folia demùm manſa dentium ſtupori brevi medentur.

(3.) *Pervinca* vulgaris anguſtifolia (& latifolia), Inſt. r. herb. (*Pervenche*).

Folia intùs & extùs adhibita vi vulnerariâ & adſtringente pollent: ideò prædicantur ad ulcera pulmonum & renum. Proſunt in ſputo cruento, aliiſque ſanguinis profluviis: nec minùs conducunt in alvi fluxu. Ad pugillum unum præſcribi ſolent in ſingulis decocti libris. Idem decoctum, cum duplicatâ foliorum menſurâ paratum, egregium gargariſma præbet ad anginam ſpuriam.

(4.) *Lentiſcus* vulgaris, C. B. pin. (*Lentiſque*).

Hujuſce fruticis lignum inter roborantia & adſtringentia haud infimum locum obtinet; quapropter ſtomachi vires refocillat; cachexiæ opitulatur; alvi fluxum ſiſtit; nimium urinæ proventum cohibet; hæmorrhagiæ uterinæ auxiliatur. Præſcribitur in decocto aquoſo vel vinoſo à

ſemi-unciâ ad unciam unam pro quâque librâ liquidi. Idem decoctum, ſed magis ſaturatum, pro gargariſmate adhibetur tàm ad firmandos dentes, quàm adversùs oris defœdationes ſcorbuticas. Ex eodem denique ligno parantur dentiſcalpia, quæ utilia cenſentur ad laxitatem gingivarum. De maſtiche, quam ſuppeditat lentiſcus, infrà dicemus. ORE EXCIPIENDA.

(5.) *Mora domeſtica*, (*les Mûres*), matura pro humectantibus & refrigerantibus habentur: alimentumque præbent congruum & gratiſſimum variis ægrotantibus, quibus vetantur cæteri fructus. Immatura vel maturitati proxima, vi detergente & adſtringente inſigniuntur: ideò ex illorum ſucco defœcato conficitur ſyrupus, qui aliàs diamorum audit; & gargariſmata, ad anginam ſpuriam parata, creberrimè ingreditur.

(6.) *Maſtiche* eſt reſina ſublutea, diaphana & grumoſa; quæ igni tradita fumum haud ingratum præbet; & è lentiſco variarum maris Ægei inſularum, ſpontè, vel è vulnerato cortice fluit. Intùs exhibetur tanquàm adſtringens & comprimens: ideò proſtat in vomitu & alvi profluviis: nec vi demulcente deſtituitur, cujus ratione, catharticis draſticis opportunè immiſcetur ad præcavenda ſcilicèt tormina. Doſis in ſubſt. à granis quatuor ad ſcrupulum unum, & in infuſo, à ſemi-ſcrupulo, ad ſcrupulos duos. Extùs admotum egregiè roborat & adſtringit; quapropter laudatur in uvulæ, ani & vaginæ prolapſibus; opitulatur in herniis; artubus debilioribus prodeſt, &c. Cur fit ut in variis emplaſtris officinalibus recipiatur: nec ipſi denegatur vis anodyna; quandóquidem temporibus admota odontalgiam ſedat. Maſticanda demùm traditur ad ſollicitandum ſalivæ fluxum, ad gingivas contrahendas & firmandas, & fœtorem oris corrigendum.

(7.) *Rubus* vulgaris fructu nigro, C. B. pin. (*Ronce* ou *Mûre de Renard*).

E cymis vel ramulorum ſummitatibus paratur decoctum aquoſum vel vinoſum, cui vis detergens & adſtringens jure adſcribitur; ideóque laudatur in alvi fluxu: ſed familiarior eſt ejus uſus ſub formâ gargariſmatis, ad anginam tùm veram, tùm ſpuriam; atque ad oris aphthas. Nec inutilem opem præſtat lotionis inſtar ad ulcera præſertim crurum detergenda.

(8.) *Mel roſatum* conficitur infuſione ad ſaturationem roſarum rubrarum, quæ cum melle demùm coquitur. Detergentium & adſtringentium claſſem ſubit, & ingreditur gargariſmata, injectiones, &c. Quæ in hunc ſcopum præcipi ſolent.

(9.) *Oxymel* ſimplex è miſcellâ mellis & aceti albi, anaticâ proportione, igne lento ad ſyrupi conſiſtentiam coctâ emergit. Ori tanquàm detergens & repellens dicatur; ideò gargariſmatibus in hunc finem paratis crebrò additur.

(10.) *Aquilegia* ſylveſtris, C. B. pin. (*Ancolie*).

Semen inter aperientia & diuretica numeratur: atque illud à ſemi-

drachmâ ad drachm. unam in ſubſtantiâ; & ad duplum in infuſo præſcribere licet : ſed planè exolevit ejus uſus. Familiariùs in uſum externum vocatur, ceu vulnerarium, detergens & antiputridum: & ſub hoc multiplici conſpectu, gargariſmata antiſcorbutica vel detergentia ſæpiùs ingreditur. Paratur quoque è floribus tinctura ſpirituoſa, quæ in ſimilem ſcopum, ſed rarò, adhibetur.

Ore excipienda.

(11.) *Lacca gummi*; (*Gomme lacque*), eſt ſubſtantia reſinoſa, granulata, quæ à quibuſdam formicis, uti fertur, alatis elaboratur; & circà ramos variarum arborum indicarum congeritur; quæ vel in granis à ligno ſeparatis, vel ipſiſmet ramulis inhærens advehitur. Ex illâ conflatur cera, ut inquiunt, obſignatoria (*cire à cacheter*); quæ coccineo vel nigro colore tincta, ſuâ vi electricâ notiſſimâ, nonnunquàm inſervit ad attrahendas oculorum feſtucas vel ſordes. Inter roborantia recenſetur gummi lacca; incidentiumque agmen ſubit; & datur in ſubſtantiâ à granis decem ad ſemi-drachmam : ſed rariſſimè intùs adhibetur. Pro uſu externo paratur in officinis tinctura cum ſpiritu cochleariæ & tantillo aluminis; quæ reſpectu duntaxàt oris pro roborante & antiſcorbuticâ habetur : ideò conducit, tùm per ſe, tùm gargariſmati congruo immixta, in gingivarum laxitate ſcorbuticâ.

(12.) *Spiritus cochleariæ* diſtillatione prodit è ſolâ hâcce plantâ, per plures dies macerationi commiſsâ. Egregium eſt antiſcorbuticum, quod nonnulli intùs exhibent à ſemi-drachmâ ad drachmam unam in juſculo, aliove hauſtu congruo. Sed feliciùs adhibetur pro collutione oris, ad quod opus ad libitum projicitur in aquam huic uſui dicatam.

(13.) *Angelica* ſativa, C. B. pin. Imperatoria ſativa, Inſt. r. herb. (*Angélique de Bohême*).

Hujuſce ſtirpis umbelliferæ radix, ad uſus officinales præcipuè comparata, ſuaveolens, nonnihil amaricat cum quâdam dulcedine : olim celeberrima, à noſtris coætaneis parvi habetur. Haud tamen deſpicienda, dummodò recens, & minime carioſa, ſeligatur; cùm inter roborantia, cardiaca & alexiteria haud immeritò recenſeatur; nec vi ſtomachicâ & carminante deſtituatur. Ideò illam proſperè uſurpare licet ad menſes ciendos; vel ad colicam convulſivam compeſcendam : nonnullis inſuper aſthmaticis ſuccurrit. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno, ad drachm. ſemis & ultrà; ad duplum verò in infuſo. Illam demùm maſticandam præbent ſcorbuticis; tàm ad præcavendam ulteriorem gingivarum putredinem, quàm ad corrigendum oris fœtorem. Simili ratione ex aceto macerata in ore volvitur, graſſante peſte, ad arcendum contagium.

(14.) *Piper* proſtat triplicis ſortis, nigrum nempè, album & longum. Hoſce fructus ferunt plantæ ſarmentoſæ indicæ & cognomines; arboribus, juxtà quas ſeruntur, adhæreſcentes. Nigrum, vulgatiſſimum ciborum condimentum, etiam in foro medico uſitatius, à cæteris ratione virium parùm diſcrepare videtur : roborantium claſſem ſubit; ſtomachicorum eximiorum gradum conſequitur; vi incidente gaudet, nec febrifugâ deſtituitur. Grana

integra, numero octo vel decem, ante cœnam deglutienda porriguntur, ad ſtomachum refocillandum & degeſtionem juvandam. Eâdem methodo exhibentur, ineunte febre intermittente, vel quartanâ, nonnullis horis ante paroxyſmum; quod pluriès iterari debet. Cæterùm turpiter allucinantur, qui cum inſulsâ plebe, piper integrum refrigerare autumant. Pulvis verò in ſubſtantiâ præſcribitur à gran. duobus ad ſex; vel piper integrum in infuſo præcipitur à gran. decem ad ſcrupulum unum. Piperis pulvis ſternutatorii vices gerit: grana integra maſticata uberiorem ſalivæ proventum ſollicitant, & in linguæ paralyſi proficua cenſentur. Pulvis, uvulæ prolabenti vel tumidæ admotus, efficaciſſimum euporiſtum audit. Inter rubefacientia demùm externa numeratur; atque punctorio lateris dolori, cæteris conſentientibus, fauſtè imponitur. Haud multis abhinc annis innoteſcit aliud, uti loqui amant, piperis genus è Jamaicâ tranſvectum; vel bacca cujuſdam myrti americanæ, quæ acredine, haud inſuavi, ſed mitiori, ad piper accedit; & vulgò dicitur *Poivre de la Jamaïque*; atque apud Anglos, ceu genuinum piper, ad intinctus uſurpatur.

(15.) *Pyrethrum* eſt radix, colore cinereo, plantæ cujuſdam cognominis & africanæ, quæ chamæmeli faciem præ ſe fert. Ipſi ineſt ſapor acris & urens; cur fit ut pro piperis ſuccedaneo, etiam apud coquos, habeatur. Quod ad uſum medicum attinet; inter eximia ſialagoga recenſetur; nec improſperè adhibetur in catarrhis, aliiſque capitis fluxionibus: odontalgiam alioquin ſedat: linguæ reſolutæ occurrit. Porrigitur fruſtum in ore detinendum vel maſticandum. Pyrethrum in aceto priùs macerari nonnulli ſinunt, ut acrius evadat. Pulvis ſternutationem egregiè promovet: hæc demùm radix contuſa in enematibus ſtimulantibus coquitur.

(16.) *Oleum caryophyllorum* (*Eſſence de Girofle*), non ſecùs ac alia olea eſſentialia, aquâ ponderoſius, notiſſimâ diſtillationis arte educitur. Vix uſurpatur, ni ad compeſcendum dolorem dentium carioſorum; ad quod opus neceſſe eſt ut goſſypium hoc oleo imbutum nervulum carie læſum attingat: aliàs incaſsùm adhibetur. Haud tamen viribus internis defraudatur; quin potiùs inter alexiteria haud infimum locum obtinet. Ideò illud cum ſaccharo priùs ſubactum tutò præſcribere licet à guttis duabus ad quatuor in aquâ meliſſæ, aliove hauſtu congruo. Reticere minime debemus hoc oleum utplurimùm adulteratum proſtare in officinis. Ejus tamen optima nota, docentibus expertis, facilè dignoſcitur; ſi projectæ nonnullæ guttæ in aquam, cochleari ſuprà ignem poſito commiſſam, ſtatim difflentur; & in auras nullo remanente veſtigio avolent.

(17.) *Oleum thymi* è floribus hujuſce ſubfruticis, jàm pluriès indicatâ arte elicitur: iiſdem pollet viribus, nec diſſimili methodo uſurpatur, adversùs dentes carioſos.

(18.) *Oleum guaiaci*, non ſecùs ac ſuperiora, è ligno hujuſce arboris

Ore excipienda.

Ore excipienda.

exoticæ diſtillatione prodit; nec minùs deprædicatur ad odontalgiam: ſed in alium ſcopum nonnunquàm extùs adhibetur, quatenùs eximium exſiccans & cathæreticum in medelâ ulcerum cacoetheorum, vel ut inquiunt, pravi moris; vel ad oppugnandam oſſium cariem.

CERVICALIA ET THORACICA.

Cervici & pectori extùs proſpicientia complectitur hæc claſſis paucis coërcenda. Inter varios affectus qui cervicem, vicinioreſque partes invadere ſolent, angina duntaxàt vera, vel ſpuria peculiaria remedia ſibi vindicat: quæ tamen è claſſibus emollientium, ſedantium, repellentium & reſolventium erui ſolent. Solus nidus hirundinis huicce parti unicè proſpicere videtur; quod topicum, ſub anginâ acutiſſimâ multiplici uſu comprobatum, ſuum effectum exerere, nunc repercutiendo, nunc reſolvendo, conjicere fas eſt. Aliter ſe res habet de lanâ ſuccidâ noſtræ ſeriei agmen claudente; quæ non ſolùm pſeudo-anginæ auxiliatur: ſed etiam opem fert, ceu reſolvens & diſcutiens eximium, ſub illo humorum defluxu in muſculos capitis & cervicis, qui inſultum rheumaticum mentiens, *torticolis* apud vulgus audit. Quod ad medicamina thoraci externa dicata attinet; ea ſunt quæ dolores à quâvis causâ progenitos, dummodò haud altiùs infigantur, lenire vel fugare queunt. Ex emollientibus, anodynis, reſolventibus, & rubefacientibus depromi ſolent; ac pro re natâ, vel morbi indole, hæc vel illa ſeliguntur. Nec tamen planè innocua cenſeri debent, præſertim narcotica & cathæretica: quandoquidem prima haud rarò gangrænam poſt ſe trahant; ſecunda verò delirium accerſere queant: ideò cautè cum alterutris mercari expedit; ubi ab accuratè perſpectâ morbi ratione, haud inanis horumce graviorum ſymptomatum ducitur metus.

EMPORETICA

CERVICALIA.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Pro *Anginoſis* habentur radices althææ & liliorum. Folia geranii robertiani (1), hyoſcyami (2), cucumeris ſylveſtris (3). Flores chamæmeli. Crocus.... Semina lini, fenugræci.... Acetum. Spiritus cornu cervi.... Oleum olivarum, chamæmeli, roſarum.... Nidus hirundinis (4). Lana ſuccida (5). Inter *Pleuritica* recenſentur crocus. Piper. Zingiber... Camphora. Sal ammoniacum.... Axungiæ. Oleum lumbricorum (6) & alia.... Unguentum populeum. De althæâ (7). Balſamum tranquillans.... Emplaſtrum veſicatorium, &c.

MAGISTRALIA.

LINIMENTUM ANGINOSUM.

℞ Olei *olivarum*; *ſpiritûs cornu cervi* ana uncias duas. Miſce. Fiat litus quartâ quâque horâ renovandus.

CATAPLASMA ANGINOSUM.

℞ *Folia hyoſcyami*; vel *cucumeris ſylveſtris*; vel *geranii robertiani*, manip. quatuor. Coque in aquæ q. ſ. Contunde & per ſetaceum trajice. Ac adde olei roſacei, vel butyri q. ſ.

℞ *Nidum hirundinis*. Contunde in mortario, & adde *aceti optimi* q. ſ. Ad conſiſtentiam cataplaſmatis.

℞ *Nidum hirundinis. Radicum althææ* & *liliorum* ana unciam unam. *Florum chamæmeli* manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. contuſis adde *farinæ ſeminum lini*, & *fenugræci* ana ſemi-unciam. *Croci* ſcrupul. unum. *Olei chamæmeli* q. ſ.

LINIMENTUM PLEURITICUM.

℞ *Unguenti de althæâ* unciam unam. *Olei lumbricorum*; vel *amygdalarum dulcium* unciam unam & ſemis. Miſce, & calidè admove cum chartâ emporeticâ tenuiore; vel latus dolens inungatur; ſuppoſitis linteis calidis.

℞ *Olei laurini*; *unguenti de althæâ* ana uncias duas. *Aquæ vitæ camphoratæ* unciam unam. Miſce.

℞ *Camphoræ* drachm. unam. Diſſolve in *olei hyperici* unciis duabus. Pro linimento.

CERVICALIA.

℞ *Unguenti populei, olei ovorum* vel *amygdalarum dulcium* ana unciam unam. Miſce, & calidè inungatur pars dolens cum levi frictione, ſæpiùs iterandâ.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* uncias duas. *Spiritûs ſalis ammoniaci* unciam unam. *Camphoræ* ſcrupulos duos. Miſce.

℞ *Spiritûs vini* unciam unam. *Camphoræ* ſemi-drachmam. Solutioni adde *olei lumbricorum; unguenti de althæâ* ana unciam unam. *Croci pulverati* ſcrupul. unum. Miſce.

℞ *Unguenti de althæâ* uncias duas. *Olei hyperici, balſami tranquillantis* ana unciam unam. Miſce pro litu.

CATAPLASMA PLEURITICUM.

℞ *Piperis longi* & *zingiberis* pulveratorum ana ſemi-unciam. Mixta excipiantur *albuminis ovi* q. ſ. & extendantur ſuper ſtupam, lateri dolenti calidè admovendam.

COMMENTARIA.

(1.) GERANIUM ROBERTIANUM, C. B. pin. (*Herbe à Robert*).
Hæc planta fœtens in adſtringentium & vulnerariorum internorum numero admittitur: reſolventiumque eximiorum claſſem ſubit. Ideò laudatur in alvi fluxu & hæmorrhagiâ, atque proficua cenſetur adversùs contuſiones. Datur in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ ad drachmam unam; vel ad manip. unum pro ſingulis infuſi libris. Sed crebriùs foris admoventur folia contuſa; aut ex illis coctis parantur fotus & cataplaſmata, quæ tanquàm reſolventia & anodyna adhibentur; nec ipſis denegatur vis detergens. Ideò à nonnullis uſurpantur adversùs anginam legitimam: conducunt inſuper adversùs crurum intumeſcentiam œdematoſam: laudantur in contuſionibus: ac demùm deprædicantur ad mammarum, cæterarumque partium ulcera ſcrophuloſa & cancroſa.

(2.) *Hyoſcyamus* vulgaris, vel niger, C. B. pin. (*Juſquiame noire*).
Hyoſcyamus albus major, C. B. pin. (*Juſquiame blanche*).
Uterque, odore viroſo, inter narcotica & ſtupefacientia, quibus mens perturbatur, vel concitantur convulſiones, recenſeri ſolet; hinc fit ut uſus internus prohibeatur. Secundæ tamen ſpeciei ſemina, aliquantulùm mitiora, recipiuntur in confectione pilularum de cynogloſſo; quæ hinc cautè exhiberi debent. Utriuſque folia emollientium, anodynorum & reſolventium externorum ordinem ſubeunt: ſub cineribus cocta fauſtè apponuntur mammis, lacte, ut inquiunt, congrumato tumidis; acutiſſimos arthriticorum dolores obtundunt, hæmorrhoïdes furentes cicurant, &c.

In lacte cocta cataplaſmatum & fotuum materiam præbent. Semina prunis injecta ſuffitum excitant præſentaneum, ad perniones ſuprà modum dolentes & phlegmonodeas : eâdem ſolitâ arte expreſſa eructant oleum ad ſopiendos hæmorrhoïdum internarum cruciatus perquàm utile ; è quo etiam illinuntur tempora, tàm ad ſedandos dentium, auriumque dolores, quàm ad ſomnum conciliandum ; quod tamen haud citrà periculum fieri poſſe crediderim.

CERVICALIA.

(3.) *Cucumis ſylveſtris* aſininus dictus, C. B. pin. (*Concombre ſauvage*).

De elaterio, vel ſucco inſpiſſato hujuſce plantæ in catharticorum claſſe, jam ſuprà actum fuit : nunc ſupereſt ut de radicum, foliorumque uſu externo breviter dicamus ; quæ inter reſolventia & detergentia, nemine reluctante, recenſentur. Cæterùm valent in anginâ : tumoribus ſcrophuloſis opitulantur : nec inutilem opem præſtant in ulcerum vetuſtiorum medelâ. Poſtremò ſuccus è totâ plantâ exprimitur qui naribus attractus ſeri copioſum ſtillicidium promovet.

(4.) *Nidus hirundinis* (*nid d'hirondelle*) ; nemo non novit horumce nidorum efficaciam anginoſam, quæ inconſultò à nonnullis Medicis poſthabetur. Colligi debent, vel cùm pulli adhuc nido inſident, vel poſtquàm adoleverint : etenim non ſolùm nido, ſed etiam excrementis quibus imprægnatur, ejus vis reſolvendi & diſcutiendi adſcribitur. Ingrediuntur cataplaſmata ad anginam, uti è traditis exemplis patet.

(5.) *Lana ſuccida* recèns tonſa ex interioribus ovium coxis egregium emolliens & reſolvens præbet, conducibile in anginâ ſpuriâ & in illo humorum defluxu quo cervicis & capitis muſculi impediuntur. Uſu receptum eſt ut minime admoveatur hocce topicum, ni priùs illita fuerit pars affecta oleo liliorum vel chamæmeli.

(6.) *Oleum lumbricorum* ſimplici infuſione & coctione horumce inſectorum in oleo olivarum & vino albo paratur. Inter præſtantiora emollientia & anodyna externa jure recenſetur ; atque virtute reſolvente gaudet : ideò in familiariſſimum uſum cedit, nunc per ſe, ſub linimenti formâ ; nunc ad variorum cataplaſmatum confectionem ; nec ſanè improſpero ſucceſſu.

(7.) *Unguentum de althæâ* paratur è mucilaginibus radicum althææ & ſcillæ, ſeminum lini & fenugræci in oleo olivarum coctis ; quibus adduntur cera, reſina & terebinthina. Virtute emolliente & demulcente inſtruitur ; nec ipſi denegatur locus in reſolventium ordine : quocircà crebrò uſurpatur, linimenti inſtar, adversùs dolores rheumaticos, alteriuſve indolis : nec inopportunè tumoribus induratis & à purulentiâ alienis apponitur.

Mammis imponenda

MAMMIS IMPONENDA.

Licèt omnia ferè topica cæteris partibus communia, & de quibus hactenùs, mammis admoveri queant; nonnulla tamen ſelectiora, vel quæ familiariùs hiſce organis imponuntur, colligere ſub hâcce claſſi, haud inconſultum viſum fuit. Ea ſub triplici ordine exhibere expedit: primus ſcilicèt admittit medicamina externa quæ lacti jam ſecreto contrarium motum impertiuntur; ejuſque difflationi favent; vel ulteriorem hujuſce laticis ad mammas appulſum præcavent. Secundus ordo continet ea quæ horumce organorum dolores, à quâvis causâ ortos, lenire & compeſcere valent. Tertius verò recipit illa quæ infarctum tàm vaſorum ſanguiferorum, quàm tubulorum galactiferorum aggrediuntur; & reſolventium munia exequi ſolent. Sed ergà hæc quæcumque præſidia, vel exquiſitiora, notare juvat parùm proficua fore, ni auxiliatrices manus ipſis præbeat congrua victûs ratio.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Lactifugorum gradum obtinent folia apii ſylveſtris (1), cerefolii, petroſelini (2), menthæ (3), rutæ.... Semina feniculi, carvi, apii ſylveſtris.... Mel. Axungia ſerpentis. Oleum chamæmeli.... Unguentum roſatum, de althæâ.... Acetum. Alumen. Emplaſtrum de minio (4). Inter *Demulcentia* numerantur butyrum. Sebum hircinum.... Oleum ovorum, amygdalarum dulcium, roſatum.... Mucilagines. Cera. Sperma ceti.... Pomatum album & rubrum. Pulvis ſaturni. Pro *Reſolventibus* habentur radices apii ſylveſtris, mei (5).... Folia cicutæ, hyoſcyami, petroſelini, menthæ, matricariæ, millefolii.... Semina aniſi & feniculi. Farina ſecalina.... Vitellum ovi. Mel. Sal marinum (6)... Galbanum. Emplaſtrum de ſpermate ceti (7). Aqua golardiana.

MAGISTRALIA.

CATAPLASMA LACTIFUGUM.

℞ *Foliorum cerefolii* manip. quatuor. Leviter contunde, ut ſupra laminam ferream calefaciantur. Dein *olei roſacei* q. ſ. irroranda, ad cataplaſmatis conſiſtentiam.

℞ *Foliorum menthæ* & *rutæ* ana manip. tres. *Seminum carvi* uncias duas. Bulliant in *aceti* q. ſ. Ad cataplaſma.

℞ *Foliorum apii ſylveſtris* & *menthæ* ana manipul. duos. Coque in *axungiæ ſuillæ inſulſæ* q. ſ. Pulpæ trajectæ adde *ſeminis apii pulverati* drachmas duas. Miſce pro cataplaſmate.

LINIMENTUM LACTIFUGUM.

℞ *Axungiæ ſerpentis* ſemi-unciam. *Butyri veteris* unciam unam & ſemis. *Succi menthæ* unciam unam. *Olei chamæmeli* q. ſ. pro litu. Quo inungantur mammæ, linteis calidiuſculis conſtringendæ.

℞ *Aluminis pulverati* ſemi-unciam. *Butyri* uncias duas. *Ceræ* drachmas duas. Miſce ex arte.

POMATUM DEMULCENS.

℞ *Sebi hircini* uncias duas. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. *Ceræ albæ* q. ſ. ad pomatum.

CATAPLASMA RESOLVENS.

℞ *Micæ panis* ſemi-libram. Coque in *vini aromatici* q. ſ. pro cataplaſmate. Ad contuſionem.

Farinæ ſecalinæ ſemi-libram. *Ovi vitellos* numero duos. Miſce cum *mellis* q. ſ. ad conſiſtentiam.

℞ *Micæ panis albiſſimi* ſemi-libram. Coque in *aquæ golardianæ* q. ſ. ad conſiſtentiam cataplaſmatis. Ter quaterve in die admovetur mammis tumentibus, vel ſkirrhoſis, & cancroſis.

EMPLASTRUM RESOLVENS.

℞ *Spermatis ceti* unciam unam. *Ceræ albæ* uncias duas. *Galbani* in *aceto* ſoluti ſemi-unciam. *Olei roſacei* q. ſ. Miſce. Fiat ex arte emplaſtrum.

MAMMIS IMPONENDA

COMMENTARIA.

(1.) APIUM PALUSTRE, ſeu officinarum, C. B. pin. (*Ache*).

Radix inter quinque radices aperientes præcipuum locum obtinet; atque in diureticorum ordine recipitur. Ideò deprædicatur adversùs cachexiam; aſthmaticis ſuccurrit; ſcorbuticos juvat; nec inanem ludit operam in hydrope & præſertim aſcite. Inſuper pro alexiteriâ, vulnerariâ, reſolvente & diaphoreticâ habetur; nec ipſi denegatur virtus febrifuga: ſemen verò ore ſumptum, vel podice exceptum, vi carminante pollet: haud tamen planè innocuum eſſe apium epilepticis & mulieribus prægnantibus, docet experientia. Coquitur radix recens ad unciam unam in juſculo, vel librâ apozematis: ſuccus etiam exprimitur ab unciis duabus ad quatuor propinandus; vel ad uncias ſex ineunte febris cujuſcumque intermittentis, vel quartanæ paroxyſmo. Foris admota hæc planta vi reſolvente inſtruitur & opportunè applicatur mammis à lacte concreto, vel, ut inquiunt, congrumato tumidis: laudatur quoque in hydrocele; dummodò tamen haud altas egerit radices hic morbus. Aliud eſt, uti nemo neſcit, apium, nempè dulce, celeri Italorum hort. Reg. Pariſienſis; quod à paluſtri, ſolâ olitorum arte, diſcrepat; & ideò eaſdem vires obtinet; ſed inferiori gradu; cur fit ut pro acetariis gratiſſimis, vel in uſum culinarem ſervetur.

(2.) *Petroſelinum*, vulgare, Parkinſ. Apium hortenſe, vel Petroſelinum vulgò, C. B. pin. (*Perſil*).

Radix hujuſce oleris, coquis notiſſimi, inter aperientia & diuretica etiam recenſetur: imò & præcedentis vires ſuperare videtur: nec in reſolventium internorum claſſi infimum locum ſibi vindicat. Ideò non modò in cachexiâ & hydrope; ſed etiam in contuſionibus mammarum haud improſperè uſurpatur. Recens ad unciam unam adhibetur in juſculo vel decocti librâ unâ: ſicca verò haud ultrà drachmas duas vel ſemi-unciam præcipitur: vel ſuccus propinatur ab unciâ unâ ad duas. Semina verò in carminantium cenſu recipiuntur, & congenerum inſtar, à granis duodecim ad ſemi-drachmam, in ſubſtantiâ exhibentur; vel ad duplum in infuſo. Uſu demùm receptum eſt apud mulierculas ut folia contuſa mammis lacte turgentibus imponantur.

(3.) *Mentha* anguſtifolia ſpicata, C. B. pin. (*Menthe romaine* ou *baume*).
Mentha criſpa verticillata, C. B. pin. (*Menthe friſée*).

Hæ binæ ſpecies, non ſecùs ac plures aliæ, in roborantium, cephalicorum & antiſpaſmodicorum ordine eminent: ſtomachicorum, carminantiumque gradum aſſequuntur; in diureticorum, numero recipiuntur: obſtructiones prætereà reſerant; menſes movent, &c. Quapropter conducunt in vertigine; vomitum coërcent; ſingultui medentur; in caches

xiâ & chloroſi opitulantur ; infantiumque tormina compeſcunt. Ad manip. ſemis præſcribuntur pro quâque librâ infuſi ex aquâ vel vino : ſuccus verò datur ad unciam unam , aut alteram. Haud demùm prædictis viribus defraudatur aqua diſtillata quæ familiariùs in eumdem ſcopum propinatur. Nec minùs ad uſum externum celebratur mentha ; inter enim roborantia primatum ducit ; locumque obtinet in reſolventium ordine : ingreditur inſuper enemata carminantia. Regioni epigaſtricæ admota ſtomachi vires refocillat , ejuſque dolores compeſcit : mammis impoſita infarctum reſolvit ; inibique ſtagnans lac fugat. Menthæ folia in lac projecta ejus coagulationem præpediunt : hinc minime mirum ſi hunc affectum expectatiſſimum exerant in huncce laticem , intrà prædicta organa nidulantem. Eamdem opem conferre mentham ergà ingeſtum lac , ex eodem experimento haud falsò colligitur.

MAMMIS IMPONENDA.

(4.) *Emplaſtrum de minio* cui cera & oleum roſatum baſim præbent , coincidit cum emplaſtro de ceruſsâ : ideò inter reſolventia & exſiccantia locum obtinet ; raròtamen in uſum venit , niſi quandóque ad reſolvendum , vel fugandum mammarum lac.

(5.) *Meum* foliis anethi , C. B. pin.

Radix aromatica , & nonnihil amaricans , inter roborantia tranſcribitur ; uterinorum gradum obtinet ; ideò menſes & lochia movere ; imò & fluori albo mederi dicitur. Doſis in ſubſtantiâ à ſemi-drachmâ , ad drachmam unam ; & ad duplum in infuſo ; ſed rariſſimi eſt uſûs apud noſtrates : nec crebriùs foris admovetur ; etſi vi reſolvente gaudet. A quibuſdam tamen contuſa , & ex vino cocta , in modum cataplaſmatis ad mammarum infarctum præcipitur.

(6.) *Sal Gemmeum* foſſile , è cujus ſolutione exſurgunt cryſtalli cubicæ , ratione indolis haud diſcrepans à marino vel cibario , eaſdem vires obtinet. Utrumque ad ciborum condimentum adhibere licet : ſed poſtremum , ceu vulgatius , in familiariſſimum uſum venit. Aliàs à clinicis rariſſimè intùs præſcribitur ſal marinum ; imò & ſæpiùs vetatur. Aliter ſe res habet de uſu externo : pro ſtimulante enim additur enematibus ad unciam unam & ultrà ; ubi ſcybala indurata ægrè foràs dejici patiuntur. Craſſiuſculè tritum , ſacculo incluſum & fronti admotum cephalalgiam lenit. Cum urinâ demùm ſubactum mammis quâvis contuſione læſis haud infelici ſucceſſu imponitur. Simili ratione valet aqua ſalſa in cæteris contuſionibus , præſertim infantum. Fruſtum ſalis ore exceptum lipothymiæ medetur.

(7.) *Emplaſtrum de ſpermate ceti* ex tempore conficitur ex hâcce ſubſtantiâ , cerâ & oleo è ſeminibus frigidis expreſſo. Præſtantiſſimum eſt emolliens , anodynum & reſolvens ; quod præcipuè mammis lacte concreto tumidis , vel à quâlibet causâ contuſis fauſtè applicatur : nec inutile cenſetur ergà tumores ſcrophuloſos. Aliàs raro uſurpatur ; licèt nulli dubitemus quin ſub variis aliis caſibus præſentaneam opem præſtare queat.

ABDOMINA-LIA.

ABDOMINALIA.

E PERSPECTIS imi ventris affectibus, indole & ſitu, longè ab invicem diſcrepantibus perſpicuum fit topica abdominalia, in hâcce claſſi tradenda, eſſe diverſæ ſortis, ſtomachica nempè, vermifuga, diuretica, emollientia, refrigerantia, diſcutientia, cathartica, antihyſterica & adſtringentia. Stomachica è roborantium claſſe deſumpta conducunt in lipothymiâ; vomitum & ſingultum coërcent; cardialgiam leniunt; alimentorumque concoctionem juvant. Vermifuga ſolis infantibus congruunt, ergà quos in uſum familiariſſimum cedunt; nec infelici ſucceſſu; licèt ad anilia medicamina à pluribus inconſultò amandentur. Ejuſdem commatis ſunt diuretica externa, de quorum viribus nonnulli etiam dubitant; quæ tamen minime deſpicienda eſſe cenſemus; præſertim in iſchuriâ veſicæ; inter varia in hunc finem præcipienda eminet oleum ſcorpionum, quod pluriès, annuentibus etiam celebrioribus Practicis, egregiam ſub hoc caſu opem confert. Cur nil impedit quominùs hæcce explorentur præſidia. De emollientium energiâ nullum eſt dubium: etſi cum ſuprà habitis coincidunt; uſitatiora, & reſpectu imi ventris magis comprobata recenſere haud à propoſito alienum fore putavimus: neminem fugit quòd hæcce topica ab addito aceto refrigerandi vim obtineant. Raró pro votis ſuccedunt varia commentitia diſcutientia quæ adversùs flatulentiam proponuntur; hinc unicum fotum, in tympanitide nonnunquàm conducibilem, tranſcribimus. Efficaciora ſanè ſunt cathartica extrinſecùs adhibita: ſed ſolis infantibus admoveri ſolent quibus haud raró ſeceſſus blandè movetur. Minime etiam poſthabenda topica antihyſterica, licèt mulierculis plerúmque tradatur horum adminiſtratio; in quorum cenſum veniunt cucurbitulæ adversùs inſultus hyſtericos; quæ etiam ad plebeculam immeritò ablegantur. Scitur poſtremò adſtringentia inguinibus imponi ad herniam, uti radix polygonati, emplaſtrum contrà rupturam; aliaque id genus, de quibus alibi: ut *de lapide nephritico*, vel quâdam molliori jaſpidis ſpecie, quam regioni renum alligare ſolent, ob commentitiam vim diureticam, ſileamus.

EMPORETICA

Abdominalia.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

STOMACHICORUM agmen ſubeunt ſalvia; mentha; abſinthium; roſmarinus. Angelica.... Flores lavandulæ, chamæmeli. Crocus.... Semina coriandri & feniculi. Baccæ lauri & juniperi.... Nux moſchata. Caryophylli. Cinnamomum. Calamus aromaticus.... Sal ammoniacum. Camphora. Styrax calamita. Balſamum peruvianum.... Vinum. Aqua vitæ. Acetum roſatum.... Spiritus vini camphoratus. Tinctura anodyna.... Oleum ſcorpionum. Oleum cinnamomi & caryophyllorum.... Theriaca. Confectio alkermes. Emplaſtrum ſtomachicum (1). In numerum *Vermifugorum* veniunt ſuccus abſinthii. Fel taurinum.... Fuligo. Aloë. Petroleum. Trochiſci alhandal.... Oleum myrrhæ per deliquium. Unguentum de arthanitâ (2)... Oleum ſcorpionum (3), formicarum (4). In *Emollientium* tractu collocantur radices althææ & nymphææ... Folia malvæ, althææ, acanthi, parietariæ, mercurialis. Chamæmelum... Olea & axungiæ. *Purgantium* vim obtinent folia nicotianæ (5). Colocynthis. Aloë... Fel bovinum. Trochiſci alhandal... Unguentum de arthanitâ. Ex *Antihyſtericis* depromuntur galbanum. Petroleum (6). Axungia caſtoris.... Oleum croci (7), ſuccini. Tinctura caſtorei. Inter *Adſtringentia* numerantur radix polygonati (8).... Emplaſtrum contrà rupturam (9).

MAGISTRALIA.

FOTUS STOMACHICUS.

℞ *Foliorum ſalviæ & roriſmarini* ana manip. unum. *Florum lavandulæ & chamæmeli* ana manip. ſemis. *Baccarum lauri & juniperi* ana unciam unam. Bulliant in *vini rubri* libris tribus, ad duas. Adde ſub finem *ſalis ammoniaci* drachmas duas. Cola & exprime. Ad ſingultum.

EPITHEMA STOMACHICUM.

℞ *Theriacæ* ſemi-unciam. *Pulveris cinnamomi & caryophyllorum* ana drachmam unam. *Olei cinnamomi* guttas duodecim. Miſce cum *aceti roſacei* q. ſ.

℞ *Spiritûs vini camphorati* uncias quatuor. *Theriacæ* drachmas duas. *Olei caryophyllorum* ſcrupulum unum. Miſce; cum linteaminibus ſcrobiculo cordis admovendum.

ABDOMINALIA.

℞ *Fruſtum panis toſtum; vino generoſo* irroretur. *Pulvere cinnamomi*, vel *zingiberis*, vel *caryophyllorum* inſpergatur. Regioni epigaſtricæ calidè admovendum. Vel paratur è *pane toſto* & *pulpâ cydoniorum*.

℞ *Aquæ Reginæ Hungariæ; laudani liquidi* ana unciam unam. *Camphoræ* ſemi-drachmam. Miſce. Ad vomitum & cardialgiam.

℞ *Theriacæ* drachm. unam. *Succini præparati* ſemi-drachmam. *Camphoræ* ſcrupulum ſemis. *Croci orientalis* grana decem. *Aquæ Reginæ Hungariæ* q. ſ. Ad conſiſtentiam cataplaſmatis loco dolenti admove.

℞ *Theriacæ* drachmas ſex. *Pulveris cinnamomi* drachmas duas. *Olei menthæ* guttas octo. *Aceti* q. ſ. Ad vomitum.

℞ *Pulpæ cydoniorum* ſemi-libram. Coque in *aceto* ad mollitiem, & contunde in mortario. Adde *pulveris balauſtiorum* unciam ſemis. Super linteum extende, & aſperge *pulver. caryophyllorum* drachmam unam. Calidè applicetur.

SCUTUM STOMACHICUM.

℞ *Foliorum abſinthii* & *menthæ* ana drachm. duas. *Cinnamomi* & *caryophyllorum* ana drachm. unam. Omnium pulvis carpto goſſypio excipiatur, & geminis linteis interſutus in ſcuti formam concinnetur.

℞ *Tacamahacæ* ſemi-unciam. *Balſami peruviani* drachm. unam. Liquefacta ſubigantur. Et fiat ſcutum ſcrobiculo cordis admovendum. Ad cardialgiam.

℞ *Radicum ireos florentinæ* & *angelicæ* ana drachmam unam. *Foliorum menthæ* & *abſinthii* ana manipulum ſemis. *Caryophyllorum* ſcrupulum unum. Fiat omnium pulvis craſſiuſculus carpto goſſypio excipiendus, quocum & panno ſericeo interpuncto fiat ſacculus ſuprà regionem epigaſtricam geſtandus.

SACCULUS STOMACHICUS.

℞ *Foliorum abſinthii* & *menthæ* ana manipulos duos. *Cinnamomi* ſemi-unciam. Contunde; & fiat ſacculus cancellatim interſutus, atque *oleo roſaceo* immergendus; qui regioni epigaſtricæ calidè imponitur. Ad vomitum & diarrhœam.

℞ *Menthæ*, *abſinthii* & *roſarum rubrarum* ana manip. ſemis. Pulverata ſacculo includantur, qui *vino auſtero* calidiſſimo immergitur & ſcrobiculo cordis admovetur.

℞ *Caryophyllorum; nucis moſchatæ; cinnamomi* ana drachm. duas. *Seminis feniculi* & *abſinthii* ana drachm. unam. Miſce. Fiat pulvis ſacculo includendus & vino calido immergendus.

℞ *Radicis angelicæ; calami aromatici* ana drachmas duas. *Foliorum ſiccorum menthæ* & *abſinthii* ana drachmam unam. *Seminis coriandri* pugillum unum. *Cinnamomi* & *caryophyllorum* ana ſemi-drachmam. Miſce. Fiat

pulvis carpto goſſypio excipiendus; & in ſacculum ſericeum interpunctatum immittendus. Suprà regionem ſtomachi geſtetur.

EMPLASTRUM STOMACHICUM.

℞ *Diabotani* unciam ſemis; *camphoræ* & *opii* ana grana quatuor, vel octo. *Balſami peruviani* q. ſ. Fiat emplaſtrum regioni epigaſtricæ admovendum; diù gerendum, & reficiendum dùm labitur. Valet in cardialgiâ.

℞ *Labdani* unciam ſemis; *opii* & *camphoræ* ana grana duodecim. Miſce. Fiat ex arte emplaſtrum. Ad compeſcendum vomitum ſub colicâ ſaturninâ.

LINIMENTUM VERMIFUGUM.

℞ *Fellis bubuli; aloës* ana drachm. unam. *Unguenti de althæâ* unciam unam. Miſce ex arte.

℞ *Olei rutæ; fellis taurini* ana unciam unam. *Aloës* & *theriacæ* ana ſemi-unciam. *Succi abſinthii* drachm. duas. *Ceræ* q. ſ. Ad linimentum.

℞ *Unguenti de arthanitâ; olei myrrhæ* ana unciam unam. Miſce. Fiat linimentum, quo totum abdomen inungatur.

℞ *Aloës hepaticæ* libram unam; *myrrhæ electæ* uncias duas; *thuris* unciam ſemis. Miſce, ac diſtilla in arenâ leni igne; ad linimentum quo vermes enecantur, & alvus ſolvitur.

CATAPLASMA VERMIFUGUM.

℞ *Fuliginis; aloës* ana ſemi-unciam. *Fellis bovilli* drachmas duas. *Succi abſinthii* q. ſ.

EMPLASTRUM VERMIFUGUM.

℞ *Unguenti de arthanitâ* ſemi-unciam. *Aloës* & *trochiſcorum alhandal* ana ſemi-drachmam. *Fellis taurini* q. ſ. Ad conſiſtentiam.

LINIMENTUM DIURETICUM.

℞ *Olei ſcorpionum* & *lini* ana ſemi-unciam. *Olei terebinthinæ* drachmas duas. Miſce pro litu, quo calidè inungatur regio pubis.

CATAPLASMA DIURETICUM.

℞ *Ceparum albarum* ſemi-libram. Contunde cum *olei amygdalarum dulcium* q. ſ.

℞ *Foliorum parietariæ* manip. duos. *Cerefolii* manip. unum. Inciſa coque ad mollitiem in aquæ q. ſ. Pulpæ trajectæ adde *butyri recentis* uncias duas. *Olei ſcorpionum* unciam unam. Miſce ad cataplaſma.

℞ *Foliorum hyoſcyami* manipulos duos. Contunde, & coque cum *lacte* ad conſiſtentiam cataplaſmatis; cui adde *ovi vitellos* numero duos. Ad ſtranguriam.

ABDOMINALIA.

FOTUS EMOLLIENS.

℞ *Foliorum althææ* & *parietariæ* ana manipul. tres. *Florum chamæmeli* manip. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libras ſex. Pro fotu.

℞ *Foliorum malvæ* & *acanthi* ana manip. duos. *Florum chamæmeli* & *ſambuci* ana manip. unum. *Seminum fenugræci* ſemi-unciam. Bulliant in aquæ libris tribus, ad duas.

FOTUS REFRIGERANS.

℞ *Aquæ buglоſſi* & *cichorii* ana libram unam. *Oxycrati* ſemi-libram. Miſce. Fiat fotus. Vel oxycratum ſolum uſurpetur.

℞ *Foliorum acetoſæ, lactucæ* & *cichorii* ana manip. tres. *Florum papaveris rhœados* & *nymphææ* ana manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor. Colaturæ adde *aceti optimi* ſemi-libram.

LINIMENTUM DEMULCENS.

℞ *Axungiæ humanæ* unciam unam. *Camphoræ* drachm. unam. Fiat ex arte linimentum. Ad inflammationem abdominis.

FOTUS AD TYMPANITIDEM.

℞ *Salis nitri* uncias duas. *Salis ammoniaci* unciam unam. Diſſolve in *aquæ vitæ* libris duab. Fiat fotus tepidè admovendus; & pluriès iterandus.

LINIMENTUM CATHARTICUM.

℞ *Unguenti de arthanitâ* drachmas duas. *Fellis taurini* drachmam unam. Miſce. Fiat linimentum quo inungatur umbilicus.

℞ *Aloës* drachmas duas. *Fellis bubuli* drachm. unam. *Diacrydii* ſcrupul. unum. *Butyri* q. ſ.

CATAPLASMA CATHARTICUM.

℞ *Foliorum nicotianæ* ab unciis duabus ad ſex. Contunde cum *aquæ vitæ* & *aceti* ana q. ſ. Ad cataplaſma umbilico admovendum.

EMPLASTRUM HYSTERICUM.

℞ *Galbani* drachmas tres. *Tacamahacæ; caſtorei* ana drachmas duas. Liquatis & mixtis, adde *olei ſuccini* q. ſ. Ad epithema umbilico imponendum.

COMMENTARIA.

(1.) Emplastrum stomachicum è terebinthinâ, tacamahacâ, maſtiche, labdano, ſtyrace & benzoino; oleis ſtillatitiis menthæ, juniperi & abſinthii; caryophyllis & nuce moſchatâ, quibus accedit opium, conflatur. Scrobiculo cordis appoſitum ventriculi vires refocillat; vomiturientibus ſolatio eſt; ſingultum fugat; dolores compeſcit; & flatulentiæ opitulatur.

(2.) *Unguentum de arthanitâ*, ſeu de cyclamine, vix numeranda ingredientia recipit, inter quæ eminent præter ſuccum cyclaminis & cucumeris ſylveſtris; colocynthis, turpethum, ſcammonium, aloë, euphorbium, myrrha, fel taurinum, zingiber, piper, &c. Hoc illinitur infantum, vel adultorum abdomen, ut alvus ſolvatur: nec inefficax cenſeri debet, cùm vomitum quandóque moveat; imò & graviora nonnunquàm ſymptomata excitet; adeò ut haud inconſultò ad hocce topicum confugere liceat.

(3.) *Oleum ſcorpionum* è coctione horumce inſectorum viventium in oleo amygdalarum amararum, in quo ſervantur; vel juxtà nonnullos è ſimplici horum ſuffocatione & maceratione in oleo olivarum, paratur. Extùs admotum iſchuriæ tùm renali, tùm veſicari opem ſæpiùs confert: ad hoc opus illinuntur lumbi, vel regio hypogaſtrica; quod pluriès, ſi nil obſtet, iterare licet. Minime reticendum aliud in nonnullis officinis proſtare oleum ſcorpionum, nempè compoſitum, quod tantam rerum aromaticarum, amararum, vulnerariarum, & adſtringentium farraginem recipit, ut à perſpectâ formulâ, nil de viribus inferre liceat: ſed exolevit hocce topicum, in variolis & febribus mali moris, olim celebratiſſimum; non ſecùs ad morſum animalium venenatorum: huic etiam adſcribebatur vis vermifuga.

(4.) *Oleum formicarum* è ſimplici horumce inſectorum digeſtione per quadraginta dies, radiis ſolaribus, emergit. Egregiâ vi diureticâ inſtruitur: ideò conducit præmiſſis præmittendis, ſub ſuppreſſo vel retento lotio; ſi lumbi vel pubis hoc inungantur. Haud iners eſſe hocce topicum abundè probatur ab actione quam nonnunquàm exerit, non ſecùs ac cantharides, in ipſamet genitalia.

(5.) *Nicotiana* major (& minor), C. B. pin. (*Tabac*).

Folia ſicca notiſſima, in decocto, pro enematibus ſtimulantibus, vel antiapoplecticis uſurpare licet, à drachm. duabus, ad ſex. Cautè tamen cum hocce remedio mercari expedit; quod aliàs haud niſi in caſu urgentiori præcipitur. È prædictis foliis paratur infuſum vel decoctum, lotionis inſtar, conducibile ad achores & phthiriaſim, herpetem, pruritum, &c. Inſuper nemo neſcit quòd ex hiſce maſticatis copioſus allicia-

tur ſalivæ fluxus cum magno pituitoſorum levamine. Nec minùs notus eſt uſus pulveris naribus attracti, corporibus humidis, variiſque defluxionibus obnoxiis proficuus. Salubriorem effectum edit fumus fiſtulâ congruâ hauſtus; cujus ſuctio obeſis prodeſt, & oris defluxiones arcet; dummodò tamen certis cancellis contineantur fumiphili: aliàs haud levem noxam infert; præſertim calidâ vel biliosâ temperie donatis. Nec innocuus eſt pulvis nicotianæ naribus attractus cui occultum virus à quibuſdam adſcribitur. Si nicotianæ folia à drachmis duabus ad quatuor, contrita, & cum aquâ vitæ ſubacta regioni epigaſtricæ, cataplaſmatis inſtar apponantur; vomitum movent: quod, cæteris modis deficientibus, nonnunquàm proficuum fuiſſe conſtat. Fumus demùm tabaci per inſtrumentum, à pluribus delineatum, in anum inflatus conducit in alvi pertinaciſſimâ obſtructione.

(6.) *Petroleum*, vel naphtha, eſt fluidum minerale graveolens, ruſum & nigricans, bituminoſum, & aquâ ponderoſius, nunc è fiſſuris rupium ſponte fluens; nunc aquis variorum fontium, vel puteorum ſupernatans; cujus majorem ſuppeditant proventum Italia, Gallo-Provincia & Aquitania. Intùs aſſumptum à guttis ſex, ad duodecim; vel regioni pubis, linimenti inſtar, admotum, menſes movet & hyſtericis auxiliatur. Pro vermifugo etiam eximio, reſpectu infantum habetur, licèt per os exhibeatur à guttis duabus ad ſex; vel abdomen hoc illinatur. Inſuper vi roborante & reſolvente inſtruitur; & proſperè, velut linimentum, membris paralyticis imponitur. Nil fortè proſtat efficacius ad enecandos vermes, ulcera narium, aliarumve partium defœdantes. Poſtremò, non ſecùs ac olea eſſentialia plantarum, cariei dentium admovetur; ſed paucis arridet illud remedium fœtidiſſimum. Aliæ proſtant petrolei ſpecies; album nempè & rubrum, quæ apud noſtrates nuſquam, ni fallor, in uſum medicum veniunt.

(7.) *Oleum croci* paratur maceratione calidâ per novem dies, croci, calami, myrrhæ & cardamomi in oleo olivarum. Inter roborantia & reſolventia externa numeratur; & in anodynorum ſerie recipitur. Raro tamen uſurpatur, niſi ad uteri dolores compeſcendos; ad quod opus illinitur regio hypogaſtrica; nec infelici ſucceſſu.

(8.) *Polygonatum*, vulgò Sigillum Salomonis, J. B. (*Sceau de Salomon*). Radix adſtringendi vi pollet, & nonnunquàm intùs adhibetur in fluore albo; & in aliis diverſæ ſortis profluviis. Datur in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad duos. In decocto verò ſicca à drachmis duabus ad ſemi-unciam; pro quâque librâ liquidi. Aliâ methodo exhibetur herniofis; infunditur nempè radix recens ad uncias tres, in vini albi libras duas; & cyathus hujuſce infuſi jejuno ventriculo per quadraginta dies propinatur. Radix intereà contuſa cataplaſmatis inſtar admovetur, & conveniente ſubligaculo continetur. Nec vi reſolvente deſtituitur in vino macerata; cur fit ut non ſolùm laudetur in contuſionibus & ſuggillationibus; ſed etiam adverſùs dolores podagricos & iſchiadicos. Poſtremò paratur decoctum, lo-

tionis detergentis inſtar ad maculas faciei, herpetis, alioſque affectus cutaneos uſurpandum.

(9.) *Emplaſtrum regium ad herniam*, vulgò (*Emplâtre du Prieur de Cabrieres*), è pice navali, terebinthinâ, maſtiche, labdano, nuce cupreſſi, aliiſque adſtringentibus conficitur; & ceu ſpecificum ad herniam celebratur, dummodò congrua faſciatio impediat quominùs inteſtinum iterùm prolabatur. Nec minùs deprædicatur ſub luxationibus; repoſito ſcilicèt oſſe, & debitâ deligatione coercito.

GENITALIA RESPICIENTIA.

Summè diſcrepant medicamina in hancce claſſem collecta; cùm non ſolùm abſimilibus morbis dicentur; ſed etiam diverſas partes ſpectent, ſcrotum nempè, penem externum, urethram, vaginam, & ipſummet uterum. Scroto imponuntur reſolventia, repercutientia, & antiputrida; quorum ſelectiora, uſuque magis recepta ſeorſim exhibemus. Peni verò admovenda è demulcentibus & cathæreticis depromi ſolent. Urethræ injiciuntur demulcentia, detergentia, vel adſtringentia; quibus addere licet antivenerea, panaceam nempè, & aquilam albam. Huicce etiam canali in varium finem immittuntur cereoli; ut ſcilicèt anguſtior dilatetur; ut abſumantur hyperſarcoſes quibus nonnunquàm obturatur; ut detergantur demùm & agglutinentur ulcera inibi deliteſcentia. È quolibet ſparadrapo ſuprà marmor volvendo, longitudine ſex aut duodecim pollicum, & craſſitie calami ſcriptorii; aut ex ellychnio, non ſecùs ac filum ceratum vulgatiſſimum, conficiuntur. Hiſce baſim præbent cera, oleum, axungia, pix & terebinthina; variaque unguenta & emplaſtra quibus adduntur diverſi pulveres exſiccantes, cathæretici, &c. qui in varium finem comparantur. Horum ſeriem exhibemus; ſed nonnulla duntaxàt cereolorum exempla, inſtar omnium, tradimus, ut alia cujuſcumque indolis pro rerum conditione parari queant. Poſtremò vaginæ & utero proſpiciunt injectiones, peſſaria & ſuffitus: injectiones anodynas, detergentes & adſtringentes ſigillatim luſtrabimus: nemo neſcit peſſaria duplicis ſortis conflari, ſimplicia nempè è ſubere, aut quâvis aliâ materiâ cerâ obductâ, ad præcavendum imminentem vaginæ, uterive prolapſum, vel è variis ſubſtantiis ſtimulantibus quorum ope ſollicitantur catamenia. Nec in alium ſcopum parantur ſuffitus è variis gummi-reſinoſis, quibus obiter inhærebimus, ne futile & faſtidioſum emergat opus.

GENITALIA RESPICIENTIA.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Resolventia Scrotum reſpicientia audiunt radices rapæ & napi, bryoniæ, ariſtolochiæ, apii & cucumeris ſylveſtrium, ireos florentinæ. Folia agrimoniæ, eupatorii, ſalviæ, menthæ, rutæ, cicutæ, anethi. Flores ſambuci, chamæmeli, meliloti. Farina ſecalina.... Vinum. Aqua florum ſambuci. Aqua calcis.... Unguentum neapolitanum. Cinnabaris ad ſuffitum. ... Emplaſtrum de ranis vel de Vigo ([1]); diachylon. *Repellentia Scroto* dicata ſunt oxycratum. Oxymel... Farina fabarum. Cimolia cultrariorum ([2]). Inter *Antiputrida Scroto* admovenda numerantur folia ſcordii, rutæ, abſinthii. Flores ſambuci.... Vinum. Spiritus vini camphorati. Theriaca.

Demulcentium reſpectu *Penis*, ordinem ſubeunt oleum amygdalarum dulcium, hyperici.... Oleum ovorum. Axungiæ. Cerata. *Cathæretica ergà Penem* dicuntur pulvis ſabinæ. Alumen uſtum.... Præcipitatus albus & ruber. *Demulcentia Urethræ* dicata ſic ſe habent; Decoctum althææ. Lac vaccinum, aliudve.... Infuſum florum malvæ, & verbaſci.... Oleum amygdalarum dulcium, &c. *Detergentia pro Urethrâ* audiunt agrimonia, alchymilla, hypericum. Ariſtolochia.... Roſæ rubræ. Hordeum. Mel. Tuthia.... Balſamum peruvianum. Therebinthina. Balſamum Commendatoris, aqua golardiana. Inter *Adſtringentia reſpectu Urethræ* recenſentur radix biſtortæ. Plantago. Equiſetum.... Roſæ rubræ. Balauſtia. Sumach.... Cortex granatorum. Lignum lentiſci. ... Syrupus cydoniorum, &c. *Pro cereolis conficiendis* adhibentur cera. Oleum. Axungia. Pix. Terebinthina.... Unguentum roſatum, de althæâ, populeum, fuſcum, baſilicum, neapolitanum.... Emplaſtrum de mucaginibus, de ſpermate ceti, de minio, diachylum, diabotanum, norimbergenſe, de ranis cum mercurio, &c.... Pulvis ariſtolochiæ, ſabinæ, oſtreorum, ceruſſæ, tuthiæ, lithargyri, cinnabaris, æruginis, vitrioli.... Sal Saturni. Præcipitatus albus vel ruber. Sublimatum corroſivum.

Inter *Anodyna Vaginæ* proſpicientia locum obtinent ſerum lactis. Sperma ceti.... Opium. Succus ſolani. *Detergentia pro ſinu pudoris* audiunt radix ariſtolochiæ. Agrimonia. Summitates hyperici. Roſæ rubræ. Hordeum.... Mel. Balſamum Copahu, &c. *Adſtringentia Vaginam* reſpicientia, ſunt radices biſtortæ & tormentillæ.... Balauſtia. Cortex granatorum... Sanguis draconis. Alumen.... Spiritus vitrioli. Aqua ſtyptica. *Pro peſſariis*, uſurpantur radix ariſtolochiæ. Folia ſabinæ. Crocus.... Camphora. Caſtoreum. myrrha. Aloe.... Oleum rutæ ([3]), ſuccini ([4]). Ad *Suffitum uterinum*, adhibentur galbanum ([5]). Aſſa fœtida. ([6]).... Bdellium ([7]).... Succinum, &c.

MAGISTRALIA,

GENITALIA RESPICIENTIA.

MAGISTRALIA.

FOTUS RESOLVENS AD SCROTUM.

℞ F*OLIORUM menthæ* & *ſalviæ* ana manipulum unum. *Florum lavandulæ* manip. ſemis. Coque in vini q. ſ. ad libras duas. Colaturæ adde *ſpiritûs vini* unciam unam. Ad hydrocelem.

℞ *Radicum ariſtolochiæ rotundæ* & *cucumeris ſylveſtris* ana unciam unam. *Foliorum rutæ* & *anethi* ana manipulum unum. *Florum ſambuci* manipulum ſemis. Coque in *vini albi* q. ſ. ad libras quatuor pro fotu. Ad œdema ſcroti.

℞ *Aquæ florum ſambuci*; *aquæ calcis* ana libram unam. Miſce. Ad idem.

℞ *Radic. ireos florentinæ* & *liliorum* ana uncias duas. *Florum chamæmeli* & *meliloti* ana manipulum unum. Coque in *vini rubri* q. ſ. ad libras duas. Pro fotu ad phlogoſim teſtium.

CATAPLASMATA REPELLENTIA AD SCROTUM.

℞ *Farinæ fabarum* libram unam. Coque in *oxycrati* q. ſ. ad conſiſtentiam.

℞ *Terræ cimoliæ*, quæ infrà cotem cultrariorum colligitur, libram unam. Calefacta ſimplex vel *butyro* excepta, inſtar cataplaſmatis, admoveatur.

CATAPLASMATA RESOLVENTIA AD SCROTUM.

℞ *Farinæ ſecalinæ* libram unam. Coque in *oxymellis ſimplicis* q. ſ. ad œdema.

℞ *Radic. bryoniæ* & *liliorum* ana uncias duas. *Foliorum althææ* & *mercurialis* ana manipulum unum. Coque in aquæ q. ſ. ad putrilaginem. Contuſis & per cribrum trajectis; adde *farinæ ſeminum lini* unciam unam. *Olei chamæmeli* q. ſ. Fiat cataplaſma tumenti ſcroto admovendum.

SUFFITUS RESOLVENS AD SCROTUM.

℞ *Cinnabaris factitiæ* drachmam unam. Projice in igniarium, vel laminam ferream ignitam; & fumus excipiatur in ſedili perforato. Ad phlogoſim teſtium poſt ſuppreſſam gonorrhœam.

CATAPLASMA ANTIPUTRIDUM.

℞ *Foliorum ſcordii* & *rutæ* ana manipulum unum. *Summit. abſinthii*;

GENITALIA RESPICIENTIA.

florum ſambuci ana manip. ſemis. *Micæ panis* uncias duas. Coque in *vini albi* q. ſ. Pulpæ trajectæ adde *theriacæ* ſemi-unciam. *Spiritûs vini camphorati* unciam unam. Miſce. Fiat cataplaſma ſcroto gangrænoſo admovendum.

LINIMENTUM AD FISSURAS PENIS.

℞ *Ceræ albæ* ſemi-unciam. *Olei amygdalarum dulcium* unciam unam. Liqueſcant ſimul; & adde *balſami peruviani* ſemi drachmam. Miſce.

℞ *Olei hyperici; ovorum* ana ſemi-unciam. *Axungiæ ſuillæ* uncias duas. *Terebinthinæ venetæ* drachmam unam. Miſce pro litu.

UNGUENTUM CATHÆRETICUM AD PENEM.

℞ *Unguenti baſiliconis* unciam unam. *Præcipitati rubri* drachmam unam. Miſce. Pro ulceribus cancroſis pudendorum.

℞ *Præcipitati rubri*; *aluminis uſti*; *pulveris ſabinæ* ana grana quindecim. *Unguenti baſiliconis* drachmam unam. *Ovi vitelli* q. ſ. ad conſiſtentiam unguenti, quo tangantur porri & verrucæ.

INJECTIO AD URETHRAM.

℞ *Decocti ligni lentiſci* uncias duodecim. *Mellis narbonenſis* uncias duas. *Mercurii dulcis* drachmam unam. Miſce; & tepidè injiciatur. Ad gonorrhœam.

℞ *Trochiſc. alborum Rhaſis* drachmas duas. *Camphoræ* ſcrupulum unum. Solvantur in *aquæ ſperniolæ* uncias duodecim. Ad detergendum. Simili ratione uſurpatur aqua golardiana.

℞ *Foliorum agrimoniæ* & *equiſeti* ana manipulum ſemis. *Balauſtiorum* pugillum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad uncias duodecim. Colaturæ adde *aquæ calcis* uncias tres. *Syrupi cydoniorum* uncias duas. *Balſami Commendatoris* guttas viginti. Pro gonorrhœâ.

℞ *Aquæ plantaginis* & *roſarum* ana uncias quatuor. *Vini albi* uncias duas. *Tuthiæ præparatæ*, *trochiſcorum alborum Rhaſis* ana drachmam unam. Miſce pro injectione. Ad ſeminis profluvium.

CEREOLI.

℞ *Ceræ flavæ* uncias decem. *Olei roſati* & *ſpermatis ceti* ana uncias duas. *Unguenti de ceruſsâ* uncias quatuor. È liquatis & mixtis intingantur linteamina, è quibus conficiuntur candelæ.

℞ *Ceræ flavæ* uncias duodecim. *Terebinthinæ venetæ* unciam unam. È liquatis ungantur ellychnia. Ad cereolorum confectionem.

℞ *Ceræ albæ* & *picis Burgundiæ* ana uncias quatuor. *Olei amygdalarum*

dulcium uncias duas. *Unguenti fuſci* & *emplaſtri de Vigo* ana unciam unam & ſemis. Parentur candelæ ut ſuprà.

Genitalia reſpicientia.

℞ *Emplaſtri de Vigo cum mercurio*, & *diachyli* cum gummis ana uncias ſex. Liquentur ſimul & impregnentur linteamina ut ſuprà.

℞ *Emplaſtri diachyli* uncias duas. *Emplaſtri de mucilaginibus* ſemi-unciam. Quibus liquatis & mixtis adde *præcipitati albi* drachmas tres; & ſimili proceſſu conficiantur candelæ. Quarum omnium è perſpectis ingredientibus facilè innoteſcunt vires.

℞ *Ceræ flavæ* libram unam; *aceti ſaturnini extemporanei* unciam ſemis. Igne lento liqueſcant, & cum ſpatulâ ligneâ accuratè miſceantur. Dein ex arte immerguntur lintea, è quibus conficiantur cereoli.

℞ *Ceræ* libras ſex; *ſebi vervecini* libram ſemis. Solutis adde *aceti ſaturnini* juxtà methodum golardianam uncias quatuor. Miſce ſemper agitando ut impregnentur lintea ad cereolorum confectionem.

INJECTIO UTERINA SEDANS.

℞ *Succi ſolani hortenſis* depurati uncias quatuor. Tepidè injiciatur. Vel adde urgente dolore *opii* à granis duobus ad quatuor.

INJECTIO DETERGENS UTERINA.

℞ *Decocti hordei*; *ſeri lactis* ana uncias tres. *Mellis roſati* uncias duas. Miſce pro injectione.

℞ *Hordei integri* pugillum unum. *Foliorum ſaniculæ* & *agrimoniæ* ana manipulum unum. *Summit. hyperici* pugillum unum. Coque in ſ. q. aquæ ad libram unam. Colaturæ adde *mellis roſati* uncias duas. Miſce pro injectione uterinâ.

℞ *Radicum ariſtolochiæ rotundæ* uncias duas. Coque in aquæ librâ unâ. Sub finem adde *roſarum rubrarum* manipulum unum. Colaturæ adde *mellis roſati* unciam unam. *Balſami Copahu* ſemi-drachmam. Miſce. Fiat injectio tepidè adhibenda.

INJECTIO ADSTRINGENS UTERINA.

℞ *Radic. biſtortæ* & *tormentillæ* ana unciam unam. *Malicorii* & *balauſtiorum* ana ſemi-unciam. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *ſanguinis draconis* ſemi-unciam. *Aluminis pulverati* drachmas duas. Miſce. Fiat injectio; cui addere licet ſub caſu urgentiori *ſpiritum vitrioli*, vel *aquam ſtypticam*.

SUFFITUS UTERINUS.

℞ *Pulveris ſuccini*, & *ſeminum hyoſcyami* ana pugillum unum. Pro-

jice in ignem, & fumus ope infundibuli vaginâ excipiatur. Ad compeſcendos uteri dolores.

PESSARIUM.

℞ *Myrrhæ* & *aloës* ana drachmam unam & ſemis. *Ariſtolochiæ rotundæ* drachmam unam. *Succi mercurialis* q. ſ. omnia goſſypio excipiantur; & fiat peſſarium ad molem digiti; quod panno ſericeo involutum immittitur intrà ſinum pudoris. Ad menſes ſuppreſſos.

℞ *Sabinæ* ſemi-unciam. *Myrrhæ; croci orientalis* ana drachmam unam. *Camphoræ* & *caſtorei* ana grana ſex. Miſce. Fiat pulvis quo ſacculus impleatur: hæc etiam excipi queunt *oleo ſuccini*, vel *rutæ*, ut conficiatur peſſarium; filo appenſum ut faciliùs extrahi poſſit.

℞ *Myrrhæ* & *aloës* ana drachmas duas. *Caſtorei* drachmam unam. *Gentianæ*, *dictamni cretici* & *baccarum lauri* ana ſemi-drachm. Trita in pollinem tenuiſſimum melle excipiantur; ut conficiatur peſſarium ſyndone rarâ obducendum. Ad movendos menſes. Addere licet *ſabinæ* drachmam unam pro retentis lochiis.

COMMENTARIA.

(1.) EMPLASTRUM DE RANIS, vel DE VIGO, cum mercurio, maximâ rerum copiâ exſurgit. Primò coquuntur in vino & aceto ranæ & lumbrici, cum radicibus ebuli & enulæ, floribus chamæmeli, lavandulæ, &c. Dein ſeorſim liquantur cera & axungiæ, ſtyrax & terebinthina, cum oleis ranarum, lumbricorum, liliorum, &c. Quibus fuſis adduntur olibanum, myrrha, euphorbium & crocus, cum oleo eſſentiali lavandulæ. Tùm decocto & liquamini, ſimul mixtis, & ulteriùs coctis, adjicitur mercurius ope terebenthinæ & ſtyracis extinctus; ut ex omnibus notiſſimâ arte ſubactis emergat emplaſtrum, quod inter eximia reſolventia & incidentia haud immeritò decantatur. Ideò conducit in tumoribus cyſticis & anomalis; gummata venerea evincit; glandulis ſcrophuloſis opitulatur; &c. Poſtremò nonnunquàm adhibetur, amplitudine congruâ, ad movendam ſalivationem, vel ad oppugnandum virus venereum adhibetur; atque in hunc finem paratur cum duplicato vel quadruplicato mercurio, ut ad hoc opus efficaciùs evadat.

(2.) *Terra cimolia cultrariorum*, ob neſcio quam ſimilitudinem cum cimoliâ antiquorum, quæ ab uſu receſſit; ſic à quibuſdam ſciolis nuncupatur hæc terra è cote verſatili, dùm acuuntur cultri, decidua. Pro repellente & reſolvente habetur; ac fauſtè admovetur, teſtibus recèns tumentibus; eamdemque opem confert parotidibus; abjectâ ſcilicèt omni cunctatione: aliàs incaſsùm uſurpatur, imò & noxia evadit.

GENITALIA RESPICIENTIA

(3.) *Oleum rutæ* è ſimplici infuſione hujuſce plantæ in oleo olivarum paratur, pro uſu externo. Clyſteribus additur ad unciam unam vel alteram, tanquàm anodynum & carminans, apprimè congruum tùm in affectu hyſterico, tùm in colicâ flatulentâ. In confectione etiam peſſariorum emmenagogorum, & antihyſtericorum recipitur.

(4.) *Oleum ſuccini* ex hâcce materiâ unà cum ſale & ſpiritu volatili, notiſſimâ diſtillatione elicitur. Egregium audit antiſpaſmodicum, in affectu hyſterico vel hypocondriaco conducibile; nec inutilem opem præſtat in ipsâmet epilepſiâ, cæteriſque affectibus convulſivis. Inſuper inter balſamica etiam vulneraria & detergentia interna numeratur; nec exiguam laudem meretur in exulcerationibus pulmonum, renum & veſicæ. Doſis à guttis duabus ad ſex accedit. Poſtremò compoſitionem peſſariorum, in eumdem ſcopum paratorum nonnunquàm ingreditur.

(5.) *Galbanum* audit quoddam gummi reſinoſum in grumos condenſatum, ceræ inſtar ductile, fuſcum, amaricans & fœtens; quod ſponte fluit è plantâ quâdam orientali, umbelliferâ & fruteſcente, quam ad oreoſelini genus refert TURNEFORTIUS. Illud notatu dignum occurrit, circà hanc ſubſtantiam; quòd, non ſecùs ac reſinæ, flammam concipiat; & gummatum inſtar in aquâ ſolvatur, non verò in oleo. Nuſquàm ore ſumitur niſi præviâ quâdam præparatione, quæ ſic ſe habet: diſſolvitur nempè igne lento in vino albo, ac percolata diſſolutio evaporationi balneolo committitur; donec extracti conſiſtentiam adipiſcatur. Antihyſtericorum claſſem ſubit; in aperientium ordine collocatur; nec ipſi denegatur vis incidens: laudatur potiſſimùm ad ſuppreſſos menſes; nec inefficax eſt in fluore albo. Datur formâ pilulari à gran. quatuor ad ſcrupulum unum. Crebriùs pro uſu externo adhibetur tanquàm anodynum, emolliens, digeſtivum & reſolvens: quàpropter commendatur ad clavos pedum emolliendos vel cicurandos; atque umbilico admovetur adverſùs inſultus hyſtericos. Prunis demùm injectum præbet ſuffitum, tàm in vaginæ & uteri prolapſu; quàm in affectibus hyſtericis, menſiumque remorâ proficuum.

(6.) *Aſſa fœtida* eſt gummi reſinoſum flaveſcens & ductile, è grumis concretum, ſaporis acris & ingrati; quod tantum fœtorem, ad allium accedentem, ſpargit; ut ſtercus diaboli à nonnullis dicatur; etſi in uſum culinarem veniebat apud Veteres; tanta eſt guſtuum moroſa diverſitas. Fluit è radice ſauciatâ plantæ cujuſdam ferulaceæ, in Perſiâ, uti fertur, creſcentis. Inter ſedantia & antiſpaſmodica recenſetur, & in ſerie carminantium locum obtinet; ideò deprædicatur in affectibus hyſtericis; menſes movet & parturientes juvat; laudatur demùm in colicâ flatulentâ & tympanitide. Datur ob ſummam fœtiditatem formâ pilulari, à granis ſex, ad ſemi-drachmam. Quoad vires externas; inter emollientia & reſolventia haud infimum gradum ſibi vindicat: ſed familiariùs uſurpatur ad ſuffitum, qui hyſtericis ſuccurrit; egregiéque confert ad menſes movendos; & ad reſtituendum laxioris vaginæ tonum.

(7.) *Bdellium* eſt gummi-reſinoſum, flammam concipiens, & ad myr-

Genitalia respicientia.

rham proximè accedens, odorum & nonnihil amaricans, pellucidum & ſubrubrum, vel coloris ferruginei ſubnigricantis, è granis concretum. Spontè fluit è quâdam arbore ſpinosâ indicâ vel arabicâ; de quâ nil certi traditur. Inter roborantia interna recenſetur; in vulnerariorum claſſi recipitur; vis pectoralis & incidens ipſi adſcribitur; ac inter aperientia & emmenagoga numeratur. Conducit in pulmonum, renum & veſicæ exulcerationibus; atque nonnullis aſthmaticis auxilio eſt. Præſcribitur ſub formâ ſolidâ à ſemi-ſcrupulo ad ſemi-drachmam; ſed raró in uſum internum venit. Crebriùs foris apponitur ceu egregium emolliens, reſolvens & maturans; nec ipſi denegatur virtus vulneraria: ingreditur demùm ſuffumigia uterina.

ANUM SPECTANTIA.

IN immenſum creſceret pagina, & à propoſito aberrarem, ſi omnia medicamina inferiori gutturi proſpicientia hùc attexerem: cur ſelectiora tantùm, haud tamen numero pauca, quæ vel podici induntur; uti clyſteres & ſuppoſitoria; vel extrinſecùs ſub formâ fotûs, linimenti & pulveris adhibentur, pro inſtituti ratione tradere conſultiùs viſum fuit. Ut ab enematibus exordium capiamus; præſcribuntur refrigerantia, demulcentia, emollientia, purgantia, carminantia, anodyna, adſtringentia, detergentia, antiputrida & ſtimulantia: alia verò teneſmo, vermibus, colicæ pictorum, & nephritidi; non ſecùs ac affectioni hyſtericæ & febribus intermittentibus dicantur: quibus addere licet nutrientia, quorum materiam præbent ova, lac, juſcula, vinum, &c. quæ nuſquàm injici debent, ni priùs craſſiora inteſtina à ſcybalis planè liberentur. Diverſæ indolis etiam conficiuntur ſuppoſitoria, enematum vices nonnunquàm ſupplentia; & ideò alia ſunt ſtimulantia, vel ſeceſſum ſollicitantia; alia anodyna, vermifuga, adſtringentia, &c. uti videre eſt in noſtrâ tabulâ. Quoad cætera medicamenta externa; innumera ſanè & variæ naturæ, podici admoveri ſolent: nonnulla tamen ſunt demulcentia & adſtringentia quæ ſpecialiùs tùm hæmorrhoïdibus & teneſmo, tùm ani prolapſui ſub formâ fotûs, linimenti & ſuffitûs congruere videntur: atque hiſce cancellis continemur. Hirudines demùm (*les ſangſuës*), crebriùs ano quàm cæteris partibus apponi ſolent; non ſolùm pro ipſiuſmet partis læſionibus, ſed etiam ad varios alios morbos: quod de variis aliis topicis etiam intelligendum ſuprà monuimus.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

REFRIGERANTIA *pro clyſteribus*, ſic ſe habent, aqua vulgatior vel fontana.... Folia lactucæ, parietariæ, ſedi majoris.... Flores malvæ, & nymphææ.... Hordeum. Furfur ([1]), Semina frigida.... Nitrum. Acetum. Mel violatum ([2]). *Demulcentia*, ſimili modo uſurpanda audiunt folia verbaſci, althææ.... Semina lini. Mucilagines.... Serum lactis. Emulſiones.... Vitellum ovi. Butyrum. Olea.... Aqua pulli & juſcula pinguia. Ex *Emollientium* claſſe eruuntur radices althææ & nymphææ... Folia malvæ, althææ, mercurialis([3]), parietariæ, ſenecionis, verbaſci, &c.... Semina lini & fenugræci. Caricæ.... Lac. Butyrum. Olea. Juſcula pinguia.... Mucilagines. Gummi. Inter *Purgantia*, recenſentur mel ſimplex; & officinalia.... Senna. Fiſtula alexandrina. Gratiola ([4]). Turpethum.... Sal epſonienſe, marinum.... Catholicum. Diaphœnicum ([5]). Benedicta laxativa ([6]). *Carminantium* titulo gaudent folia hyſſopi, rutæ, pulegii, origani, menthæ, &c.... Flores chamæmeli ([7]), meliloti ([8]).... Semina aniſi, feniculi. Baccæ lauri, juniperi.... Mel anthoſatum ([9]), mercuriale ([10]). Vinum.... Oleum laurinum, rutæ, chamæmeli. Electuarium de baccis lauri. In *Anodynorum* numerum veniunt capita papaveris albi. Opium.... Vinum generoſum. Tinctura anodyna. Diacodium.... Diaſcordium. Philonium romanum ([11]). Trochiſci de karabe.... Unguentum populeum. Balſamum tranquillans. *Adſtringentium* vires obtinent equiſetum. Cortex granatorum. Roſæ rubræ. Balauſtia.... Diaſcordium. Theriaca.... Trochiſci de karabe & alia anodyna. Pro *Detergentibus* habentur folia agrimoniæ, ſcordii, hyperici, centaurii minoris... Roſæ rubræ. Hordeum. Furfur.... Vitellum ovi. Lac. Urina. Juſculum omaſorum.... Mel ſimplex & roſatum.... Saccharum vulgare, & roſatum rubrum ([12]).... Terebinthina vulgaris. Aquæ thermales. *Antiputridorum* claſſem ſubingrediuntur vinum generoſum rubrum.... Scordium. Abſinthium. Centaurium minus, &c.... Hordeum. Saccharum rubrum.... Oleum nucum. Terebinthina.... Unguentum ægyptiacum. Theriaca. In *Stimulantium* cenſu locum merentur ſalvia. Betonica. Origanum. Serpillum, &c.... Acorus. Cardamomum. Pyrethrum. Turpethum... Sal gemmeum. Euphorbium.... Nicotiana. Agaricus. Colocynthis.... Vinum emeticum turbidum.

Enemata ad *teneſmum* ingredi ſolent radix ariſtolochiæ rotundæ. Summitates hyperici.... Gummi tragacanthum. Terebinthina.... Sperma ceti. Vitellum ovi. Vinum.... Mucilagines. Oleum hyperici.... Diaſcordium. Diacodium. Trochiſci de karabe. *Vermifugorum* gradum aſſequuntur lac & ſerum lactis... Folia gratiolæ, abſinthii, centaurii mi-

ANUM SPECTANTIA.

noris, tanaceti.... Semen ſantonicum. Radix filicis. Ad *Colicam ſaturninam*, uſurpantur vinum. Oleum nucum.... Mel mercuriale. Diaphœnicum. *Anti-nephritica* audiunt decocta emollientia. Lac & mel.... Oleum nucum. Terebinthina.... Capita papaveris albi, cæteraque anodyna. Theriaca. *Anti-hyſtericorum* claſſem ſubeunt folia rutæ, vulvariæ ([13]), matricariæ, tanaceti, alliariæ.... Camphora. Oleum rutæ. Tinctura caſtorei.... Mel mercuriale & anthoſatum. Benedicta laxativa. Pro *Febrifugis* habentur cortex peruvianus. Plantæ amaræ & aromaticæ.... Capita papaveris albi; cæteraque anodyna. *Stimulantia pro ſuppoſitoriis*, ſunt porrum. Mercurialis. Beta.... Lardum. Sapo. Mel coctum.... Sal gemmeum, & ammoniacum. Euphorbium.... Jalapa. Agaricus. Aloë. Colocynthis, vel trochiſci alhandal. Inter *Anodyna* ſimili formâ adhibenda recenſentur cera. Sebum. Mel coctum.... Crocus. Caſtoreum. Opium. È *Vermifugorum* claſſi eruuntur ſuccus abſinthii. Fel bubulum.... Colocynthis. Aloë. *Adſtringentia* ſimili ratione uſurpanda ſunt galla. Cortex granatorum. Semen ſumach.... Maſtiche. Sanguis draconis. Inter *Demulcentia externa*, locum obtinent folia malvæ, althææ, verbaſci ([14]), linariæ ([15]), anacampſeros, hyoſcyami, ſedi majoris.... Crocus. Semina lini & cydoniorum.... Vitellum & oleum ovi. Opium. Sal Saturni.... Oleum lini, chamæmeli, hyoſcyami.... Ceratum Galeni. Populeum. Balſamum tranquillans. Pro *Roborantibus externis* habentur ſemen ſumach. Cortex granatorum. Galla. Lignum lentiſci.... Maſtiche. Colophonia. Catechu. Sanguis draconis.

MAGISTRALIA.

ANUM SPECTANTIA.

MAGISTRALIA.

CLYSTER REFRIGERANS.

℞ *AQUÆ communis* libram unam. *Aceti optimi* uncias duas. Miſce.

℞ *Seri lactis* q. ſ. *Nitri purificati* drachmas duas. *Mellis roſati* unciam unam.

℞ *Decocti hordei* libram unam. *Aceti* unciam unam. *Nitri* drachmas tres. Miſce.

℞ *Foliorum lactucæ* & *ſedi majoris* ana manip. unum. *Florum nymphææ* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *mellis violacei* uncias duas.

℞ *Hordei integri* manip. unum. *Foliorum malvæ* & *lactucæ* ana manip. unum. *Seminum frigidorum majorum* contuſorum, in nodulo, unciam unam. Bulliant in aq. q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *pulpæ caſſiæ*; *mellis violacei* ana unciam unam.

CLYSTER DEMULCENS.

℞ *Aquæ pulli* libram unam. *Butyri recentis*, vel *olei amygdalarum dulcium* uncias duas. Miſce.

℞ *Lactis caprini* libram unam. *Mucaginis ſeminum cydoniorum* uncias duas. *Mellis roſati* uncias tres.

℞ *Caput vervecinum*, demptis linguâ & cerebro. Confringe & coque in aq. q. ſ.

℞ *Olei amygdalarum dulcium* & *ſeminum lini* ana ſemi-libram. *Mucaginis ſeminum cydoniorum* cum lacte extractæ uncias quatuor. Miſce pro enemate.

℞ *Juſculi omaſorum* libram unam. *Olei amygdalarum dulcium*, vel *mellis roſacei* uncias duas. Vel ſolum juſculum uſurpatur, cum uno aut altero ovi vitello.

℞ *Liquiritiæ raſæ* & *contuſæ* ſemi-unciam. *Seminis lini contuſi* unciam unam. *Foliorum malvæ* manipul. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *medullæ caſſiæ* unciam unam. *Olei liliorum* uncias duas. Miſce.

℞ *Florum malvæ* & *violæ* ana manip. ſemis. Infunde in *juſculi pulli* ferventis librâ unâ. Colaturæ adde *butyri inſulſi* uncias duas.

CLYSTER EMOLLIENS.

℞ *Decocti emollientis enematum* libram unam. Adde *olei amygdalarum*

ANUM SPECTANTIA.

dulcium uncias duas. Neminem fugit proſtare in officinis decoctum emolliens; ut enemata ex tempore parari queant. Hoc pro libito ingrediuntur malva, althæa, beta, parietaria, mercurialis, viola, acanthus, &c.

♃ *Furfuris macri; foliorum malvæ* & *parietariæ* ana manipulum unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *mellis communis* uncias tres.

♃ *Foliorum malvæ; ſeminum lini* & *furfuris* ana manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *butyri recentis* uncias duas.

♃ *Radic. althææ* unciam unam. *Folior. ejuſdem* & *mercurialis* ana manipulum ſemis. Colaturæ adde *mellis mercurialis* uncias duas.

♃ *Folior. parietariæ* & *althææ* ana manip. unum. *Florum chamæmeli* manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *butyri recentis* uncias duas.

♃ *Foliorum malvæ* & *violæ* ana manip. unum. *Florum nymphææ* manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ diſſolve *pulpæ caſſiæ* unciam unam: *olei amygdalarum dulcium* uncias duas.

CLYSTER LAXANS.

♃ *Decocti emollientis* libram unam. *Catholici* unciam unam. *Olei olivarum*, vel *mellis mercurialis* uncias duas. Addere licet *ſalis cathartici amari* ſemi-unciam.

♃ *Fiſtulæ alexandrinæ* contritæ uncias ſex. *Foliorum violæ* & *malvæ* ana manipul. unum. Bulliant in ſ. q. aquæ ad libram unam. Cola.

♃ *Sennæ* unciam ſemis. Coque in *decocti emollientis* librâ unâ. In colaturâ diſſolve *diaphœnici* unciam unam. *Mellis mercurialis* uncias duas.

♃ *Foliorum gratiolæ* & *althææ* ana manipulum unum. *Florum chamæmeli* manipulum ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *catholici* unciam unam.

CLYSTER CARMINANS.

♃ *Florum chamæmeli* manip. duos. *Baccarum lauri* drachm. duas. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *olei laurini* ſemi-unciam. Miſce.

♃ *Folior. hyſſopi* manip. unum. *Florum chamæmeli* manip. ſemis. *Semin. aniſi* drachm. unam. *Baccarum juniperi* drachmas duas. Coque in aquæ & vini ana q. ſ. In colaturâ diſſolve *electuarii de baccis lauri* unciam unam.

♃ *Baccarum juniperi* ſemi-unciam. *Foliorum malvæ* & *pulegii* ana manip.

ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad uncias duodecim. Sub finem adde *ſummitatum rutæ* manip. ſemis. Colaturæ adde *mellis mercurialis*; *olei rutacei* ana uncias duas. Anum spectantia.

℞ *Folior. mercurialis* manip. unum. *Florum chamæmeli* & *meliloti* ana manip. ſemis. *Semin. aniſi* drachm. unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *electuarii de baccis lauri* unciam unam.

CLYSTER ANODYNUS.

℞ *Foliorum althææ* & *verbaſci* ana manip. unum. *Capitum papaveris albi* contuſorum drachm. duas. *Seminum lini* unciam unam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad uncias duodecim. Colaturæ adde *olei amygdalarum dulcium* uncias duas.

℞ *Lactis vaccini* uncias duodecim. *Ovi vitellos* numero duos. Miſce, & adde *ſyrupi de papavere albo* unciam unam.

℞ *Mucilaginis ſeminum pſyllii* in aquâ roſarum extracti uncias duodecim. *Olei amygdalarum dulcium*, *butyri inſulſi*, ana uncias duas. Diſſolve *laudani* grana duo; vel *philonii romani* à ſemi-drachmâ ad drachmam unam.

℞ *Vini rubri*, & *olei lini* ana uncias ſex. *Olei rutæ* ſemi-unciam. *Tincturæ anodynæ* guttas triginta; vel *unguenti populei* uncias duas.

℞ *Opii* grana quatuor. Diſſolve in *aquæ papaveris rhœados* unciis decem. Adde *diaſcordii* ſemi-unciam, & *vitellum ovi*. Miſce. Fiat clyſter injiciendus tempore ſomni.

CLYSTER ADSTRINGENS.

℞ *Corticis granatorum* ſemi unciam. *Roſarum rubrarum* manip. ſemis. Coque in *lactis vaccini* q. ſ. ad libram ſemis. In colaturâ diſſolve *diaſcordii* drachmas tres.

℞ *Baccarum juniperi* uncias duas. *Roſarum rubrarum* & *florum chamæmeli* ana pugill. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad uncias duodecim. Colaturæ adde *terebinthinæ*, in ovi vitello ſolutæ, ſemi-unciam.

℞ *Diaſcordii* unciam ſemis. *Theriacæ* drachm. duas. Diſſolve & coque leviter in *lactis vaccini* q. ſ. pro duplici doſi.

CLYSTER DETERGENS.

℞ *Juris omaſorum*, vel *capitis vervecini* uncias decem. *Sacchari rubri* uncias duas. Fiat clyſter. *Urina pueri* ad eumdem uſum uſurpatur.

℞ *Lactis vaccini* libram ſemis. *Sacchari rubri* unciam unam. *Vitellos ovorum* numero duos. Miſce.

℞ *Terebinthinæ venetæ* drachmas duas. *Ovi vitellum*. Ritè tritis & permixtis adde *theriacæ* ſemi-unciam; *lactis vaccini* uncias octo. Miſce.

ANUM SPECTANTIA.

℞ *Terebinthinæ*, in ovi vitello ſolutæ, ſemi-unciam. *Mellis roſacei* unciam unam. *Lactis* uncias octo. Miſce.

℞ *Foliorum plantaginis* & *equiſeti* ana manip. unum. *Roſarum rubrarum* & *florum meliloti* ana pugill. unum. Coque in aquæ librâ unâ. Colaturæ adde *ſacchari rubri* drachmas tres, & *vitellum ovi*.

℞ *Capita papaveris albi* à drachmis duabus ad tres. Bulliant in *decocti hordei* librâ unâ. In colaturâ diſſolve *mellis roſacei* uncias duas. *Sacchari rubri* unciam unam. *Terebinthinæ*, in ovi vitello ſolutæ, drachmas tres.

℞ *Furfuris macri*; *foliorum agrimoniæ* ana manip unum. *Summitatum hyperici* manip. ſemis. Bulliant in aquæ q. ſ. ad uncias decem. Colaturæ adde *vitellum ovi*, & *mellis roſati* uncias duas.

CLYSTER ANTIPUTRIDUS.

℞ *Hordei integri* manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Sub finem adde *folior. ſcordii* & *centaurii minoris* ana manip. unum. In colaturâ diſſolve *unguenti ægyptiaci* drachmas ſex. *Terebinthinæ*, in ovi vitello ſolutæ, ſemi-unciam. Miſce.

℞ *Vini rubri* uncias duodecim. *Sacchari rubri* unciam unam. *Olei nucum* uncias tres. *Theriacæ* drachmas duas.

CLYSTER STIMULANS.

℞ *Decocti communis enematum* libram unam. Diſſolve *catholici* uncias duas. *Vini emetici turbidi* uncias tres. *Salis gemmæ* drachmas duas. Ad affectus comatoſos, & colicam ſaturninam.

℞ *Folior. ſiccor. nicotianæ* à drachmis duabus ad ſemi-unciam. Bulliant in aquæ q ſ. ad libram unam. Adde *ſalis gemmæ* drachmas duas.

℞ *Pulpæ colocynthidis*, in nodulo, à ſemi-drachmâ ad drachm. unam. *Folior. nicotianæ* drachm. unam. Coque in aquæ q. ſ. Colaturæ adde *ſalis marini* drachm. duas. *Mellis mercurialis* uncias duas.

℞ *Decocti rad. althææ* libram unam. *Colocynthidis* à drachm. unâ, ad duas. Bulliant leviter: in colaturâ diſſolve *diaphœnici* unciam unam. *Mellis mercurialis* uncias duas.

℞ *Folior. mercurialis* manip. unum. *Sennæ* & *pulpæ colocynthidis* ana drachm. duas. *Folior. nicotianæ* ſemi-drachmam. Bulliant in aquæ q ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *vini emetici turbidi* uncias duas. *Mellis mercurialis* uncias tres.

℞ *Radicis pyrethri* ſemi-unciam. *Folior. betonicæ* manip unum. *Seminum feniculi* pug. unum. *Sennæ* ſemi-unciam. *Agarici* drachm. duas. Bulliant in aquæ q. ſ. & colaturæ adde *vini emetici turbidi* unciam unam. *Diapruni ſolutivi* ſemi-unciam. Miſce.

CLYSTER AD TENESMUM.

℞ *Vini generoſi* uncias quatuor. *Syrupi de papavere albo* uncias duas

Diaſcordii drachm. duas. *Spermatis ceti* drachm. unam. *Vitellos ovorum* numero duos.

℞ *Rad. ariſtolochiæ rotundæ* ſemi-unciam. *Summit. hyperici* man. unum. Coque in q. ſ. aquæ ad libr. unam. In colat. diſſolve *terebinthinæ venetæ* in ovi vitello dilutæ; *olei hyperici* ana ſemi-unciam; *laudani liquidi* gutt. duodecim. Miſce. Fiat clyſter partitis vicibus injiciendus.

Anum spectantia.

CLYSTER VERMIFUGUS.

℞ *Radic. filicis maris* unciam unam. *Folior. abſinthii* & *tanaceti* ana manip. ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Adde *olei hyperici* unciam unam.

℞ *Lactis vaccini* libram unam. *Vitellos ovi* numero duos. *Theriacæ veteris* drachm. duas.

℞ *Gratiolæ viridis* manip. unum. *Summit. abſinthii* & *centaurii minoris* ana manip. ſemis. *Seminis ſantonici* ſemi-unciam. Coque in *ſeri lactis* q. ſ. ad ſemi-libram. Fiat clyſter. Ad aſcarides.

℞ *Rad. ariſtolochiæ rotundæ* & *gentianæ* ana unc. unam. *Fol. abſinthii* & *abrotani* ana manip. unum. Coque in aq. q. ſ. ad uncias duodecim. Colaturæ adde *lixivii communis* uncias quatuor. Fiat enema ſenſim injiciendum.

AD COLICAM SATURNINAM.

℞ *Vini rubri*; *olei nucum* ana uncias ſex. Miſce pro clyſtere.

℞ *Decocti emollientis* uncias duodecim. *Electuarii diaphœnici* unciam unam. *Vini emetici turbidi* uncias tres.

℞ *Pulpæ colocynthidis* drachm. unam. Bulliat in *vini albi* q. ſ. ad uncias octo. Adde *mellis mercurialis*; *olei nucum* ana uncias tres.

℞ *Sennæ* & *pulpæ colocynthidis* ana drachm. duas. Bulliant in *decocti emollientis* q. ſ. In colaturâ diſſolve *benedictæ laxativæ* ſemi-unciam. *Mellis mercurialis* uncias duas. *Vini emetici* unciam unam.

CLYSTER AD NEPHRITIDEM.

℞ *Decocti florum chamæmeli* uncias duodecim. *Terebinthinæ* in ovi vitello ſolutæ, *mellis communis* ana ſemi-unciam.

℞ *Lactis vaccini* uncias duodecim. *Terebinthinæ ſolutæ* unc. unam. *Theriacæ* drach. duas.

℞ *Radic. althææ* & *nymphææ.* ana unciam unam. *Folior. malvæ* manip. unum. *Seminum lini* & *fenugræci* ana ſemi-unciam. Bulliant in aquæ q. ſ. ad libram unam. In colaturâ adde *olei nucum* uncias duas. *Terebinthinæ ſolutæ* drachmas duas.

CLYSTER HYSTERICUS.

ANUM SPECTANTIA.

℞ *Folior. matricariæ & mercurialis* ana manip. unum. Coque in aquæ q. ſ. ad libram unam. Colaturæ adde *mellis mercurialis* uncias tres. *Olei rutæ* uncias duas.

℞ *Foliorum artemiſiæ & rutæ* ana manip. unum. *Seminum aniſi* pugill. unum. Bulliant in aquæ q. ſ. ad uncias decem. In colaturâ diſſolve *benedictæ laxativæ* ſemi-unciam.

CLYSTER FEBRIFUGUS.

℞ *Folior. majoranæ* manip. duos. Coque leviter in aq. q. ſ. Colaturæ adde *olei laurini* uncias tres.

℞ *Corticis peruviani* unciam unam. Bulliat in aquæ libris duabus ad dimidium. Pro clyſtere quartâ quâque horâ iterando.

℞ *Capitum papaveris albi* contuſorum drachm. duas. *Corticis peruvian* craſſiuſculè triti, à ſemi-unciâ ad unciam unam. Bulliant in aq. q. ſ. ad libram unam.

℞ *Kinækinæ* unciam unam. Coque in aquæ q. ſ. ad uncias duodecim. Colaturæ adde *theriacæ* drachmam unam; vel *diacodii* ſemi-unciam. Fiat clyſter, ſemel, vel bis, per diem injiciendus.

CLYSTER NUTRIENS.

℞ *Juſculi optimi* libram unam. *Vini generoſi* cyathum unum. *Vitellos ovorum* numero duos. Miſce. Fiat clyſter, pro rerum conditione pluriès iterandus.

℞ *Juris carnis bubulæ & caponis* libr. unam. *Cremoris hordei* libr. ſemis. *Vini generoſi* uncias quatuor. *Sacchari roſati* unciam unam. *Panis* tritici exſiccati & pulverati ſemi-unciam. *Vitell. ovorum* num. duos. Miſce pro enemate duplici vel triplici. Hæc enemata laudantur in anginâ, faucibus à tumore præcluſis; orificio ventriculi obturato; convulſione, oris paralyſi, &c. cùm ſcilicèt ægri alimenta per os aſſumere nequeunt; vel ventriculus nil retinere valet. Haud injiciuntur niſi priùs ritè depleantur inteſtina craſſiora.

SUPPOSITORIUM STIMULANS.

℞ *Mellis communis* uncias duas. *Salis marini* drachm. unam. Coque igne lento ad duritiem & formetur ſuppoſitorium, candelæ inſtar, oleo vel butyro inunctum.

℞ *Pulveris agarici; ſalis gemmæ* ana drachm. unam. Miſce. Fiat ſuppoſit. cum mellis cocti unciis duabus.

℞ *Trochiſcorum alhandal ; diacrydii* ana ſcrup. unum. *Salis gemmæ* drachm. unam. Miſce cum *mellis cocti* unciis duabus. Pro ſuppoſitoriis.

ANUM SPECTANTIA.

℞ *Mellis coctu indurati* unciam unam ; *ſalis ammoniaci* drachmam unam ; *trochiſcorum alhandal* & *radicis hellebori albi* ana ſcrupulum ſemis ; *euphorbii* grana duo. Miſce, & fiant ex arte ſuppoſitoria, numero duo, *oleo caſtorei* illinenda. Ad affectus ſoporoſos.

℞ *Aloës* & *ſalis gemmæ* ana ſcrupulum unum. *Pulveris colocynthidos* grana quindecim. *Mellis* q. ſ. coctu redigantur in ſuppoſitorium. Ad revocandum fluxum hæmorrhoïdalem.

SUPPOSITORIUM ANODYNUM.

℞ *Sebi cervini* drachmas duas. *Ceræ flavæ* drachm. unam. *Ceruſſæ* ſcrupulum ſemis. *Opii* grana tria. Miſce pro ſuppoſitoriis.

℞ *Opii ; croci* & *caſtorei* ana ſemi-ſcrupulum. Fiat cum *melle cocto* ſuppoſitorium poſt ſemi-horam retrahendum.

SUPPOSITORIUM VERMIFUGUM.

℞ *Fellis taurini*, & *ſucci abſinthii* coctione inſpiſſatorum ana ſcrupulum unum. *Myrrhæ* & *aloës* ana ſcrupul. ſemis. Miſce cum *melle cocto.*

SUPPOSITORIUM ADSTRINGENS.

℞ *Maſtiches ; ſanguinis draconis* ana ſcrup. unum. *Pulveris ſeminis ſumach* ſemi-ſcrupul. Miſce cum *melle cocto.* Ad ani prolapſum.

FOTUS DEMULCENS ET VAPOR.

℞ *Foliorum malvæ* & *verbaſci* ana manip. duos. *Semin. hyoſcyami* unc. unam. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Fiat decoctum quo foveatur podex ; vel vapor calidè excipiatur per ſellam perforatam. Ad hæmorrhoïdes tumentes & dolentes.

℞ *Fol. violæ* & *hyoſcyami* ana manip. unum. *Seminum lini* & *cydoniorum* ana ſemi-manipulum. Coque in aquæ q. ſ. ad libras duas. Pro fotu ; vel vapore excipiendo ex ſedili perforato. Ad teneſmum.

FOTUS ADSTRINGENS ET VAPOR.

℞ *Corticis granatorum* unc. duas. *Semin. ſumach* unciam unam. *Maſtiches* drachmam unam. Coque in *vini rubri* q. ſ. ad libras duas. Fiat fotus, vel vapor excipiatur. Ad ani prolapſum.

Anum spectantia.

SUFFITUS AD ANI PROCIDENTIAM.

℞ *Thuris*, *ſuccini* & *corticis granatorum* ana ſemi-unciam. Fiat ex omnibus pulvis craſſus, cujus accenſi fumus per ſellam perforatam excipiatur.

LINIMENTUM DEMULCENS.

℞ *Olei ovorum* uncias duas. *Opii* grana ſex. Miſce pro litu hæmorrhoïdali.

℞ *Florum ſulphuris* drachm. duas. *Olei ovorum* ſemi-unciam. *Olei roſati* unciam unam. Miſce pro litu.

℞ *Unguenti populei* unciam unam. *Balſami tranquillantis* drachm. ſex. *Olei ſeminum lini* drachm. duas. Miſce pro uſu.

℞ *Salis ſaturni* ſemi-unciam. *Olei chamæmeli*, *olei roſati* & *ſucci capillorum veneris* ana uncias duas. Miſce.

℞ *Unguenti albi Rhaſis*, & *populei* ana unciam unam. *Vitellum ovi*, *Croci pulverati* ſemi-drachmam. *Opii* grana duodecim. Miſce. Fiat linimentum.

℞ *Unguenti populei* unciam unam. *Olei ſuccini* drachmas duas. Miſce ad unguentum hæmorrhoïdale.

LINIMENTUM AD ANI PROCIDENTIAM.

℞ *Unguenti populei* uncias duas. *Olei ovorum* drachmas ſex. *Sacchari ſaturni* ſemi-drachmam. *Opii* grana octo. *Olei ſuccini* guttas quindecim. Miſce.

℞ *Spermatis ceti* drachmas tres. *Olei hyoſcyami* drachm. unam. *Camphoræ* grana ſex. *Croci* grana decem. *Olei ovorum* q. ſ. pro litu.

℞ *Unguenti roſacei* uncias duas. *Mercurii crudi* drachmas duas. Miſce ex arte pro litu ad hæmorrhoïdes tumentes & dolentes.

PULVIS ADSTRINGENS.

℞ *Maſtiches*; *colophoniæ*; *ſanguinis draconis* & *catechu* ana quantum vis. Miſce. Fiat pulvis. Ad ani prolapſum.

COMMENTARIA.

Anum spectantia.

COMMENTARIA.

(1.) Furfur (*ſon de froment*), inter pectoralia & demulcentia vulgò numeratur; hinc tuſſientibus nonnunquàm præſcribitur ad manipulum unum pro ptiſanæ libris duabus. Sed familiariùs uſurpatur ejus decoctum ad enemata tanquàm demulcens & detergens; & ſub hoc conſpectu commendatur non ſolùm ad reſtinguendum interaneorum æſtum; ſed etiam ſub dyſenteriâ, aliiſve alvi profluviis.

(2.) *Mel violatum* è florum violarum calidâ infuſione per duodecim horas & expreſſione; cum melle ad ſyrupi conſiſtentiam coquendo, parari ſolet: quod alvum refrigerandi vel laxandi causâ ab unciis duabus ad tres, enematibus addi ſolet.

(3.) *Mercurialis teſticulata*, ſive mas, Dioſcoridis, C. B. pin. (*Mercuriale mâle*).

Mercurialis ſpicata, ſive femina, Dioſcoridis, C. B. pin. (*Mercuriale femelle*).

Utraque ſpecies locum habet in ſerie laxantium & aperientium; & nonnunquàm prodeſt in cachexiâ. Præcipitur in infuſo vel decocto ad manipulum unum pro quâque librâ aquæ. Succus etiam exhibetur ad uncias circiter quatuor. Syrupus mercurialis ſuas præcipuas vires mutuatur à gentianâ. Mercurialis demùm inter emollientia externa uſitatiora numeratur, & adhibetur ſub formâ enematis, fotûs & cataplaſmatis.

(4.) *Gratiola*, J. B. Digitalis minima, Gratiola dicta, Inſt. r. herb. (*Herbe à pauvre homme*).

Tota planta ſummè amaricans, inter cathartica hydragoga numeratur; vomitumque nonnunquàm movet: ideò à nonnullis deprædicatur in aſcite; non ſecùs ac in febribus intermittentibus pertinacioribus. Doſis in ſubſt. à granis decem ad ſcrupulum unum; & in infuſo, ab ſcrupulo uno ad duos, raro ultrà. Si refractâ doſi præcipiatur, nullam evacuationem movet; ſed vermes enecat & obſtructiones reſerat. Crebriùs ſanè ingreditur decoctum enematum purgantium & vermifugorum à manip. ſemiſſe ad manipul. unum. Aliàs vix niſi ab agricolis uſurpatur. Silentio premere minime debemus, quòd hujuſce plantæ radix pro ſuccedaneâ ipecacuanhæ à quibuſdam perperàm habeatur.

(5.) *Diaphœnicum*, electuarium uſitatiſſimum, è dactylorum pulpâ, penidiis & amygdalis contuſis, quibus omnibus in melle coctis adduntur diacrydium & turpethum, cum zingibere, pipere, cinnamomo, &c. conficitur. Inter cathartica draſtica recenſetur, & ideò laudatur in affectibus comatoſis, non ſecùs ac in hydrope, à drachm. duabus, ad ſemi-unciam; ſed rariſſimè à noſtratibus intùs exhibetur hoc electuarium;

ANUM SPECTANTIA.

quod familiariùs & tutiùs clyſterum purgantium compoſitionem ingreditur, ab unciâ unâ ad duas.

(6.) *Benedicta laxativa* aliud eſt electuarium, quod majori rerum farragine exſurgit; inter quas eminent turpethum, eſula, diacrydium & hermodactyli; quibus accedunt caryophylli, zingiber, piper, cardamomum, macis & crocus; cum ſeminibus feniculi, apii, petroſelini, &c. Quæ omnia melle excipiuntur ad requiſitam conſiſtentiam. Validiſſimum eſt purgans ſoli gutturi inferiori dicatum: pro carminante etiam & anti-hyſterico habetur, atque à drachm. tribus ad unciam unam, in enemate dilui ſolet.

(7.) *Chamæmelum* nobile, ſeu Leucanthemum odoratius, C. B. pin. (*Camomille romaine*).

Chamæmelum vulgare, Leucanthemum Dioſcoridis, C. B. pin. (*Camomille ordinaire*).

Utraque ſpecies in uſum quotidianum venit; ſed prima magis fragrans & amaricans præfertur. Flores antiſpaſmodicam vim obtinent; febres intermittentes fugant, & flatus diſcutiunt: laudantur potiſſimùm in affectu hyſterico & hypochondriaco; necnon in colicâ flatulentâ & convulſivâ, alteriuſve indolis, ſub quâ ſpecificè quaſi agere autumabat Baglivius. Præcipiuntur in infuſo aquoſo vel vinoſo à manip. ſemiſſe ad manip. unum, pro ſingulis decocti libris: aut propinatur ſuccus ab unciis duabus ad tres. Illos etiam exhibere licet in ſubſtantiâ, à ſemi-drachmâ ad drachm. duas; ſed parùm proficua hæc eſt methodus. In vulgatiorem uſum externum cedunt prædicti flores, ſub formâ enematis, fotûs vel cataplaſmatis; ob eximiam ſcilicèt vim emollientem & anodynam quâ pollent: ideò conducibiles cenſentur adversùs tormina; inſultus nephriticos leniunt; dolores arthriticos & rheumaticos compeſcunt; mammis tumentibus & renitentibus opitulantur: rigidioribus demùm artubus flexilitatem conciliant: ad quod poſtremum opus præſertim uſurpatur oleum chamæmeli; de quo alibi.

(8.) *Melilotus* officinarum Germaniæ, C. B. pin. (*Mélilot ordinaire*).

Melilotus vulgaris altiſſima frutescens, flore luteo, Inſt. r. herb. (*Grand mélilot*).

Utriuſque ſpeciei flores intùs & extùs uſurpantur, tanquàm demulcentes, anodynæ, emollientes & carminantes: ideò conducunt in colicâ; valent in infarctu nephritico; & ubi de interaneorum phlogoſi metuitur. Ex illis ad manip. unum coctis in aquæ libris quatuor paratur ptiſana in enumeratis caſibus cyathim propinanda; ſed ſæpiùs ingrediuntur, cum floribus chamæmeli, enemata emollientia & carminantia, fotus & cataplaſmata reſolventia, vel anodyna.

(9.) *Mel anthoſatum* è roriſmarini florum & foliorum digeſtione & inſolatione per quindecim dies paratur; & ab unciis duabus ad tres, vim carminantem, antihyſtericam & ſtimulantem enematibus impertitur.

(10.) *Mel mercuriale* ſimplici proceſſu conficitur, cum melle & ſucco

mercurialis ad ſyrupi conſiſtentiam coctis. Non ſecùs ac prior, in compoſitione enematum laxantium, carminantium & antihyſtericorum vulgatiſſimè, nec abſimili doſi, recipitur.

Anum spectantia.

(11.) *Philonium romanum* electuarium audit narcoticum, quod ſuas præcipuas vires mutuatur ab opio, ſemine hyoſcyami, caſtoreo & croco; quibus accedunt piper, cinnamomum, caſſia lignea, coſtus, zedoaria, &c. melle, uti mos eſt, baſim præbente. Ejus uſus internus à ſolertioribus vetatur; imò haud niſi ſummâ cautelâ podici committitur. Ad drachm. unam vel alteram clyſteribus addi ſolet: nonnulli tamen haud ultrà unum ſcrupulum, illud præcipere audent; dùm alii audacter ad drachmas tres accedunt. Tutiùs ni fallor incedunt qui à minori doſi incipiendo; ad majorem, poſt ritè obſervatos effectus, progrediuntur.

(12.) *Saccharum roſatum rubrum* paratur diſſolutione & coctione ſacchari in aquâ roſarum rubrarum ad extracti conſiſtentiam, cui color conciliatur miſcellâ roſarum rubrarum, nonnullis guttis ſpiritûs vitrioli irroratarum. Intùs ſumptum ſtomachi vires refocillat, à drachm. unâ, ad tres: ſed rarò in hunc ſcopum præcipitur: familiariùs enim adjicitur enematibus detergentibus & anti-dyſentericis ab unciâ unâ, ad tres.

(13.) *Vulvaria*, Tabern. icon. Chenopodium fœtidum, Inſt. r. herb.

Hæc planta graveolens, non ſecùs ac meretricum muliebria è quibus nomen duxit, pro uſu duntaxàt externo adhibetur; ceu carminans, ſedans & antihyſterica: ideò non ſolùm recipitur in enematibus, ſed etiam in fotubus & cataplaſmatibus in hunc finem paratis.

(14.) *Verbaſcum* mas latifolium luteum, C. B. pin. (*Bouillon-blanc*).

Verbaſcum femina flore luteo magno. C. B pin.

Verbaſcum nigrum flore ex luteo purpuraſcente, C. B. pin.

Flores harumce trium ſpecierum, inſtar the exhibendi, virtute gaudent anodynâ: idcircò conducunt in tuſſi; ſputa nonnunquàm promovent; nec minorem opem conferunt contrà tormina, alioſque interaneorum dolores. Folia verò inter demulcentia & reſolventia externa recenſentur; quapropter ſub formâ clyſteris, vel fotûs, adhibentur ad ſedandum teneſmum; doloreſque hæmorrhoïdum compeſcendos: vel ſolus decocti vapor ſede excipitur.

(15.) *Linaria* vulgaris lutea flore majore, C. B. pin. (*Linaire* ou *Lin ſauvage*).

Extrinſecùs admota pro demulcente & reſolvente habetur. In lacte coquitur, & ſub fotûs vel cataplaſmatis formâ adhibetur ad cicurandas hæmorrhoides. Aliàs rarò uſurpatur.

Artubus admovenda.

ARTUBUS ADMOVENDA.

Haud magis, ac poſtrema, affinia cenſeri debent topica quæ juxtà noſtrum inſtitutum ad hanc claſſem pertinent; cùm plures morbos planè diſſimiles; perniones putà, paronychiam, œdema crurum, tumores albos artuum, diſtortiones, podagram &c. clavos ſpectent. Hiſce magiſtralibus remediis nonnulla pediluvia, quæ nunc ad vires refocillandas, nunc ad ſomnum conciliandum haud improſperè adhibentur; mantiſſæ inſtar, adjicere haud incongruum fore judicavimus. Reſolventia & anodyna audiunt pernionibus proſpicientia: vi emolliente vel maturante inſtruuntur paronychiæ imponenda: è roborantium vel reſolventium ordine depromuntur cruribus œdematoſis proficua; & ſic de cæteris quæ brevitatis causâ omittimus. Illud annotaſſe ſufficiat circà lotiones narcoticas noſtrum agmen claudentes, quòd effectus quandóque extemporaneus, qui hinc ſequitur, minùs pendeat ab immerſione pedis quàm à vapore, qui ore & naribus ut plurimùm excipitur. Neminem poſtremò latet nonnulla eſſe topica carpo, volæ manuum, vel plantæ pedum admovenda; circà quorum vires febrifugas varia effutiuntur commenta, quibus ſanioris medicinæ præcepta convelluntur. Hinc fit ut inſulſæ plebeculæ tradantur.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Ad *Perniones* uſurpantur folia raphani ruſticani, cyclaminis. Flores ſambuci, & chamæmeli... Semen hyoſcyami, ad ſuffitum... Camphora. Sal ammoniacum... Sperma ceti. Oleum olivarum. Sapo. Medulla cervina... Aqua vitæ. Spiritus ſalis ammoniaci.... Balſamum tranquillans. Emplaſtrum ſaponaceum (1). *Œdema crurum* reſpiciunt folia eupatorii, ſambuci, cucumeris ſylveſtris.... Flores chamæmeli, tanaceti, ſambuci. Baccæ juniperi.... Spiritus vini, & aceti... Aqua calcis (2), lixivium cineris ſarmentorum (3).... Alumen. Sulphur. Antimonium. Pro *Tumoribus Artuum* adhiberi ſolent acetum. Bolus armena.... Myrrha. Maſtiche. *Diſtorſióni* opitulantur vinum rubrum generoſum.... Abſinthium. Baccæ juniperi.... Flores ſambuci. Roſæ rubræ. Sub *Arthritide* conferunt ſedum majus. Chamæpitys (4). Abrotanum.... Flores ſambuci, primulæ veris. Crocus.... Sal ammoniacum, tartari. Camphora. Sapo.... Aqua florum ſambuci, ſperniolæ... Spiritus ſalis ammoniaci, ſal marinum.... Emplaſtrum ſaponaceum, antipodagricum (5). Ad *Clavos pedum* proponuntur folia telephii (6), ſedi majoris... Galbanum. Gummi.

ammoniacum. Inter *Corroborantia* artubus dicata numerantur ſalvia, roſmarinus, tanacetum, abſinthium.... Roſæ rubræ. Baccæ juniperi.... Alumen. Sal marinum. Vinum. *Narcoticorum* munia obeunt ſolanum. Hyoſcyamus.... Capita papaveris albi. Quod ad *Febrifuga* attinet allium carpo impoſitum, inter varia commentitia, eminet.

ARTUBUS ADMOVENDA.

MAGISTRALIA.

LOTIO AD PERNIONES.

℞ Aquæ vitæ ſemi-libram. *Salis ammoniaci; camphoræ* ana drachmas duas. Miſce pro lotione. Sola aqua vitæ, vel vinum tepidum, à nonnullis fauſtè adhibetur.

℞ *Foliorum cyclaminis* manipulos duos. *Flor. ſambuci* manipulum unum. Coque in *vini generoſi* libris duabus. In colaturâ diſſolve *ſalis ammoniaci* drachmas duas.

℞ *Folior. cyclaminis* & *florum chamæmeli* ana manipulum unum. *Saponis* & *ſalis ammoniaci* ana drachmam unam. Infunde in aquæ ferventis libris tribus.

LINIMENTUM AD PERNIONES.

℞ *Balſami tranquillantis* unciam unam. *Medullæ cervinæ* unciam ſemis. *Spermatis ceti* drachmas duas. Liqueſcant balneolo; & ab igne remotis adde *olei terebinthinæ*; *ſpiritûs ſalis ammoniaci* ana drachmas duas.

℞ *Axungiæ ſuillæ recentis* uncias tres. Liqueſcat balneolo, & adde *bilem ſuillam* in veſiculâ felleâ contentam. Miſce ad linimentum.

FOTUS AD PARONYCHIAM.

℞ *Florum chamæmeli, verbaſci, ſambuci* ana ſemi-manipulum. *Farinæ fenugræci* & *ſeminum lini* ana drachmas duas. Coque in *lactis vaccini* q. ſ. ad libram unam. Colatura ſervetur ad uſum.

FOTUS AD ŒDEMA CRURUM.

℞ *Cineris ſarmentorum* libras duas. Infunde, ut artis eſt, in aquæ libris duodecim. Colatura ſervetur pro fotu tepidè admovendo.

℞ *Spiritûs vini* & *aceti* ana uncias ſex. *Salis communis* drachmas duas. Miſce.

℞ *Sulphuris vivi pulverati*; *baccarum juniperi* contuſarum ana uncias

Artubus admovenda.

duas. Coque in *aquæ calcis*, & *lixivii cinerum ſarmentorum* ana librâ unâ. Cola pro fotu.

℞ *Folior. ſambuci* & *cucumeris aſinini* ana manipulos duos. *Florum chamæmeli* & *ſambuci* ana manip. ſemis. *Antimonii crudi* libram ſemis. *Aluminis* uncias duas. Coque in aquæ q. ſ. ad libras quatuor.

FOTUS AD TUMOREM ALBUM.

℞ *Lithargyri* ſemi-libram. *Boli armenæ* unc. unam. *Maſtiches* & *myrrhæ* ana ſemi-unciam. Bulliant per ſemi-horam in *aceti optimi* q. ſ. ad libras duas. Pro fotu.

FOTUS AD DISTORSIONEM.

℞ *Foliorum abſinthii* & *florum ſambuci* ana manipulum unum. *Roſarum rubrarum* man. ſemis. *Baccarum juniperi* uncias duas. Bulliant in *vini rubri* libris duabus.

CATAPLASMA AD DISTORSIONEM.

℞ *Furfuris macri* libras duas; bulliat in *aquæ* & *aceti*, anaticâ proportione, quantum ſufficit. Fiat ex arte cataplaſma, pluriès per diem renovandum.

FOTUS AD ARTHRITIDEM.

℞ *Croci* ſemi-drachmam. Infunde in *aquæ florum ſambuci* librâ unâ.

℞ *Folior. chamæpityos* & *abrotani* ana manip. quatuor; coque in aquæ libris ſex ad quatuor. In colaturâ diſſolve *ſalis tartari* & *ammoniaci* ana uncias duas.

CATAPLASMA AD DOLOREM ISCHIADICUM.

℞ *Radic. virid. bryoniæ albæ* q. ſ. Contunde, & adde *olei lini* q. ſ. ad conſiſtentiam. Calidè admoveatur.

LINIMENTUM AD ARTHRITIDEM.

℞ *Saponis veneti* uncias duas *Camphoræ* drachmas duas. Diſſolve in *ſpiritûs vini* q. ſ. & adde *ſpiritûs ſalis ammoniaci* ſemi-unciam. Miſce.

PEDILUVIUM ROBORANS.

℞ *Foliorum roriſmarini* & *ſalviæ* ana manipulos quatuor. *Baccarum*

juniperi libram unam. Coque in aquæ q. ſ. ad pediluvium. Poſt inſultus arthriticos.

ARTUBUS ADMOVENDA.

℞ *Folior. ſalviæ* & *abſinthii* ana manipulos duos. *Roſarum rubrarum* manipulum unum. *Salis marini* & *aluminis* ana unciam unam. Coque in *vini* & *aquæ* ana q. ſ. pro lotione pedum.

PEDILUVIUM HYPNOTICUM.

℞ *Foliorum hyoſcyami* manipulos duos. *Capita papaveris albi* numero duodecim. Coque in aquæ q. ſ.

℞ *Folior. malvæ* & *ſolani* ana manipulos duos. *Capita papaveris albi* numero decem. *Florum nymphææ* manipulum unum. Coque in *oxycrati* q. ſ. Fiat pediluvium horâ ſomni uſurpandum.

SINAPISMUS.

℞ *Medullæ panis albi* uncias duas. *Pulveris ſemin. ſinapi* unciam unam. *Olei caryophyllorum* gutt. triginta ; *aceti* uncias tres. *Mellis* q. ſ. ad cataplaſma plantæ pedum admovendum & relinquendum donec pars digito preſſa non albeſcat.

℞ *Fermenti acris* & *ſaponis nigri* ana unciam unam & ſemis. *Salis prunellæ* drachmam unam. *Aceti rutacei* q. ſ. ad cataplaſma plantæ pedum reſpiciens.

ARTUBUS ADMOVENDA.

COMMENTARIA.

(1.) EMPLASTRUM SAPONACEUM è minio, ceruſsâ & ſapone, cerâ exceptis juxtà artem, conficitur. Pro egregio reſolvente habetur, ac familiariùs uſurpatur adversùs perniones.

(2.) *Aqua calcis* omnibus innoteſcit; non ſecùs ac lapis hic vulgatiſſimus, qui calcis vivæ, ut inquiunt, naturam congruâ calcinatione induit; quæ, ſi diutiùs aëri exponatur, effœta & inermis evadit. Suprà calcis vivæ recentis libram unam affunditur aqua à libris ſex ad decem: poſt ſolitam effervefcentiam quieti traduntur per viginti quatuor horas prædictæ materies, ut moleculæ craſſiores fundum petant. Poſteà decantatur & percolatur aqua limpida ad uſum ſervanda. Suprà reſiduum, eadem aquæ novæ quantitas iterùm funditur, ut ſimili proceſſu habeatur aqua, ut inquiunt, ſecunda; quam, non ſecùs ac primam, haud ultrà duos vel tres menſes ſervare licet. Utraque extrinſecùs adhibetur tanquàm reſolvens eximium, quod deprædicatur adversùs tumores tùm ſanguineos, tùm ſeroſos; & opportunè præſertim admovetur cruribus œdematoſis; nec inutilem opem confert in ambuſtione. Egregiè inſuper exſiccat & detergit prædicta aqua: quæ ideò conducit in ulceribus putridis, ſordidis & contumacioribus. Ex illâ quoque parantur injectiones ad gonorrhœam & fluorem album: nonnulla demùm collyria ingreditur detergentia. In uſum etiam internum venit aqua calcis, ceu detergens præſtantiſſimum, ideò ſummè deprædicatur adversùs viſcerum, vel ipſiuſmet pulmonis exulcerationes. Illam ad unciam unam vel alteram, bis, terve in die exhibere licet; dummodò lacti, vel cuivis ptiſanæ demulcenti ſocietur. Sapiſſimè etiam adhibetur aqua calcis inter uſum lacticiniorum, ne ſcilicèt aceſcant in ventriculo; ad quod opus ſemi-drachma prædictæ aquæ, lactis libræ uni adjici ſolet. Haud dubitare licet quin aqua calcis intùs ſumpta eximiorum detergentium vices expleat; imò & inter aperientia & incidentia recenſeri mereatur: hinc minime mirùm ſi laudetur in ſcrophulis, hydrope, aſthmate, &c. Abſorbentium etiam munia obit; cur fit ut ſuum ſymbolum conferat in medelâ alvi fluxûs & dyſenteriæ. Poſtremò juxtà nuperrima experimenta ipſi tribuitur vis lithontriptica; præſertim ſi paretur cum aquæ libris octo, & calcis conchyliorum librâ unâ. Hanc, annuentibus haud infimi ſubſellii medicis, tutò ad libras duas & ultrà per diem abſque periculo propinari poſſe aſſerunt; quod tamen cum grano ſalis accipiendum eſſe cenſemus. Quantiſcumque tamen laudibus excipiatur aquæ calcis uſus internus, in regionibus ſeptentrionalibus fortè ſalubrior, haud omnibus clinicis arridet: nec deſunt, experientiâ freti, qui hoc remedium planè noxium deprædicent, præſertim in anorexiâ, & alvo adſtrictâ: illud angue pejus caveant atrophiâ confecti; ad inflammationem proclives;

proclives ; hæmorrhagiis obnoxii , &c. cùm haud dubitare liceat quin à materiâ corrodente vires mutuetur.

ARTUBUS ADMOVENDA.

(3.) *Cinis ſarmentorum* tantummodò adhibetur ad lixivium, quod intùs propinare licet; non ſecùs ac illa è cineribus geniſtæ, abſinthii, &c. parata, cum quibus, ratione virium, coincidit. Raró tamen intùs exhibetur; ſed crebriùs foris imponitur tumori crurum œdematoſo. Eâ proportione ad hoc opus conficitur, ut ſit una aut altera cineris uncia pro quâque aquæ librâ.

(4.) *Chamæpitys* lutea vulgaris folio trifido, C. B. pin. Iva arthritica officinarum (*Ivette*).

Amaricans hæc planta, & quidpiam marini redolens, inter roborantia & cephalica recenſetur; & à nonnullis laudatur in paralyſi. De viribus reſolventibus & anodynis reſpectu arthritidis, è quâ nomen ſortitur, dubitare licet: quidquid ſit, ab uſu ferè receſſit; ni pro nonnullis compoſitionibus officinalibus adhibeatur. Doſis in ſubſtantiâ ab ſcrupulo uno ad duos; & ad pugillum unum pro quâque librâ decocti vel infuſi.

(5.) *Emplaſtrum antipodagricum* Tachenii, è camphorâ, caſtoreo, ceruſsâ, minio, ſapone & oleo roſaceo exceptis, conficitur. Egregium eſt anodynum & reſolvens, cujus ope non ſolùm leniuntur dolores arthritici; ſed etiam contrahitur paroxyſmus: adeò ut inter topica efficaciora, ſub hoc conſpectu, recenſeri mereatur.

(6.) *Telephium* vulgare, C. B. pin. Anacampſeros, ſive Faba craſſa, Inſt. r. herb. (*Orpin*).

Pro emolliente & demulcente externo jure habetur; nec ipſi denegatur vis reſolvens & vulneraria. Ideò prodeſt hæmorrhoïdibus tumentibus & dolentibus; clavorum pedum dolores egregiè compeſcit: aliàs vix uſurpatur.

(7.) *Allium* ſativum, C. B. pin. (*Ail*).

Etſi pro mero alimentorum condimento habetur hoc olus, alexipharmaci nihilominùs præſtantiſſimi vires obtinet: hinc *theriaca ruſticorum* audit. Imò & in ore detentum, vel quovis modo geſtatum, contagium arcere dicitur; quapropter graſſante peſte uſurpari ſolet. Hujuſce virtutis eximiæ exemplum præbent nautæ, qui tandiù à morbis contagioſis immunes evadunt, quandiù allium ipſis ſuppeditatur: aliter rem ſe habere, ubi in penu deficit, docet experientia quotidiana. Inſuper ſtomachi vires refocillat, & vermes interimit; etiam, inſtar epithematis, ventriculo admotum, perſpirationem movet; & urinam, cui fœtorem impertitur, ciet. Haud tamen innocuum cenſeri debet; cùm plures illud ægrè ferant; æſtum enim quandóque excitat; caput lædit; ſanguinis profluvia movet, &c. Extùs admotum, non ſolùm puerorum vermes enecat; ſed etiam vi reſolvente gaudet, cujus ratione commendatur arthriticis, nec minùs deprædicatur adversùs tumores contumaciores, vel ſcrophuloſos. De epicarpio antifebrili ex allio contuſo parato ſuprà actum fuit.

ARTUBUS ADMOVENDA.

CUTI PROSPICIENTIA.

Superest ut in hâc poſtremâ claſſe pro inſtituto agamus de medicaminibus externis, quæ adhiberi ſolent 1°. ſub læſionibus cutaneis & præſertim pruriginoſis; habitâ priùs ratione cauſæ morbum foventis: 2°. inter curandam ambuſtionem, præcipuam in tegumentis ſedem habentem: 3°. ad pilos eradicandos, qui nonnulla pariunt incommoda: 4°. ad phthiriaſim vel morbum pedicularem: 5°. demùm in affectibus venereis aliiſve affinibus morbis, ſub formâ unguenti vel ſuffumigii, quæ à ſolo hydrargyro vires mutuantur. Nec ſilentio premi debent balnea artificialia, noſtrum agmen claudentia, quæ hâc arte parantur, ut proximè accedant ad aquas thermales, quibuſvis artificialibus palmam ſanè præripientes. De balneis aromaticis, è magmate olivarum, è lacte, &c. de arenâ, furfure, foliis alni, &c. ſole vel igne excalefactis, & balnei inſtar corpori admotis, mentionem ſubjecimus in primo hujuſce libri limine.

EMPORETICA ET OFFICINALIA.

Ad *Psoricorum* gradum provehuntur radices helenii, lapathi, frangulæ (1). Folia nicotianæ, lepidii (2)..... Succus limonum, chelidonii (3).... Aqua ſperniolæ, limacum. Mucilagines, & axungiæ.... Oleum ovorum; amygdalarum dulcium; roſatum; laurinum.... Oleum buxi, papyri. Oleum myrrhæ, & tartari per deliquium (4)..... Spiritus vini. Aqua vitæ camphorata.... Sal marinum; Saturni. Tuthia. Sulphur (5).... Benzoinum. Styrax liquida. Unguentum nutritum; neapolitanum.... Mercurius præcipitatus albus.... Balnea domeſtica, & præſertim aquarum mineralium, quarum præſtantiores audiunt aquæ Plomberianæ, Luxovienſes, Vervonenſes, Borbonienſes Anſelmienſes, Vicienſes, Baregienſes, Granenſes, Dinienſes, Amandinæ, Balneolenſes (6).

Ambuſtioni proſpiciunt aqua & vinum, tepidè admota. Cepa. Sedum majus.... Albumen ovi. Mucilagines. Emulſio vulgatiſſima...... Oleum ovorum, cannabinum.... Atramentum ſcriptorium. Sal Saturni, marinum. Camphora. Sapo.... Aqua vitæ, & Reginæ Hungariæ; calcis.... Unguentum album Rhaſis (7). Emplaſtrum de ceruſsâ. *Depilatoriorum* vires aſſequuntur lixivium ſaturatum vulgatius.... Calx. Auri pigmentum. Ad *Phthiriaſim*, uſurpari ſolent cevadilla (8). Semen ſtaphiſagriæ (9). Hydrargyrus (10)..... Æthiops mineralis & paſtilli mercuria-

les ([11]) ad ſuffitum.... Unguentum neapolitanum ([12]). Ad *Thermas Artificiales* adhibentur plantæ aromaticæ. Baccæ lauri & juniperi.... Tartarum & ejus ſal. Nitrum. Sal marinum. Cinis ſarmentorum.... Limatura ferri rubiginoſi. Sulphur. Ochra.... Tartarus chalybeatus. Vitriolum martis, &c quibus addere licet lac & magma olivarum; vel alias materies ſole vel igne excalefactas, & balnei inſtar adhibitas; ut ſunt arena. Furfur. Folia alni ([13]), &c.

CUTI PROSPICIENTIA.

MAGISTRALIA.

FOTUS AD PRURIGINEM.

℞ *Aquæ plantaginis* uncias octo. *Salis ſaturni* grana quindecim. Miſce pro fotu.

℞ *Sacchari ſaturni* ſcrupulum unum. Diſſolve in *aquæ tepidæ* unciis ſex. Adde tantillum *aquæ vitæ camphoratæ*.

℞ *Aquæ ſperniolæ* uncias ſex. *Salis ſaturni* ſcrupulum unum. *Spiritûs vini* drachmas duas.

POMATUM SATURNINUM.

℞ *Ceræ albæ* libram ſemis; *olei roſati* libram unam. Liqueſcant igne lento. Senſim adde *aceti ſaturnini golardiani* uncias quatuor. Dein ſolve *camphoræ* drachmam unam. Ritè ſoluta & ſubacta hæc maſſa ab igne removeatur, & continuò agitetur donec refrigeſcat. Haud exiguam laudem meretur hoc pomatum ad herpetes, ulcera fiſtuloſa, ſcrophuloſa, ſcorbutica & venerea; lotâ priùs parte cum aquâ golardianâ: haud poſthabitis remediis internis.

UNGUENTUM AD SCABIEM.

℞ *Sulphuris vivi* ſemi-libram. *Salis marini* tantumdem. *Axungiæ porcinæ* libras duas. *Olei laurini* ſemi-libram. Miſce. Ex arte fiat unguentum.

℞ *Olei lini* unciam unam & ſemis. *Terebinthinæ lotæ* unc. unam. *Vitell. ovor.* num. unum. Miſce. Fiat. unguent. Ad ſcabiem puerorum.

℞ *Mercurii crudi purificati* uncias duas; *ſpiritûs nitri* q. ſ. ad diſſolutionem peragendam. Dein tere in mortario *axungiæ ſuillæ* libras duas, ſenſim affundendo prædictam diſſolutionem. Fiat ex arte unguentum, in noſocomio pariſienſi, vulgò *l'Hôtel-Dieu*, ſummè decantatum.

CATAPLASMA PSORICUM.

℞ *Radicum lapathi ſylveſtris* uncias ſex. Coquantur in *aceto*, dein contundantur in mortario ad cataplaſma pro herpete.

CUTI PROSPICIENTIA.

℞ *Radicum enulæ campanæ* & *lapathi* ana uncias tres. Coque ex aquâ ad putrilaginem. Pulpæ trajectæ adde *florum ſulphuris* unciam unam. *Succi limonum* unciam unam & ſemis. *Florum benzoini* drachmam unam. *Axungiæ ſuillæ* quantùm ſufficit.

LINIMENTUM PSORICUM.

℞ *Pulpæ radicum lapathi* uncias quatuor. *Styracis liquidæ* ſemi-unciam. *Succi limonum* uncias duas. *Olei roſacei* q. ſ. agitentur in mortario ad linimentum.

℞ *Florum ſulphuris* unciam unam. *Axungiæ ſuillæ inſulſæ* uncias quatuor. *Succi limonum* uncias duas. *Olei roſati* q. ſ.

℞ *Pulpæ radicum lapathi* uncias quatuor. *Florum ſulphuris* unciam unam. Miſce, ut artis eſt, & adde *olei laurini* q. ſ.

℞ *Spermatis ceti* uncias duas; *olei amygdalini* uncias tres. *Lithargyri* & *ſalis ſaturni* ana drachmam unam. Fiat ex arte pomatum ad herpetes.

℞ *Æthiopis mineralis uſti* unciam ſemis. *Sulphuris* drachmas duas. *Benzoini* drachmam unam. *Sacchari ſaturni* drachmam unam. Fiat linimentum cum *axungiâ ſuillâ*.

℞ *Benzoini amygdaloïdis*, & *ſulphuris vivi* ana quantum vis. Accuratè trita ſubigantur in mortario cum *butyro recenti*. Ad linimentum pro herpete & ſcabie.

℞ *Axungiæ ſuillæ* multotiès lotæ uncias quatuor. *Mercurii præcipitati albi* ſemi-unciam.

℞ *Mercurii præcipitati rubri*, *vitrioli viridis* ana unciam unam. *Alum. uſti* ſemi-unc. *Viridis æris* & *boracis* ana drachmas duas. *Succi lapathi* uncias duas. *Axungiæ porcin.* & *butyri recent.* ana uncias quatuor. *Olei hyoſcyami expreſſi* drachmam unam. Fiat ex arte linimentum ad herpetes.

EMBROCATIO SCORBUTICA.

℞ *Folior. roriſmarini* & *abſinthii*; *florum hyperici* & *ſambuci* ana manipulum unum. *Vini rubri* q. ſ. ad libras quatuor. Sub finem adde *foliorum naſturtii* manip. quatuor. Colaturæ adde *ſpiritûs cochleariæ* uncias duas. Fiat decoctum quo irrigatur pars affecta.

UNGUENTUM AD AMBUSTIONEM.

℞ *Ceparum* uncias duas. *Salis marini* & *ſaponis* ana unciam unam. Contundantur in mortario cum *olei roſati* q. ſ.

DEPILATORIUM.

℞ *Calcis vivæ* uncias duas. *Auri pigmenti* ſemi-unciam. Coque in *lixivii fortis* libris duabus; donec pluma immiſſa depiletur. Fiat linimentum quo partes piloſæ inungantur; dein abſtergendæ cum aquâ calidâ lavandulæ. Vel immiſceatur cum paſtâ amygdalarum dulcium, ad depilandas manus.

℞ *Calcis vivæ* uncias quatuor. *Auri pigmenti* ſemi-unciam. His in te-

nuiſſimum pulverem redactis & mixtis, adde *farinæ ſecalinæ* ſemi-unciam. Cum aquâ tepidâ ſubigantur, ut emergat paſta partibus piloſis admovenda, & poſt aliquot minuta removenda.

CUTI PROSPICIENTIA.

PULVIS PEDICULARIS.

℞ *Cevadillæ*, vel *ſeminis ſtaphiſagriæ*, quantùm volueris. Fiat pulvis capiti & veſtibus inſpergendus.

SUFFITUS MERCURIALIS.

℞ *Cinnabaris* ſemi-unciam. Per vices injice in carbones accenſos ut fumus ab ægrotante excipiatur, toto corpore collum uſque ſtragulis cooperto; ne caput afficiatur.

UNGUENTUM MERCURIALE.

℞ *Hydrargyri* à libr. ſemiſſe ad libram unam. Extingue, ut artis eſt, cum *terebinthinæ* q. ſ. adde *axungiæ ſuillæ inſulſæ*, vel *butyri de cacao* libram unam, & per biduum terantur; vel donec mercurius adipi intimè permiſceatur. Addere licet pro ſingulis unguenti unciis *camphoræ* ſcrupulum unum; unà cum mercurio terendum.

INCESSUS AD TENESMUM.

℞ *Foliorum althææ* & *verbaſci* ana manip. duos. *Semin. lini* libram & ſemis. Coque in aquæ q. ſ. ut æger ad umbilicum uſque ſedeat.

BALNEUM EMOLLIENS.

℞ *Radicum althææ* & *liliorum* ana libras duas. *Foliorum malvæ* & *parietariæ* ana manipulos ſex. Bulliant in aquæ fontanæ quantùm ſufficit ad balneum.

BALNEUM AD PARALYSIM.

℞ *Baccar. juniperi* contuſ. manip. quindecim. Coque in aquæ q. ſ. & poſteà pluriès reſtinguatur ferrum candens.

THERMÆ ARTIFICIALES.

℞ *Cineris ſarmentorum* & *florum ſulphuris* ana libras duas. Coque per viginti quatuor horas in aquæ libris viginti, quâ impregnetur balneum.

℞ *Calcis vivæ* libr. quatuor. *Sulphuris* libras duas. Bulliant in aquæ q. ſ.

℞ *Nitri*, *tartari crudi* & *ſulphuris* ana quantùm vis. In pulverem redacta & mixta in crucibulum ignitum projice. Liqueſcat in cellâ materia à deflagratione ſuperſtes. Hoc liquamine impregnetur aqua balnei; ratione unciarum quatuor vel ſex, pro aquæ libris viginti.

℞ *Sulphuris* libras tres. *Nitri* libram unam *Baccarum juniperi* libras duas. *Foliorum ſalviæ* & *roriſmarini* ana manip. octo. Inciſa coque in aquæ q. ſ. pro balneo roborante.

CUTI PROSPICIENTIA.

℞ *Sulphuris* libras duas. *Salis marini* libram unam. *Tartari albi* & *nitri* ana ſemi-libram. *Baccarum lauri* libram unam. *Folior. lavandulæ* & *florum chamæmeli* ana manip. octo. Coque in aquæ q. ſ.

℞ *Cinerum ſarmentorum* libras duas. *Sulphuris contuſi* ſemi-libram. *Limaturæ ferri rubiginoſi*; *nitri* & *ſalis tartari* ana uncias ſex. Bulliant in aquæ q. ſ. Pro balneo. Sic parantur thermæ artificiales, tàm pro balneo, quàm pro irrigatione ab alto. Ad paralyſim, cæteroſque affectus, qui thermarum naturalium opem efflagitant.

COMMENTARIA.

(1.) FRANGULA, Dodon. Inſt. r. herb. Alnus nigra baccifera, C. B. pin. (*Bourgene*).

Alter radicis cortex inter cathartica validiora recenſetur: ideò commendatur ſub colluvie ſeroſâ, & affectibus comatoſis: ſed rariſſimi eſt usûs apud noſtrates; cùm minime deſint medicamina æquipollentia, uſitatiora & tutiora. Doſis in ſubſtantiâ à granis duodecim ad ſcrupulum unum, & ad duplum in infuſo. Sæpiùs foris adhibetur prædictus cortex, tanquàm detergens & exſiccans: ac ſub hoc conſpectu nonnulla unguenta ſcabiei dicata variaque gargariſmata antiſcorbutica ingreditur.

(2.) *Lepidium* latifolium, C. B. pin. Raphanus ſylveſtris officinar. Lob. (*Paſſe-rage*).

Acerrima hæc planta, tanquàm incidens & antiſcorbutica à nonnullis intùs exhibetur; quod citrà periculum fieri poſſe minime crediderim. Conſultiùs refertur ad reſolventia & detergentia externa, vel ad rubefacientia. Ideò feliciùs cuti apponitur contrà ſcabiem, herpetem, aliaſque cutis defœdationes; vel ſinapiſmis immiſcetur.

(3.) *Chelidonium* vulgare majus, C. B. pin. (*Grande éclaire*).

Hujuſce ſtirpis radix ſicca vi aperiente pollet; & proficua cenſetur in obſtructionibus, cachexiâ, ictero & hydrope. Infunditur à drachm. tribus ad ſex in vini albi librâ unâ; quod ab unciis duabus ad quatuor ſemel, biſve in die propinatur. Succus aureus è rupto caule ſtillans in detergentium & exſiccantium ſerie locum habet: ac multùm deprædicatur, aquâ temperatus, ad delendas oculorum maculas; nec inutilem opem præſtat ad ulcera hujuſce organi detergenda. Herpeti, aliiſque cutis læſionibus fauſtè etiam admovetur: atque ipſaſmet verrucas abſumere valet. Aqua demùm diſtillata in quibuſdam officinis proſtans, collyria detergentia ingreditur.

(4) *Oleum tartari per deliquium* eſt liquor, in quem faceſſit ſal tartari in loco frigido & humido expoſitum. Hæc diſſolutio merè alkalina, oleum à nonnullis ſciolis perperàm vocitata, inter reſolventia & exſic-

cantia externa locum habet : imò tanquàm coſmetica celebratur. Ideò conducit ſub maculis & puſtulis faciei ; valet ad herpetem, alioſque affectus pruriginoſos : proficua cenſetur adversùs tumores œdematoſos, qui à causâ internâ minime ſoboleſcunt. Poſtremò quibuſdam arridet nonnullas guttas lacti propinando immiſcere, ne aceſcat in ſtomacho : aliàs intùs nuſquàm apud noſtrates uſurpatur.

Cuti proſpicientia.

(5.) *Sulphur*, (*le ſoufre*), quo ſcatet tota regio ſubterranea, adeò ut nulla fermè eruatur minera, quæ de ſulphure non participet, eſt materia, uti nemo neſcit, pinguis & inflammabilis, mineralis & vitriolica, quæ accenſa exhalat acidum nares ingratè feriens, & pulmones laceſſens; è quo arte collecto emergit liquor, ſpiritui vitrioli planè ſimilis. Sulphur proſtat duplicis ſortis, nativum nempè pyritibus, cum alumine & ſeleniti-de, hærens, *ſoufre vif*; & fuſum, *ſoufre commun ou en canon*; quod poſtremum in uſum medicum venit. Intùs nuſquam exhibetur niſi præviam præparationem ſubierit, quâ particulis arſenicalibus, ipſi immixtis, expurgari creditur. Coquitur nempè per aliquot horas in aquâ, identidem, vel quindecies renovandâ : poſteà probè exſiccatur & in pulverem redigitur, vel ſublimationi committitur; & ſulphuris loti nomine venit. Alia eſt methodus fortè tutior præparandi ſulphur, nempè ſublimatio; cujus proceſſus neminem chymicum fugit. Inter depurantia inſignem locum obtinet; diaphoreticorum ſeriem ſubit; ad antiputridorum gradum provehitur; atque pro pectorali & detergente habetur : ideò ſpecificum audit ad ſcabiem; valet in herpete, aliiſque morbis cutaneis; haud exiguam laudem meretur in aſthmate, cæteriſque pulmonum morbis chronicis. Doſis tùm ſulphuris loti, tùm florum ſulphuris, à gran. quindecim ad ſemidrachmam & ultrà accedit : intùs ſumptum & ſanguini immixtum unà cum perſpiratione rapitur; quæ ideò fœtet, ac argentum & aurum nigro colore inficit : hiſce apprimè notis, mirari profectò ſubit CARTHEUSERUM dubitaſſe, nùm ingeſtum ſulphur ad maſſam ſanguineam appellat. Poſtremò familiariſſimus eſt uſus ſulphuris externus, adversùs ſcabiem, aliaſque cutis defœdationes; ad quod opus varia parantur unguenta, quorum præcipua tradidimus. *Vid.* Flores, Balſamum, Spiritus ſulphuris.

(6.) *Aquæ Balneolenſes* (*de Bagnols*), vici in Normaniâ, haud procul ab Argentonio (*Argentan*), diſſiti; tepidæ & ſulphureæ, inter aperientia & diuretica locum obtinent; tonicorum vires æmulantur; & alvum nonnunquàm ſolvunt : ideò laudantur ad nervorum læſiones; in viſcerum infarctu; ad obſtructos renes; atque in aſthmate & phthiſi. A librâ unâ ad libras ſex propinari ſolent. Latiſſimus eſt horum uſus externus, tàm pro balneo, quàm pro irrigatione ab alto. Roborantium enim claſſem ſubeunt; in emollientium tractu recipiuntur; pro reſolventibus habentur; egregiâ demùm virtute detergente & pſoricâ inſtruuntur : quapropter valent in rhachitide; conducunt in tremore & paralyſi; rariſſimè fallunt in artuum contracturâ; opportunè adhibentur adversùs morbos cutaneos, &c.

Cuti proſpicientia.

(7.) *Unguentum album Rhaſis* vires mutuatur à ceruſsâ & camphorâ, cerâ & oleo roſato exceptis. Eximium demulcens & exſiccans audit, quod familiariſſimo uſu admovetur intertrigini & excoriationibus; ambuſtioni, & affectibus pruriginoſis, &c.

(8.) *Cevadilla*, ſive *Hordeolum cauſticum americanum*, Parkins. (Gallis *Cevadille*), è Mexicâ tranſportatur hujuſce plantæ capſula ſeminalis, cujus granum urente vi pollet, non ſecus ac ſublimatum & cauterium. Notiſſimum eſt illud ſemen nonnullis monachis munditiei non ſtudentibus, vel quibus prohibetur induſiorum uſus; qui ejus ope à pediculis intrà veſtes hoſpitantibus liberantur. Præter phthiriaſim cui præſertim dicatur cevadilla, cathæreticorum vires æmulatur; hoc enim pulvere inſpergi queunt luxuriantes ulcerum carnes: ſed haud deſunt alia topica vulgatiora, quæ hæcce munia feliciùs obeunt.

(9.) *Staphiſagria*, J. B. Delphinium platani folio, Staphiſagria dictum, Inſt. r. herb. (*Herbe aux poux*).

Semen inter detergentia, exſiccantia & cathæretica numeratur: ſed vix uſurpatur, niſi ad enecandos pediculos: efficacior tamen videtur cevadilla. A nonnullis adhibetur maſticatorii inſtar ad eliciendum majorem ſalivæ proventum; vel ad ſtimulandos reſolutos oris nervos. Ad quod opus ſemen tritum nodulo, in ore volvendo, includitur: & confert non ſolùm in odontalgiâ & capitis defluxionibus; ſed etiam in linguæ paralyſi.

(10.) *Hydrargyrus* vel *mercurius* (*le vif argent*), fluidum minerale ponderoſiſſimum, ſplendorem argenteum habens, aurumque dealbans, audit, innumeris modis & ſtupendâ induſtriâ à chymicis hactenùs elaboratum; atque ad diverſos uſus comparatum. Præter vim anti-veneream latiſſimo uſu celebratam, inter præſtantiora incidentia recenſetur; atque cuique ferè ſanguinis dyſcraſiæ opitulari dicitur. Mercurius, ut inquiunt, crudus ore ſumptus ægrè per vaſa lactea ad ſanguinem appellit; ſed facillimè cutis ſpiracula ſubit, & occultis hiſce viis maſſæ ſanguineæ inditur. Hinc deglutitus mercurius crudus gravitate ſpecificâ ſuum effectum edit in primis viis; atque per podicem non mutatus, & eâdem fermè copiâ egeritur. Haud ſupernè exhiberi debet hydrargyrus emporeticus, ni priùs à plumbo, biſmutho aliiſque materiebus heterogeneis quibus adulteratur, planè purgetur: primùm ſcilicèt in aceto acerrimo, ſale marino ſaturato; dein in aquâ limpidâ, bis terve eluitur: exſiccatus denique per corium, vel alutam, trajicitur. Facilè detegitur fraus, quâ mercurius plumbo, aliove metallo inquinatur; ſi drachma una aut altera in cochleari ferreo prunis ſuperimponatur: cùm hâc arte mercurius in auras abeat, ac metallum quo adulteratur, relinquat. Hâc tamen præparatione nuſquàm indiget hydragyrus & cinnabari diſtillatione, ut inquiunt, revivificatum. Hâc adhibitâ cautelâ haud pertimeſcendus eſt ejus uſus internus. Datur enim ab unciis tribus ad quatuor, ubi, ſub colicâ, alvus ultrà modum occludi-

tur

tur. A librâ ſemiſſe ad libras duas & ultrà propinatur, cum oleo amygdalarum dulcium, vel juſculo quocumque pingui, ſub affectu iliaco; nec infelici ſucceſſu; dummodò tamen nec ab herniâ, nec à phlogoſi ordiatur hic affectus. Inter vermifuga exquiſitiora etiam numeratur hydrargyrus; ac ſub hoc conſpectu præſcribitur ab ſcrupulo uno ad drachmam unam cum ſaccharo & tantillo olei primò ſubactus: vel ad libram unam coquitur per horam in aquæ libris quatuor vel ſex, pro potu ſolito. Ore ſumptus mercurius crudus ptyaliſmum nonnunquàm movet; è quo effectu, procul dubio inferendum, venas lacteas huicce ingreſſum minime denegaſſe; ni, uti nonnulli autumarunt, per membranarum porulos cuncta permeet. Tutiùs ſane quidem per cutem ad vaſa ſanguinea adigitur; ſub formâ pomati, unguenti, emplaſtri vel ſuffitûs. Hâc methodo exceptus ſalivationem, vel alvi fluxum, nonnunquàm movet: quæ evacuationes nihil conferunt ad luis venereæ curationem; uti falsò ſibi perſuaſerunt nonnulli inexperti; quin potiùs huic officiunt: cur fit ut ſolertiores nullum non moveant lapidem ut hunc mercurii exitum præpediant: hanc opem præſtare camphoram ad grana viginti, pro quâque hydrargyri unciâ, è nuperrimis experimentis colligere licet. Sed hoc infortunium declinare abſque prædicto adminiculo, norunt ſaniores practici. De variis modis adhibendi mercurium nil addimus, ne recoctam crambem apponamus. Haud minoribus laudibus extollitur hydrargyrus ad hydrophobiam; nec ſanè immeritò, cùm omnia remedia hactenùs excogitata longè ſuperet, uti jam innuimus. Omnibus demùm innoteſcunt mercurii foris admoti vires reſolventes; ergà diverſæ ſortis humorum influxum; vel tumores cæteris præſidiis obſurdeſcentes. Inſuper innumeræ proſtant in officinis mercurii præparationes, quarum præcipuæ vel uſitatiores ſunt cinnabaris, æthiops, præcipitatus albus vel ruber, turpethum, aquila alba, panacea, pulvis algaroth, ſaccharum vermifugum, pilulæ mercuriales, ſublimatus corroſivus, unguentum neapolitanum, emplaſtrum de Vigo, aqua mercurialis, &c. de quibus ſingulis ſuo loco.

Cuti proſpicientia.

(11.) *Paſtilli mercuriales* è cinnabari & ſuccino, ſolutione gummi tragacanthi exceptis, conflantur; atque ad ſuffitus reſolventes & antivenereos ſervantur.

(12.) *Unguentum neapolitanum* ex accuratâ miſcellâ mercurii crudi, ſalivâ vel terebinthinâ extincti, cum axungiâ ſuillâ, emergit, eâ proportione, ut ſit hydrargyrus ab unciâ ſemiſſe ad uncias duas, pro axungiæ unciis quatuor. Sed utplurimùm proſtat in officinis hoc unguentum cum ſextâ vel octavâ parte mercurii; & ſic commendatur ad ſcabiem, herpetem, alioſque affectus pruriginoſos: pediculos etiam inguinales brevi interimit; non ſecùs ac cimices lectos infeſtantes. Unguentum verò mercuriale in luis venereæ curatione adhibendum, accuratiùs paratur cum mercurio è cinnabari extracto, in mortario diù trito & ſubacto, juxtà

formulam ſuprà exaratam. De methodo illud adhibendi ſatis ſuperque egimus in primâ hujuſce opuſculi parte.

Cuti proſpicientia.

(13.) *Alnus* rotundifolia, glutinoſa, viridis, Inſt. r. herb. (*Aulne*). Folia hujuſce proceræ arboris radiis ſolaribus expoſita, vel furno excalefacta, ægrotantibus ſubſternuntur; & ſuperimponuntur, ut copioſus ſudor diffluat. Exhinc laudatur id genus balnei adversùs paralyſim & tremorem; dolores in locis humidioribus contractos profligat; rheumaticos & iſchiadicos compeſcit; nec contrà alios, vel venereos, inutile judicatur.

PRAXEOS MEDICÆ
PARS SECUNDA.

LIBER TERTIUS,
DE CIBO ET POTU.

PROLEGOMENA.

ABSOLUTIS quæ de materiâ medicâ, pro inſtituti ratione, erant dicenda; ad *rem eſcariam* devenire expedit; quæ, præter nutritionis opus, viribus medicis minime defraudatur: cùm apud omnes in confeſſo maneat quod, è recto ciborum, quibus nec in ſecundâ nec in adversâ valetudine carere poſſumus, uſu; non ſolum inſtauretur, & reſarciatur quidquid ſolidioris ſubſtantiæ, inter perennem œconomiæ animalis motum, vel perenni effluxu abſumitur; ſed etiam curari & præcaveri queant variæ ægritudines, faſtuoſo officinalium apparatu domari neſcias: ſumma medicina, inquit CELSUS, non uti medicamentis. Hinc patet quanti ſit momenti ut ſedulò innoteſcant ſingulorum alimentorum, quorum ampliſſimam varietatem hominibus indulſit ſupremus parens, tùm dotes eximiæ, tùm pravæ qualitates; reſpectu ætatis, temperiei & diverſi corporis ſtatûs. Omnes bonitatis numeros explere, & juxtà naturæ normam nutrire videntur cibaria naribus, ori & ſtomacho grata; dummodò tamen ritè exerceantur organorum digerentium munia; quibus depravatis vel deficientibus, omnia ſuſdequè ſe habere, & ſanitatem peſſum ire, perſpicuum ſit. Nec ſemper extricari poteſt hæc morboſa cauſa; quin potiùs atrâ nube ſæpiſſimè obvolvitur: etenim ab effectibus duntaxat probè notatis erui poteſt hæc præſtantiſſima, omnibuſque apprimè neceſſaria, œconomiæ animalis ſcientia. Nullum ſanè quidem eſt dubium circà cibos

PROLEGOMENA.

quos reſpuit ſtomachus; ſed ſcitur plures, aliàs ſanos, ubique occurrere, qui ſolâ experientiâ ducti à nonnullis cibis, etſi quandoque gratiſſimis, abſtinere coguntur: adeò ut multùm valeat apud illos doctrina à juvantibus, & lædentibus eruenda. Solâ enim hâc cautâ exploratione dignoſci queunt cujuſcumque ſtomachi vires, ergà hoc vel illud alimentum: equidem in eâdem fermè ſunt ratione ſtomachorum differentiæ, & vultuum diſcrimina. Nec reſerari queunt hæc intricatiſſima naturæ arcana; ni priùs innoteſcant reſpectivæ organorum, & laticum ad cibariorum ſolutionem comparatorum vires; quod paucis perſtringere, in primo hujuſce libri limine, haud incongruum fore judicavimus.

Neminem latet *cibos ore aſſumptos*, dentibus comminutos, & ſalivâ imbutos, ſtimulante appetitu, in ventriculum, deglutitionis naturalis ope, devolvi; ubi potûs & ſucci gaſtrici beneficio, calidè macerati & ſoluti in fluorem abeunt, qui è diverſis materiebus conflatus, & latice nervoſo imprægnatus, ac quaſi vitæ particeps, ad duodenum ablegatur; ut ab acceſſu bilis & liquoris pancreatici emergat humor albicans, & quaſi homogeneus, ſolâ tranſcolatione à fæcibus ſeparandus; qui per peculiaria vaſa ſanguini inanito affunditur. Per tranſennam notare juvat quòd nulla ad hoc opus requiratur fermentatio; cùm innumeris experimentis conſtet chylum alimentorum indolem retinere; quòd nuſquam eveniret, ſi huic commentitiæ ſalium luctæ committerentur. Ubi tamen quâcumque causâ diutiùs, quàm par eſt, morantur in ſtomacho, incaleſcit tota ingeſtorum maſſa, & ab extricatis moleculis aëreis turget; hinc ventris intumeſcentia, inteſtinorum rugitus & flatuum expulſio: ſed facilè intelligitur hoc fermentationis genus merum eſſe effectum morboſum, naturali digeſtioni officientem; nedum ſit, uti nonnulli autumant, digeſtionis cauſa.

Saliva copiâ ſpirituum, uberiori proventu ad organa ſecretoria ſub maſticatione irruentium, dives alimenta dentibus trita ſubit & penetrat, ut faciliùs peragatur ſolutio. Spirituum animalium præſentiam in ſalivâ ultrà omne dubium arguunt benè perſpecta digeſtionum phænomena; ac præſertim ſtupendi effectus quos exerit hic latex ſub morſu variorum animalium, tùm rabidorum, tùm irâ percitorum; quem ſolâ ſpirituum ferociâ lethalem evadere, poſt innumera experimenta à ſolertioribus tentata, pro comperto manet: hinc patet cur omnia ferè animalia fero ſpirituum impetu excandeſcentia, hanc diram labem contrahere valeant; quod apertè probant variæ hiſtoriæ circà feralem anſeris, galli gallinacei, equi, aſini, apri, lupi, canis non rabidi & ipſiuſmet hominis morſum traditæ. Spiritus animales in ſalivâ deliteſcentes, ad hujuſce laticis energiam, ac vim cibaria immutandi, præcipuum conferre ſymbolum ſuadent accurato examini ſubjecta digeſtionum organa; & præſertim glanduloſa ſalivæ emunctoria, quæ nervos craſſiores & numeroſiores excipiunt: hinc patet ratio cur quodvis objectum palato gratum largiorem ſalivæ fluxum promoveat: adde quòd nil uberiorem ſpirituum proventum allicere valet;

quàm illâ gratiſſima inter comedendum ſenſatio, quâ delectantur etiam moroſiores philoſophi. Succum gaſtricum & pancreaticum haud abſimili ſpirituum irradiatione actuari, ultrà omnem controverſiam arguere videtur accuratum nervorum hiſce viſceribus proſpicientium examen. Prætereà ſi ſedulâ mente perpendatur appetitûs & famis progreſſus; neminem fore arbitramur qui haud dilucidè perſpiciat utramque ſenſationem à peculiari ſpirituum motione excitari; cùm pluribus obſervationibus conſtet hanc planè defici, etiam in eſurientibus, ab inordinato, vel denegato ſpirituum influxu: equidem neminem fugit quòd, ab aſpectu vel auditu rei nauſeoſæ, obſcuretur aut deleatur fames.

Inſuper *ſpirituum* vim, reſpectu ventriculi muniorum, prodit morboſa virginum & prægnantium appetentia, quæ non ſolùm verſatur circà quemcumque cibum, quem avidè proſequuntur; ſed etiam ergà inſolita & abſurda, à quibus natura abhorret; id genus ſunt fructus immaturi & carnes crudæ, vel cruentæ; terra & gypſum, carbones & cineres, lana & goſſypium, chartæ ſordidæ, coria putrida, &c. quorum ſanè inexpugnabile deſiderium morboſam arguit ſpirituum indolem. Nec ex alio fonte peti debet hæc peculiaris oris & ventriculi idioſyncraſia, quâ fit ut plures utriuſque ſexûs quædam cibaria, aliis grata & familiariſſima, averſentur & abhorreant; à quibus, reluctante antipathiâ, viriliter exeſis; aut vi, fortuitò, dolove aſſumtis graviora emergunt ſymptomata, imminente nonnunquàm vitæ diſcrimine. Quidam, mirum dictu! ipſiuſmet panis tanto odio tenentur, ut ejus odorem ferre minime queant: alii hanc, vel illam carnem ſingulari & inexpugnabili faſtidio abjiciunt: plures à conſpectu anguillæ in præcipitem virium lapſum incidunt; idem obſervatur de halecibus, cancris, &c. multi tantum habent lactis odium, ut ſine nauſeâ illud aſpicere nequeant: alii, cane pejus, devitant caſeum, à cujus conſpectu vel odore ſyncope corripiuntur. Eadem denique obſervatur antipathia ergà vinum cujuſcumque indolis non ſecùs ac varios fructus quos cæteri in deliciis habent. Nonne produnt hæc mira *ſympathiæ* & *antipathiæ* exempla pravam ſpirituum animalium diatheſim? & ultrà omne dubium arguunt hunc laticem, quo imprægnatur ſaliva æquè ac cæteri humores digeſtioni inſervientes, præcipuam opem præſtare ad excitandum, vel dirigendum appetitum.

His prælibatis, dilucidiùs fortè innoteſcunt ſtupenda & intricatiſſima digeſtionum phænomena; nec aliâ arte vires ſtomachi aſſequi licet, ut cuique temperamento aptiores ſeligantur cibi. Haud ſanè poſthabenda *ſolita victûs ratio*; cui tamen, etſi videtur innoxia, minime fidendum ergà prava alimenta, vel nigro carbone notanda, quæ ſuadet guſtuum moroſa diverſitas; cùm ſeriùs ociùs quamdam œconomiæ animali perniciem inferant; quæ medentium opem efflagitat. Attamen nonnihil quandòque indulgendum aſſuetis cibis, etſi inſalubribus, è quorum uſu plures, vel ſanitatis ſolliciti, avelli nequeunt; cùm diuturna conſuetudo vim naturæ ſæpiùs obtineat, cui nemo injuriam impunè facit: ideò lento greſſu procedendum inter emendandum illud vitium diæteticum, quod

Prolegomena.

ſubitò abrumpere haud tutum foret. Inſuper multùm allucinantur qui, juxtà tralatitium adagium, omnia ſana ſanis eſſe exiſtimant; etenim cibi craſſiores & crudi, ſale & aromatibus conditi, vel arte coquinariâ adulterati; non ſecùs ac liquores fermentati & ſpirituoſi, quæcumque valeat conſuetudo, non ſolùm minantur morbos acutos graviores, ſed etiam chronicos pertinaciſſimos; ſub quorum moleſtiâ miſerandum ſenium, ſi modò illud attigerint, patiuntur gulæ, cui inſerviunt, rationem ſubjicientes: neminem ſane quidem fugit validiores & athleticos in quibus chyloſis & hæmatoſis ritè perfici videntur, hiſce infortuniis ſæpiſſimè plecti. Ideò ſalubriorem victûs rationem minime deſpiciant; vel cibum ſimpliciorem & facilè parabilem operoſæ luxuriæ anteponant, firmæ valetudini & longævitati ſtudentes: innumeros morbos mirari deſines, inquit Seneca, ſi numerentur coqui: nemo demùm non novit illud tritum adagium, quo fertur, plures neci dare gulam, quàm gladium. Sed miſerum eſſe regimen medicum obnixè effutiunt helluones & opiparè viventes; à quibus ſcilicet appetitui ſenſibuſque obſecundantibus, hodierna voluptas ſæpiùs petitur quàm craſtina ſalus. Nùm vita variis mentis & corporis affectibus corrupta & exaſperata, perenni, ut inquiunt, regiminis tædio ſit felicior? viderint maturâ ætate edocti. Hinc obvium fit rectam vivendi normam primum locum obtinere inter eximia medicinæ præcepta; quibus diutiùs immorari vetat inſtituti ratio; ideò ad proſpectum hujuſce opuſculi devenire expedit, quòd coronidis loco, praxeos medicæ ſynopſim explens, curioſis & clinicis non ingratum fore confidimus.

Salubriorem ciborum partem præbent vegetabilia; inter quæ principem ſanè locum obtinent ſemina cerealia frumentacea, ariſtis à cæteris herbis diſtincta, uti triticum, ſecale, hordeum, &c. è quibus conficitur panis, quo vix ſine ſanitatis detrimento carere poſſumus; præter varia pulmenta & opera piſtoria horumce granorum farinis paranda. Frumentacea excipiunt cerealia leguminosa, vel ſiliquis incluſa; piſa nimirùm, cicera, lentes, phaſeoli & his cognata, quæ cùm præ vetuſtate induruerint, debitâ coctione emolliri debent; ne tardiùs concoquantur & flatulentiam moveant. Eximiorum etiam eduliorum album ſubeunt olera, quæ ſcilicet ex hortis promuntur; lactuca nempè, endivia, ſpinacia, braſſica, &c. Ejuſdem ordinis ſunt nonnulla cerealia leguminoſa herbacea, piſa nempè, phaſeoli, &c. quæ ratione ſaporis & præſtantiæ ſicca longè ſuperant. In eâdem ſerie recipiuntur radices, uti raphanus, rapa, paſtinaca, carota, porrum, cepa, &c. Huc etiam coincidunt fructus cucurbitacei, fructus cinaræ, tubera, fungi, &c.

Haud minorem alimoniæ noſtræ partem præſtant fructus arborum & fruticum: primi ſunt ceraſa, pruna, mala armeniaca & perſica, poma, pyra, &c. inter ſecundos eminent uvæ, mora rubi idæi, groſſulariæ & ribes; quibus addere licet fraga. Prætereà alii ſunt æſtivi uti ceraſa, mora, fraga, &c. alii autumnales, uti mala perſica, pruna, uvæ, &c. alii verò hyberni uti pyra, mala, caſtaneæ, &c. Fructus teneri, dulces, gratove ſapore præditi, plenam magnitudinem adepti, & ad debitam maturitatem perdu-

cti, ſalubrem victum præbent; præſertim abſtemiis, litteratis, bilioſis & obſtructione laborantibus; quem ipſiſmet febrientibus concedere licet, annuente clar. TISSOT; illos tamen caveant debiles & cruditatibus acidis conflictati. Aliter ſentiendum de fructibus præcocibus qui ſolùm pretio & raritate æſtimantur; non ſecùs ac de fructibus oleoſis, olivis nempè, nucibus, amygdalis, avellanis, &c. qui plerúmque ſtomachum gravant: ſicci verò, duriores, fibroſi; vel quorum dura & compactior eſt textura, difficiliùs in ſtomacho elaborantur, & ad nutritionem minùs apti cenſeri debent. Fructus demùm, aliæque vegetabilium partes variâ arte condiri ſolent; ut diutiùs ſerventur, & quâvis anni tempeſtate in promptu habeantur: ſal, ſaccharum, mel, acetum, aqua vitæ, &c. ad hoc opus adhibentur; è quorum condimentorum diſcrimine erui debent diverſæ horumce eſculentorum bonitatis notæ: ſed nuſquàm dubitare licet quin vegetabilia recentia, cæteris paribus, ſint ſalubriora.

Uberrimum etiam alimentorum proventum ſuppeditat REGNUM ANIMALE, à zoographis tripartitum; colligens nempè *quadrupedes*, *aves* & *piſces*; quæ omnia, experientiâ judice, victum minùs ſalubrem largiuntur; licet in uſum familiariſſimum apud urbanos cedant, noſtriſque partibus magis congeneres, & affines, perſpirationem, teſte SANCTORIO, feliciùs promoveant. Dubitare ſane quidem licet, num ab omni culpâ vacet illud obſonium, quòd ſi diutiùs quàm par eſt ſervetur, nefandam putredinem, teterrimumque fœtorem contrahit: nemo neſcit hâcce corruptelâ brevi defœdari omnes animalium enectorum partes; & ab hâc horrendâ labe immunes eſſe omnes vegetabilium, vitâ orbatorum, partes. Hinc intelligitur cur ingeſtæ animalium partes diuturniorem moram in ventriculo trahentes, haud raro in colluviem putridam œconomiæ animali infeſtam abeant. Nec fortè ex alio fonte prodeunt nonnullæ febres mali moris, quæ plurimum curantibus faceſſunt negotii.

Animalia juniora, è QUADRUPEDUM claſſi, ac præſertim maturiùs adoleſcentia, pluris habentur quàm ætate provecta; quorum carnes ſicciores, duræ & compactæ difficiliùs ſolutioni obtemperant. Frugivora, inter terreſtria, carnivoris longè præcellunt: caſtrata, generationi aptis præſtant. Inſuper habenda eſt ratio non ſolùm pabulorum quibus veſcuntur, & locorum paluſtrium, vel montoſorum quæ incolunt; ſed etiam cœli & climatis: animalia enim calidarum regionum, cæteris paribus, præſtantiora audiunt. Domeſtica & ſaginata ſylveſtribus ſuaviora & ſaniora cenſentur: feris tamen innoxiè utuntur homines robuſtiores, arduiſque laboribus addicti, nimirùm agricolæ, foſſores, bajuli, aliique laborioſam artem exercentes, qui à tenerioribus & blandioribus cibis nuſquàm probè nutriuntur. Pro alimento demùm inferioris notæ, vel tardioris ſolutionis, haberi debent tenaciores & glutinoſæ animalium partes, uti ſunt pedes, ventriculus & inteſtina, hepar & lien, lingua & cor, &c. Pingues, ſalivæ liquorumque digerentium vires obtundendo, ægrè etiam à ventriculo ſubiguntur, præſertim ſi acidis immiſceantur; præterquàm quòd à quodam

PROLEGOMENA.

caloris gradu, vel diuturniori morâ in ventriculo cujus tonus debilitatur, rancorem, præviâ quâdam aciditate, tacitè contrahant; non ſecùs ac carnes putreſcunt, & earum jura aceſcunt.

Secundus regni animalis ordo reſpicit VOLATILIA quæ ratione præſtantioris & exquiſitioris carnis, cum quadrupedibus certant: minùs tamen nutriunt; ſed faciliùs digeruntur. In familiariſſimum uſum venit genus gallinaceum, cujus ova euporiſtum & gratiſſimum obſonium præbent. Ex horumce volatilium domeſticorum carne, probè in ſtomacho ſolutâ, emergit chylus optimæ notæ, & blandiſſimus. His accedunt pavones, phaſiani, perdices, anates, ruſticulæ, coturnices, aliæque aves, tùm domeſticæ, tùm ſylveſtres; quæ ratione ſaporis & qualitatum prioribus minime cedunt: ut de variis aviculis, de quibus ornithographi, & quæ inter cupedias recenſentur, vel pro menſarum deliciis habentur, ſileamus. Poſtremò ſcire juvat aves, quæ liberiore cælo & naturalibus paſcuis fruuntur, ſalubriores cenſeri quàm altiles & cortales.

Sequuntur NATATILIA, quæ amplam luxuriei materiam præbent; & ſunt, juxtà ichthyographorum mentem, marina vel fluviatilia: prima ſunt mollia, cartilaginea, teſtacea; ac demùm cruſtacea vel peculiari tegmine veſtita: ſecunda, vel in aquis dulcibus degentia, fluminibus ſcilicèt, paludibus & ſtagnis, ſimili fermè ratione diſtinguuntur. Præſtantiores audiunt *piſces* qui in puro & alto mari, ventis agitato, vivunt; pejores verò qui habitant in ſtagnis; vel in littoribus urbium ſpurcities recipientibus. Haud abſimili ratione, qui in majoribus & rapidiſſimis fluminibus veſcuntur piſces; aut in aquis agitatis & ſaxoſis deliteſcunt, pluris æſtimantur quàm illi qui in aquis quieſcentibus, limoſis & ſordidis commorantur; cùm cœnum plerumque oleant & ſapiant hi poſtremi. Optimi demùm cenſentur, qui mare & flumina ſectantur; qui ſcilicèt, relicto mari, flumina ingrediuntur; vel ex aquis dulcibus in mare deſcendunt. Regionis etiam habenda eſt ratio: optimus equidem cenſetur piſcis in Galliâ & Britanniâ, qui deſpicitur in Italiâ, aliiſque regionibus calidis; & vice verſâ. Hoc demùm alimenti genus diutiùs, quàm par eſt, ſervatum ſemper damnari debet; quia nil tam citò corrumpitur: aliàs faciliùs in ſtomacho diſſolvitur; ſed parùm nutrit. Aves & quadrupedes juniores cæteris præſtare jam ſuprà inculcavimus: aliter ſe res habet de piſcibus, quorum ætate & mole majores, exceptis tamen ſuprà modum annoſioribus, ſapidiores & exquiſitiores evadunt; præſertim ſi ex vino rubro vel albo coquantur. Natatilia inſuper magis nutriunt quàm vegetabilia; ſed avibus & quadrupedibus ſub hoc conſpectu cedunt. Illud poſtremò circà piſces notare expedit quod nonnulli cetacei ſanguine calido, non ſecùs ac quadrupedes, gaudeant: hinc patet error eorum qui diſcrimen inter piſces & cætera animalia mutuantur à naturâ ſanguinis frigidi; potiùs eruendum ab oleo, adipis vices gerente in piſcibus; quod ſanè peculiari arte paratum olei inſtar optimi olivæ, à quibuſdam populis ſeptentrionalibus uſurpatur; quod ſanè prodit naturam piſcium; & dubium circà aves dictas *macreuſes* ritè ſolvit.

His

PROLEGOMENA.

His præmiſſis nonnulla adjicere expedit de CONDIMENTIS, tùm exoticis, tùm indigenis; à coquis excogitatis, & ab Apiciis expectatiſſimis; quorum æquus uſus non ſolùm innoxius, ſed etiam utilis & neceſſarius judicatur. Condimentis vix carere poſſunt animalium carnes, & præſertim piſcium frigidæ & inſipidæ, quæ horum ope non ſolùm ſuaviores, ſed etiam ſalubriores evadunt. Quod etiam intelligendum de oleribus crudis vel coctis, quæ alieno egent ſapore. Sed angue pejus vitentur cibi ſapidiores, vel acriores, ſapore ſcilicèt pungente & aromatico linguam ferientes, vel hiſce ſubſtantiis exoticis, quæ vulgò *épices* audiunt, adulterati, pro venenis gulæ proceribus gratiſſimis habendi; è quibus ſcilicèt prodeunt humores acres vel cauſtici & exedentes, qui ſenſim tenellis vaſculis inextricabilem labem impertiuntur, ſuccum nutritium inertem faciunt, humorum ſtaſi favent, & ſummam hinc œconomiæ animali inferunt perniciem. Nullum eſt dubium quin cibi, ſale, pipere, cinnamomo, aliiſqu earomatibus conditi ad acredinem muriaticam vergant, quæ ſanguinem & humores diverſimodè inquinat, è quâ ſoboleſcunt innumeri affectus cutanei & rheumatici, defluxiones acres, lithiaſis, &c. Nec minùs pertimeſcendæ carnes, tùm quadrupedum, tùm avium & piſcium, ſalitæ, fumo induratæ, atque temporis diuturnitate exareſcentes & rigentes; quæ, nemine diſcrepante, ventriculum laceſſunt, & chylum peſſimæ notæ ſuppeditant; nec alia eſt proſapia diatheſeos ſcorbuticæ, quæ nautas, egenos, literatos, &c. affligit. Minime poſtremò ſalubriora ſunt hæc opima jura, carnium ſucci percolati, vulgò *coulis*, eſſentiæ, aliave liquamina è carnibus recentibus vel ſalitis confecta, ipſiſmet Sybaritis & Syracuſanis ignota; peſſimo ſanè conſilio à noſtris coquis familiariùs uſurpata, quæ ignis vi in ſapidiſſimas ſubſtantias faceſſunt, ſanitati haud levia damna inferentes. Hinc obvium fit carnes cujuſvis ſortis aſſas, toſtas, vel elixas ſaniores eſſe arte culinariâ, vel hâc popinæ ſcientiâ ab Stoicis graviter notatâ, elaboratis vel concinnatis; famemque omnium eſſe condimentorum tutiſſimum & fortè gratiſſimum; quam tamen, neſcio quo fato, nuſquàm ferè experiuntur divites & optimates, opiparè viventes, vel inſanis menſæ lautitiis indulgentes, quos non pudet doctrinam apparandorum, condiendorumque ciborum vile officium, à mancipiis infimis olim peractum, ſtrenuè proſequi: quorum ſtomachus ab apparatu coquinario innumeris modis proritatus, quemdam ſucceſſu temporis contrahit torporem; quò demùm fit ut omnia, vel exquiſitiora faſtidiat. De condimentis indigenis minùs ſanè pertimeſcendis nil addimus.

Non ſolùm varias eſculentorum qualitates, ſed etiam eorum copiam reſpicit victûs regimen, pro ſanitatis tutelâ inſtituendum: vaſa uberiori chyli & ſanguinis proventu plus æquo turgentia, ſuis obeundis muniis impares evadunt. Equidem cibus & potus eâ quantitate ſumi debent quæ adamuſſim congruit organorum digerentium viribus, & ſufficit ad reparanda œconomiæ animalis diſpendia; vel hæc requiritur proportio inter ingeſta & egeſta, ut haud plus aſſumatur quàm ejicitur; aliàs præſto eſſe.

Prolegomena.

materiam morboſam omnibus perſpicuum fit. Ætatis habenda eſt ratio in hâc præcipiendâ menſurâ; infantes enim crebriori cibatu egent, quià amplum nutrimenti demenſum in eorum incrementum perpetim impenditur: econtrà ſenium ſub quo minor fit perſpiratio, parciorem victum expoſtulat. Poſthabitâ illâ proportione nuſquàm ritè perficiuntur functiones; ac ſeriùs ociùs ingruunt morbi acuti, vel chronici, quibus crebrò conflictantur gulæ mancipia. Prætereà ventriculi plus æquo turgentis anguſtiora evadunt oſtia, adeò ut ægrè permeantia, ob nimis conſtrictum pylorum, ingeſta, diutiùs, quàm par eſt, inibi morantur; hinc cardialgiæ, hypochondriorum intumeſcentia, ſpirandi difficultas, præſertim ſub decubitu in latus ſiniſtrum. Ventriculus ciborum mole obrutus, horumque elaborationi planè impar, malè ſe habet, tubumque inteſtinalem in conſenſum trahit; hinc tormina & varia alvi profluvia. Chylus ſub hoc rerum ſtatu, malè ſubactus, crudus & pravæ indolis, eamdem labem ſanguini imprimit, innumerorum morborum proſapiam. Præter ætatem, cujus conſideratio haud parvi habenda in inſtituendo vitæ genere, attendendum ad ſexum, temperiem & proceritatem; non ſecùs ac ad regionem; ut innoteſcat naturalis & congrua *ciborum menſura*; è quâ raro deflectunt, qui à fœdâ conſuetudine alieni, ſatietatem fugiunt, & à menſâ, vigente appetitu, recedere ſolent. Nec aliâ arte morbos præcavere & longævitatem aſſequi licet: exemplo ſint veteres eremitæ, qui ætatem incolumem & vegetam ultrà centeſimum annum producebant.

Ægrè definitur juſta ciborum menſura; ni conſulatur ſtomachus, æquiſſimus de hâc re judex. Infantes, quibus vix ſufficiunt jentaculum, prandium, merenda & cœna, copioſiori egent alimoniâ; quæ ſuccedentibus annis parcior requiritur. *Viginti quatuor* circiter *unciæ alimentorum* ex utroque regno petitorum explent pro die pleno hominem ætatis vegetæ, mediæ ſtaturæ & firmæ valetudinis: imò & aliquid demi debet ex hâc legitimâ menſurâ ergà ſenes, debiles & infirmos; ſtudio, aliâve causâ deſidentes: alimentum, inquit Hippocrates, ſit ut labor; etenim ab exercitationis defectu minuitur perſpiratio, ingeſtaque minùs conteruntur & ſubiguntur: præterquam quod ab omni contentione chartis impalleſcentium imbecillior evadit ventriculus; undè ingens malorum acervus, in hypochondriis, & in ſenſorio communi ſuam ſævitiem exercentibus; quibus occurritur parciori victu & congruâ exercitatione, necnon animi alacritate. Omnibus innoteſcunt nimiæ repletionis ſigna, torpor nempè vel ſegnities corporis nonnullis elapſis horis, vel paulò poſt paſtum; mens ſolito tardior, capitis dolor gravativus, inſomnia turbulenta, vel nimia ad ſomnum propenſio; appetitûs dejectio, nauſeæ, ructus acidi vel nidoroſi, flatulentia, alvi fluxus, crepitus olidi, &c. Hæc deflectuntur incommoda, ſi cibus nuſquàm aſſumatur, ni ingeſta probè cocta priùs fuerint ad inteſtina detruſa; adeò ut nullæ ſuperſint alimentorum reliquiæ in ſtomacho; ſub quâ conditione nonnihil urget fames quam citiùs hos experiri qui corpus exercent quàm illos qui in otio torpent, omnibus obvium.

Hinc patet quantùm ab ſcopo deflectunt, qui luxurioſæ & nocentiſſimæ dapum varietati indulgentes, gulæque tyrannidi cedentes, condimentorum aculeis, cupediis vel ſcitamentis, vinorumque generoſiorum fervoribus languentem & fatiſcentem ſtomachum ſtimulare tentant; qui ſanè brevi *intemperantiæ* pœnas luunt. Sed objiciunt helluones, quod plures occurrant cibis inhiantes & voraciores, vel appetitui nullâ adhibitâ cautelâ ſervientes, qui etſi victu lautiſſimo, cibis ſcilicet exquiſitioribus, vino, liquoribuſque ardentibus quotidiè ſe ingurgitant, & famis neſcii in perpetuâ ſatietate verſantur, ad extremum ſenium nihilominùs incolumes accedunt: verum quidem eſt pauciſſimos numerari hâc eximiâ, robuſtiorique conſtitutione prædítos, qui longævitatem aſſequuntur; quos aliàs diutiùs vixiſſe ſub parcioribus alimentis conjicere licet; qui inſuper multos convivas, uti neminem latet, morti tradiderunt. Nullus enim occurrit debili temperie donatus qui inter hunc pleniorem victum, quo moleſtam diſtenſionem patitur ventriculus, ad ſenectutem pervenerit. Hinc ſplendidas & luxurioſas menſas, ac præſertim comeſſationes, angue pejus fugiant ſanitati ſtudentes; cùm à deformi ciborum varietate & apparatu, difficile admodum ſit, ut quis, licet ſobrius, ſibi temperet. Sanitatis ſtudium, inquiunt ſolertiores medici; & teſtatur experientia; eſt non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem. Cæterùm tantò gravior eſt noxa cibi copioſiùs aſſumpti, quantò majori aviditate ingeritur: huic pravo edendi modo multùm lenocinatur ciborum varietas, tam in primis, quàm in ſecundis menſis ſpectanda; quæ hinc omni ſtudio vitanda ut præcaveatur pernicioſiſſima ciborum ingluvies; quæ jure fœcundiſſima morborum & vitæ brevioris mater audit.

Legibus diæteticis etiam ſubmitti debent POCULENTA, inter quæ principem ſanè locum obtinent lacticinia, quæ aliàs alimentorum exquiſitiorum claſſem ſubeunt; & ſuas vires mutuantur ab ipſomet animalis chylo, qui ratione pabuli diverſâ gaudet indole; nemo enim non videt quantum ſit diſcrimen inter herbas paludoſas & montanas. Scitur è lacte erui cremorem & butyrum, in menſis & culinis familiariſſima; atque etiam confici caſeum qui prout recens vel vetus diverſas vires obtinet; de quibus ſuo loco. Sed genuini & vulgatiſſimi potûs materiam præbet aqua cujus naturale deſiderium, ad vitæ conſervationem neceſſarium, omnibus ferè animalibus indidit ſupremus rerum author. Ubique tamen obvia aqua bibacum palato, rebus ſapidioribus aſſueto, nuſquàm arridet; cur minime mirum ſi plurima potuum genera excogitaverit luxuries, è quibus ſane quidem innumeri prodeunt morbi; vel quædam adverſa valetudo quæ multas ærumnas comites habet. Equidem nemo non novit perniciem quam poſt ſe trahunt liquores fermentati & ardentes; quâ plectuntur qui genuinum potum à naturâ ipſis conceſſum inconſultò deſpiciunt. Experientiâ ſanè conſtat abſtemios carnium, fructuum, aliorumque ciborum eſui paulò liberiùs ſine noxâ indulgere; ac vegetos & alacres, cæteris paribus, maturum ſenium attingere. Hinc patet quantum à verâ rationis ſe-

PROLEGOMENA.

Prolegomena.

mitâ diſtet ineptiſſimum Avicennæ conſilium quo ebrietas, ſemel vel bis quovis menſe laudatur.

Suis tamen laudibus minime defraudandum eſt *vinum* generoſum, probè maturum, nec recens, nec vetuſtius; nec dulce, nec auſterum; nec plus æquo flagrans & ſpirituoſum; dummodò parcè & moderatè ſumatur; vel multâ aquâ diluatur: imò & ſub nonnullis morbis inter eximia medicamina haud infimum locum ſibi vindicat. Sed nocet infantibus, & temperie calidâ præditis; præcipuè ſi pulſus pro ſtatu ſano celerior obſervetur. Ultrà omne dubium poſitum manet vinum plus digeſtioni officere, quàm favere; cùm ab eo ingeſtæ carnes corrugentur & indurentur; nedum ſolvantur. Prætereà cruditatibus acidis, præſertim ſub temperamento melancholico, anſam præbet; ut de aliis infortuniis ab intemperantiore vini uſu ſileamus: quibus ſcilicet plectuntur qui magnas pateras vini plurìes exſiccaſſe gloriantur. Majorem verò noxam inferunt liquores ardentes, naturæ humanæ infenſiſſimi, ſi præſertim horum liberalior & frequentior ſit uſus. Nec ſalubriora cenſeri debent cereviſia, pomaceum, pyraceum, aliique liquores fermentati & inebriantes, quorum compedibus vincti nuſquàm rationi parent: meliora ſcilicèt videntes, deteriora ſequuntur. Omnibus notum manet frequentem ebrietatem ad maraſmum & univerſi corporis languorem, ad tremorem, apoplexiam & epilepſiam diſponere: anorexiam inſuper, calculum, arthritidem, hydropem, icterum, aliumve morbum chronicum ſæpiſſimè intricatiſſimum poſt ſe trahit. Poſtremò agmen claudunt hauſtus domeſtici è theâ, caffeto, chocolato, aliiſque conſimilibus parati, quos ratione ætatis, temperiei, & conſuetudinis, diverſos effectus, infrà recenſendos exerere neminem latet.

SECTIO PRIMA.

DE VEGETABILIBUS.

CEREALIA.

TRITICUM hybernum ariſtis carens, C. B. pin. (*Bled* ou *Froment*). Nulli dubitamus quin hæc ſtirps præſtantiſſima, apud nos arvenſis, ſpontè creſcat in Tartariâ ſub ſpecie graminis quod dicitur *Gramen triticeum, ſpicâ latiore compactâ criſtatum*, Buxb. Quod ſcilicèt olim inane, operosâ culturâ ſenſim invaluit, & annorum decurſu granum illud notiſſimum præbuit. Inter cerealia frumentacea primum locum obtinet triticum, è cujus granis in farinam redactus paratur, notiſſimâ arte, *panis*, ſine quo nulla eſca placet; qui, etſi quotidiè ingeritur, nullum, vigente ſanitate, uti cætera edulia, cerealia vel alterius ſortis, faſtidium parit: imò & pro argumento proximæ ſanitatis accipitur, ſi æger incipiat panem oppetere: è quo demùm haud facilè ſine ſanitatis detrimento carere poſſumus; licèt pulte, non pane, vixiſſe veteres Romanos teſtetur PLINIUS. Panis recens ſimilagineus, è polline ſcilicèt molliſſimæ nitidiſſimæque farinæ, furfure probè exutæ, conflatus; laborioſè ſubactus, fermentatus & igne moderato in clibano aſſatus, cibum præbet nulli ſecundum; quod ſcilicèt plurimum largitur nutrimenti; dummodò farina haud ſitu ſit corrupta, nec lolio permixta. Aceroſus (*le pain bis*), vel ſecundarius & groſſior minùs nutrit, & robuſtioribus duntaxat corporibus congruit, ni ſtomachus præ conſuetudine ad ejus uſum ſit accommodatus. Pejoris eſt notæ panis ater, plebeius, vel caſtrenſis, qui furfure ſcatens inteſtina vellicat, parvam alimoniam præbet. De pane mucido vel ſordido, paleas & feſtucas continente, & ad canes amandando, nil addimus. Nemo non novit odorem gratiſſimum cujuſcumque panis recèns è furno extracti; quo vires quaſi refocillantur. Panis tùm primarius, tùm ſecundarius majori, quàm par eſt, copiâ ſumptus in cruditatem acidam ſæpiùs faceſſit: heſternus (*le raſſis*), faciliùs recente digeritur: è furno adhuc calens pro noxio habetur: repentinam repletionem accerſit, tardè permeat & flatulentiam movet. Panis cum lacte confectus, etſi ſuavior, inſalubris cenſetur. Conficitur è pane ſimilagineo pulticula ægris & ſanis expectatiſſima; quâ etiam probè nutriuntur infantes; ad quam adhibentur panis albiſſimi unciæ quatuor, quæ infunduntur per duodecim horas in aquâ, poſteà projiciendâ: dein coquitur ſuprà cineres calidos, addendo identidem tantillum aquæ, per quatuor

CEREALIA.

horas : pluriès inter poſtremam coctionem agitari debet pulticula, cui additur ſalis vel ſacchari, butyri vel olei quantum ſufficit.

Paratur etiam panis inferioris ordinis è ſecali, hordeo, avenâ, frumento turcico, &c. qui ratione materiæ diverſas vires obtinet; ut de pane à caſtaneis, glandibus quercinis & faginis, battatis, granis leguminoſis, &c. confecto ſileamus. His per tranſennam addere juvat quod panem alterius ſortis, *caſſavæ* nomine notum, conficiant Americani, è farinâ ſcilicet radicis cujuſdam plantæ, quæ, *manihot*, Indorum, vel *yucca foliis cannabinis*, apud CASP. BAUHINUM audit : cum optimo ſimilagineo certare hunc panem ſunt qui velint; adeò ut deſpiciatur maïs, vel frumentum indicum, quod ubique in iſtis regionibus occurrit. Notare expedit hancce yuccæ radicem ſucco ſummè noxio, & quaſi venenoſo, ſcatere, qui hinc prælo vel torculari ritè exprimi debet, priuſquàm adhibeatur farina. Panis etiam conficitur è ſaguſio in inſulis Moluccis, aliiſque tractibus orientalibus, qui ſuas laudes meretur, & innoxius cenſeri debet. De utroque pane exotico vide elaboratiſſimam artis piſtoriæ hiſtoriam, ad normam Acad. Regiæ Scientiarum, nuperrimè publici juris factam authore clariſſ. MALOUIN.

Nemo, ut ad orbitam revertamus, non novit *opus piſtorium* è farinâ triticeâ, butyro, oleo, adipe, ovis, &c. conflatum; quod plerumque compactum ægrè in ventriculo ſubigitur & diſſolvitur. Varia inſuper à piſtoribus dulciariis & cruſtulariis conficiuntur ſapore & aſpectu gratiſſima; placentæ ſcilicèt, liba, ſcriblitæ, globuli, artolagani, &c. præter alias lautitias & cupedias quas ſubeunt ſaccharum, mel, aromata, &c. quæ ſcilicèt magis ſuavia quàm ſalubria cenſeri debent. Poſtremò è polline, aquâ, croco & ovi vitellis paratur quædam paſta haud inſalubris, quæ pro variâ formâ quam obtinet, diverſa ſortitur nomina; cujus præcipua pars ſub formâ vermiculari, vel granuloſâ, nomine *vermicelli* & *ſemoule* divenditur in Italiâ & Gallo-Provinciâ, atque in culinis ſæpiſſimè & innocuè adhibetur.

Oryza, C. B. pin. (*le Ris*).

Inter optimas fruges recenſetur illud frumentum, exuto cortice, candidiſſimum, quod totam ferè rem cibariam nonnullis populis orientalibus præbet; quod non ſolùm in Aſiâ, ſed etiam in variis Italiæ locis paluſtribus ſeritur. Ex oryzæ farinâ panem haud inſalubrem, ſed facilè aceſcentem conficiunt populi orientales; vel grana integra, uti apud noſtrates, in pulmenta ori gratiſſima & ſaluberrima convertunt cum lacte, amygdalarum cremore, vel pingui carnium jure. Coquitur hoc granum, donec diſſiliat vel in ſuccoſam pulpam redigatur. Ex illo integro, ſed cum juſculis carnium ritè cocto, & mirè tumente paratur pulmentarium illud apud Turcas celebre, & in Gallo-Provinciâ familiariſſimum, quod *pilau* audit. Innumera demùm ex oryzâ concinnantur fercula ad lautiores menſas, quæ ſuavem & ſalubrem alimoniam præbent. Omnibus congruit hoc frumenti genus probè coctum; ac præſertim iis quorum alvus eſt plus æquo lubrica : confert edacioribus, qui nuſquàm ſcilicèt ſaturantur; tuſſi-

culoſis & arthriticis, gracilibus & macilentis; aliiſque de æſtu ſanguinis vel morbo pruriginoſo conquerentibus, ac demùm hæmorrhagiæ obnoxiis. Æquè ac alia farinacea, aciditatem in ventriculo nonnunquàm contrahit hic cibus.

CEREALIA.

Secale hybernum, vel majus, C. B. pin. Secale vulgatius, Parkins.
vernum, vel minus, C. B. pin. (*Seigle*).

Vulgò ad panificia à montanis & ſeptentrionalibus populis adhibetur hoc frumenti ariſtati genus. Atri ſunt & ponderoſi panes è ſolâ farinâ ſecalinâ, haud probè purgatâ, confecti; ſtomacho ingrati & graves, qui hinc procerum menſis abdicantur. Sed à nonnullis piſtoribus, penès quos ſit fides, conficitur panis merè ſecalinus, qui cum eximio tritico bonitate certat. Panis ex hocce frumento paratus, cujuſvis notæ, ſtomachum & inteſtina nonnihil ſtimulans, alvum humidiorem reddit: & ideò alvo obſtructâ laborantibus confert: hinc nonnunquàm ſanitatis causâ tritico admiſcetur ſecale; atque ex hâc miſcellâ panis emergit inferioris notæ, ſed ſalubris. Sunt qui ſecale torrefactum, inſtar caffe, adhiberi ſolent, ut hâc ſorbitione palato minime ingratâ nonnihil emolliatur alvus; nec infelici ſucceſſu.

Hordeum polyſtichum hybernum (vel vernum), C. B. pin. (*Orge*).

Nemo non novit hordei uſus domeſticos; nec fugit ab hocce grano etiam confici panem, qui tritico & ſecalino longè cedit. Ab egenis & ruricolis duntaxàt uſurpatur hoc ingratum pabulum ad ſublevandam tritici inopiam. Sed minime deſpicienda pulmenta quæ ex hordeo decorticato, glumâ ſcilicèt ſuâ exuto, parantur; quæ ratione ſubſtantiæ nonnihil viſcidæ, quâ pollent, vi demulcente donantur; blandamque alimoniam ſanis & ægris proficuam, nec inſuavem præbent. De hordei cæteris viribus medicis, de quibus ſatis ſuperque in materiâ medicâ; nec de modo conficiendi cereviſiam, alibi exponendo, nil addimus.

Zea, Briza dicta, vel Monoccocos, Germanorum, C. B. pin. Hordeum diſtichum ſpicâ nitidâ, *Zea* dictum, Inſt. r. herb. (*Epeautre*).

Ex hocce grano, inter triticum & hordeum, medium locum tenente conficitur panis ſubater & ſuavitate carens; qui tamen pani hordeaceo vulgari nonnihil præſtat; quem ideò minime dedignantur montani. Imò fertur Germanos panes ex hocce frumento, non minùs albos quàm à tritico, peculiari adhibitâ arte, parare, haud inſuaves, nec concoctu difficiles, minoris tamen nutrimenti. Hocce granum deglubitum, vel è cortice ſuo nudatum, juxtà nonnullos *alica* veterum, ſuppeditat materiam pulmentorum ſaluberrimorum, nec inſuavium, quæ tabidis & macilentis egregiam opem præſtant. Notare expedit quod zeam adhibere liceat, loco hordei vulgaris, ad confectionem cereviſiæ.

Avena vulgaris, ſeu alba, C. B. pin. (*Avoine*).

Ex avenæ grano, jumentorum magis quàm hominum pabulo, paratur ſub annonæ penuriâ panis inferioris notæ & inſuavis, qui parcum nutrimentum præbet; & in uſum duntaxàt nonnullorum agricolarum venit.

CEREALIA.

Sed ex hocce frumento deglubito, vel decorticato, ac craſſiuſculè trito, quod grutum (*le gruau*), audit, paratur puls inter blandiores cibos numeranda, nec palato ingrata; imò & à pluribus ratione ſaporis deprædicata, quæ in uſum medicum ſæpiſſimè trahitur.

Maïs Acoſtæ; Inſtit. rei herbar. Frumentum indicum, Maïs dictum, C. B. pin. (*Bled de Turquie*).

In variarum gentium alimoniam cedit hoc frumenti genus, cæteris granis multò viſcidius: laudatur præcipuè in Americâ; nec faſtiditur à noſtris villicis, nautis, duroque labore exercitatis, qui varia ex ejus farinâ candidiſſimâ conficiunt pulmenta, ipſis gratiſſima, nec nociva poſtquàm ventriculus illa ferre aſſueverit: ſed rarò ex hocce frumento, ni premente aliarum frugum caritate aliis farinis intermiſceatur, conficitur panis, qui durus, ſiccus & quaſi biſcoctus, exigui eſt nutrimenti; & cui ſola fames gratiam conciliat. Familiariùs apud noſtrates uſurpatur illud granum ad ſaginanda pecora majora: nec injucundum eſt illud pabulum columbis domeſticis.

Milium ſemine luteo (vel albo), C. B. pin. (*Millet*).

In nonnullis regionibus ad panificia adhibetur hoc granum, ac præſertim in Tartariâ; ubi, uti ſuprà notavimus, ſpontè creſcere videtur genuinum triticum, quod avibus & pecudibus relinquitur. Panis miliaceus aridus & friabilis eſtur citrà faſtidium, ſi Nonnio ſit fides, priuſquàm refrigeſcat: aliàs quâdam dulcedine, ſed ingratâ, pollens, vile eſt obſonium, & pauci nutrimenti: ægrè enim concoquitur, flatus gignit; diureſimque movendo alvum ſiccat. Meliùs ad genuinum avicularum domeſticarum pabulum ſervatur hoc granum; nec in alium uſum venit apud noſtrates, ni aliarum frugum urgeat inopia.

Panicum vulgare, J. B. (*Panis*).

Ex hocce grano, milio inſuaviore, quod ad avium eſcam etiam apud nos colligitur, rarò conficitur panis, ingrati ſaporis & pravi ſucci; cui ſolùm famis condimentum nonnullam gratiam conciliare valet; quo ſcilicèt tantummodò veſcuntur, premente aliarum rerum edulium penuriâ, quidam agricolæ, tenuiorisque fortunæ homines: nec minùs deſpiciuntur pulmenta ex ejus farinâ cum lacte parata; quæ tamen viribus demulcentibus minime defraudantur; & ab ipſiſmet medicis ſub hoc ſcopo præſcribuntur.

Melica, ſive Sorgum, Dod. Milium arundinaceum ſubrotundo (vel plano) ſemine; Sorgo nominatum, C. B. pin. (*Sorgo*, ou *Bled barbu*).

Inter fruges milio & panico cognatas recenſeri ſolet hoc frumenti genus, quod ad columbarum, aliarumque avium domeſticarum pabulum, apud noſtrates ſeritur. In viliſſimorum alimentorum numero reponitur hæc milii ſpecies; rariſſiméque ad panificia adhibetur, ni planè, deficiente ſolitâ annonâ, urgeat dira neceſſitas.

Fagopyrum vulgare erectum, Inſt. r. herb. Frumentum ſarracenicum, Matth. (*Bled ſarraſin*).

Vix

Vix in frumentorum cerealium albo locum obtinet illud granum; è quo tamen nonnunquàm, premente fame, panis conflatur, guſtu haud inſuavis, ſed peſſimæ notæ. Pulmenta etiam & placentas ex ejus farinâ parant nonnulli tenuioris fortunæ homines, quæ haud planè ingratum habent ſaporem; ſed parùm nutriunt. Plerúmque apud nos ſeritur fagopyrum, ut herbam viridem paſcantur boves & jumenta. Generi gallinaceo etiam congruit illud granum; quo ſcilicèt citò pingueſcere ſolet. CEREALIA.

Melampyrum, ſive Triticum vaccinum, J. B. Melampyrum purpuraſcente comâ, Inſt. r. herb. (*Bled noir*, ou *Bled de vache*).

Armentis dicata hæc planta arvenſis ſemina quædam cerealia præbet, quæ ex alimentorum albo expungi ſolent; licèt quandóque ab egenis & agreſtibus, ſub aliorum eduliorum penuriâ, granis frumentaceis immiſceatur ad panem conficiendum; hinc atriorem & inſuavem, nec ſalubrem: capitis enim gravedine ſæpiùs tentantur, qui eo veſcuntur, non ſecùs ac ſi lolio victitaſſent: ideò hoc pravum alimentum fugiant, quibus ſanitas curæ eſt.

Piſum majus quadratum, C. B. pin. (*Pois quarré*).
hortenſe majus, C. B. pin. (*Pois blanc*).
vulgare parvum arvenſe, J. B. (*petit Pois*).

Inter cerealia leguminoſa primum quaſi locum obtinet piſum maturitate durum & exſiccatum, quod etiamſi paucis arrideat, pro ſalubri alimento & demulcente habetur; dummodò tamen probè coquatur, & in pultem redigatur. Aliàs robuſtioribus, arduiſque laboribus ſe exercentibus, quibus valenti cibo opus eſt, duntaxàt congruit; cùm ægrè diſſolvatur, flatulentiam moveat, & obſtructiones ſæpiùs accerſat. Hinc fit ut plebi egenæ amandetur hoc obſonium, cujus decoctum alvum reſerat. Nec fortè tutiùs comeduntur piſa recentia & herbacea, licèt expectatiſſima, & palato gratiſſima in deliciis lautiorum habeantur; quæ ſcilicèt, ni parcè comedantur, digeſtionem turbant, & flatus gignunt.

Cicer ſativum, C. B. pin. (*Pois chiche*).

Cerealium leguminoſorum & ſalubriorum album ſubeunt cicera, haud inſuavia, & nutritioni apta; nonnihil tamen flatulenta. Nuſquàm aut rarò uſurpantur viridia & herbacea, uti piſa & fabæ; ſed ex illis exſiccatis parantur pultes urbanis ſummè arridentes. Nec ægrotantibus denegantur cicerum jura, ob quaſdam vires medicas, de quibus in materiâ medicâ: ſed vetantur renibus & veſicâ laborantibus; quibus præſertim noxia ſunt diuretica. Fertur vires genitales horum uſu intendi; quo nomine equis admiſſariis voranda objiciuntur.

Lens vulgaris, C. B. pin. (*Lentille*).

Inter eſculenta ſalubriora ergà ſanos jure numerantur lentes, familiariſſima puerorum alimonia, apud veteres Ægyptios, præſertim ſi probâ coctione in pultem abeant: nimis laſcivientem venerem cohibere dicuntur; nec exiguam alimoniam præbent. Sed ſub morboſâ corporis conſtitutione ægrè digeruntur; flatulentiam creant; atræque bilis generationi

CEREALIA.

favent; ideò nocent melancholicis, & ad moleſta inſomnia proclivibus. Nec magis congruit cachecticis lentium uſus diuturnior, ob obſtructiones quas parere ſolet, etſi harum jus ventrem ſolvit; quod benè notandum incumbit.

Phaſeolus vulgaris, inſt. r. herb. Smilax hortenſis, J. B. (*Haricot ordinaire*).

minor ſiliqua ſursùm rigente, Inſt. r. herb. (*petit Haricot*).

Cæteris leguminibus palmam præripere videntur phaſeoli; tùm ſiliquæ virides & herbaceæ, nondùm adultæ; tùm grana matura & arida. Sapore gratiſſimi etiam nobiliorum menſas ſubeunt. Ritè cocti viribus ſtomachi facilè ſubiguntur, optimamque & blandam alimoniam præbent: ſiliquæ præſertim virides ſecundæ ſpeciei, ſub nomine vernaculo *banetos* in deliciis jure habentur apud Gallos-Provinciales, & Occitanos. Haud tamen planè innoxia cenſeri debent hæc legumina, nonnihil viſcida, quæ ægrè à quibuſdam digeruntur, flatulentiamque ſæpiùs movent: hinc parùm congruere otioſis, delicatulis & vertiginoſis conſectarium manet.

Faba, C. B. pin. Faba major hortenſis, Parkins. (*Feve de marais*).

minor, ſive equina, C. B. pin. (*Féverole*).

Fabæ virides & herbaceæ à gulæ proceribus expetuntur: difficilè tamen in ſtomacho ſubiguntur; nec raro flatus mordaces pariunt. Parvi habentur ſiccæ & aridæ, quæ ad plebeculam amandantur: non tamen inſalubres, ſi ventriculus eas ferre aſſueverit. Aliàs tardè permeant; hinc ventris intumeſcentia & tormina: ſomnum turbulentum excitant; ſummamque inferunt noxam aſthmaticis; cur fit ut plerùmque ſerventur pro nutriendis quadrupedibus domeſticis; & præcipuè ad ſaginandos porcos. Imò & in pluribus locis ſeritur faba pro impinguandis arvis: nam terram arare ſolent agricolæ, cùm florere incipit herba.

Vicia ſativa vulgaris ſemine nigro, C. B. pin. (*Veſce*).

Edulium eſt inſuave, & ab omnibus vituperatum; concoctioni rebelle, craſſumque chylum generans; quod ideò ab urbanorum menſis exulat. Pecudibus potiùs quàm hominibus, pabulum præbet hoc cereale, tùm viride, tùm ſiccum; atque nuſquàm pro cibo divenditur; ni, planè deficiente ſolitâ annonâ, urgeat fames.

Ervum verum, Inſt. r. herb. Orobus ſiliquis articulatis ſemine majore, C. B. pin. (*Ers* ou *Orobe*).

Malè audit apud Medicos hic cibus amarus, ingratiſſimus, & pravi ſucci; qui tamen in uſum venit nonnullorum miſerorum quos premit neceſſitas, vel dira fames. Hinc intelligitur cur in hunc finem tantùm colitur in noſtris agris hæc planta, ut paſcantur & ſaginentur boves. Hæc grana, non ſecùs ac *lupini* ex alimentorum albo etiam expungendi, aquâ macerata, inſignem amaritiem nonnihil exuunt.

OLERA.

Lactuca ſativa vulgaris capitata (vel non capitata), J. B. (*Laitue commune.*
romana longa dulcis, J. B. (*Laitue romaine*).
foliis endiviæ, C. B. pin.

Inter olera, vel herbas ſativas quibus veſcimur, principem locum obtinet lactuca; adeò ut ejus latiſſimus ſit uſus, tùm in culinis, tùm in acetariis. Exiguum tamen nutrimentum præbet, ſed gratiſſimum & blandiſſimum. Æſtum prætereà ſanguinis temperat; alvum emollit; ſomnumque conciliat. Hinc prodeſt juvenibus, ſanguineis & bilioſis; ad venerem proclivioribus, & ſtranguriâ conflictatis. Lactucam crudam minime ferre valent imbecilles, & è morbo convaleſcentes; non ſecùs ac pueri & ſenes. Salubrior eſt ſanè quidem cocta; dummodò ſtomachi vires ferant: aliàs ventrem perturbat & ſolvit. Fertur frequentiorem lactucæ uſum pruritum accerſere; quod obſervaſſe haud mihi contigit.

Cichorium latifolium, ſive Endivia vulgaris, Inſt. r. herb. Scariola Arabum. (*Endive vraie*).
anguſtifolium, ſive Endivia anguſtifolia, Parkins. (*Endive franche friſée*).
criſpum, Inſt. r. herb. Intybus criſpa, C. B. pin. (*Chicorée*).
ſylveſtre, ſive officinarum, C. B. pin. (*Chicorée ſauvage*).

Acetaria exquiſitiora, præſertim menſibus hybernis, ingrediuntur hæ plantæ, quæ etiam à coquis familiariſſimè adhibentur. Primas ſpecies terrâ obruunt olitores ut folia candorem contrahant, & amaritudinem exuant. Paucum, ſed ſaluberrimum alimentum præbent endiviæ crudæ, vel coctæ: nonnihil amaricantes ſtomachum refocillant; ſanguiniſque & humorum fervorem reſtinguunt; horum craſim emendant; ſecretiones promovent, & nonnullas febres fugant. Cichorii ſpeciebus hortenſibus præſtat ſcariola. Cichorium verò ſylveſtre, ſalubrius & magis amaricans, quod etiam in hortis colitur ut amaritiem nonnihil deponat; ſimili ratione uſurpatur; nec abſimilibus viribus pollet: ſed latiſſimus eſt ejus uſus medicus, de quo ſuo loco. Pro herbâ congenere habetur *dens leonis*, vel *taraxacon*, nonnihil etiam amaricans qui cichorio, è quo fortè ſolo florum colore diſcrepat; minime cedit, & ſimili modo in acetariis comeditur.

Spinacia vulgaris, capſulâ ſeminis aculeatâ, Inſt. r. herb. Lapathum hortenſe, ſeu Spinacia ſemine ſpinoſo, C. B. pin. (*Epinars*).

Divitibus & egenis familiariſſimum hoc olus, gratum, & facilè ſolubilem, victum præbet. Ex hoc minutim conciſo & citrà aquam cocto conficiuntur pultes laudatiſſimæ, quæ ipſiſmet ægrotantibus conceduntur.

OLERA.

Haud niſi cocta editur ſpinacia; recèns tamen enata acetaria ſubingredi valet. Vi emolliente prædita tota hæc planta, omnium olerum fortè ſalubrior, ventris tormina demulcet, & alvo adſtrictâ laborantibus confert. Tuſſientibus prodeſt & gutturis aſperitati medetur. Non eſt tamen planè innoxia; cùm flatus ſæpiùs creet; imò ſub quâdam ſtomachi conditione nauſeam parit, ni aromatibus condiatur; ſed illud condimentum, aliàs gratiſſimum, caveant tuſſientes & macilenti.

Acetoſa rotundifolia hortenſis, C. B. pin. Oxalis romana, Dod.
pratenſis, C. B. pin. Oxalis vulgaris folio oblongo, J. B. (*Oſeille*).

Summâ aciditate conſpicua hæc planta inter familiariora & præſtantiora olera locum tenet. Parùm ſanè nutrit; ſed appetitum fovet; ſitim placat; æſtuantibus ſuccurrit; ferocientis bilis impetum retundit; &, quod benè notandum, putredini adverſatur. Summè demùm prodeſt ſub cachexiâ ſcorbuticâ; nec inutilem opem præſtat adversùs oris fœtorem.

Braſſica capitata alba, C. B. pin. (*Chou pommé blanc*).
alba, vel viridis, C. B. pin. (*Chou blond*).
capitata rubra, C. B. pin. (*Chou pommé rouge*, ou *cabus*).
rubra, C. B. pin. (*Chou rouge*).
cauliflora, C. B. pin. (*Chou fleur*).

Hæ ſunt præcipuæ ſpecies quæ in familiariſſimum uſum veniunt in culinis tùm pauperum, tùm divitum & magnatum. Braſſica alba vel rubra, ratione ſucci craſſi & graveolentis quo pollet, non omnibus congruit; ægrè enim digeritur; ructus fœtidos promovet; alvumque laxat. Prætereà viſum lædere, & mentem obnubilare dicitur, præſertim ſi non probè elixetur: tantò enim melior & ſalubrior exiſtimatur, quantò ſæpiùs effuſa fuerit aqua, in quâ coquitur: primum enim decoctum catharſim movere ſolet. Aliàs inter alimenta temperantia, demulcentia & anti-acida haud infimum locum ſibi vindicat; hinc macilentis & tuſſientibus ſummè prodeſt: rubra præſertim hiſce viribus inſtrui videtur. Experientiâ conſtat braſſicam vulgatiorem vini noxam reſtinguere, vel crapulam diſcutere; hinc minime mirari ſubit, ſi, quaſi vetus contra ebrietatem antidotum, ſit apud potatores celeberrima. Suas laudes etiam meretur braſſica cauliflora, quæ cum turionibus aſparagi, teneritudine & gratiâ certare videtur. È caudice braſſicæ, ſecto capite, erumpunt ſurculi edules, qui vel crudi comeduntur, vel à coquis diverſimodè uſurpantur ſub nomine italico *broccoli*: ſed notare juvat hoc titulo etiam deſignari quamdam braſſicæ ſpeciem, à prædictis cymis planè diverſam.

Beta alba, vel palleſcens, quæ Cicla officinarum, C. B. pin. (*Poirée blanche*).
rubra vulgaris, Inſt. r. herb. (*Poirée rouge*).
radice rapæ, Inſt. r. herb. (*Bette rave*.

In vulgatiſſimum uſum culinarem veniunt priorum ſpecierum coſtæ & folia ferè inſipida, & inter viles cibos recenſenda, quæ tamen congruâ elixa-

tione ſubacta victum haud inſalubrem præſtant egenis & ruricolis. Ab urbanis tamen minime deſpicitur hoc olus; nec à culinis magnatum exulat; quod aliàs parùm nutrimenti continet, alvumque nonnunquàm mordicat & emollit. Ad betam ſapore & viribus accedit *lapathum* hortenſe, nonnihil fermè ſuavius. Pluris habentur betæ rubræ radices coctæ, & in taleolas ſectæ; quæ uti nemo neſcit, in acetariis comeduntur, potiorique hominum parti arrident. Etſi ſalubres ad nutritionem parùm aptæ cenſentur: imò & quandòque debilem ſtomachum gravant; alvumque nonnihil laxant. OLERA.

Blitum album, & rubrum, C. B. pin. (*Blete*).

Colitur hæc planta multiplex; quæ etiam ſpontè ruri naſcitur. Folia inſipida, vel ingrati ſaporis, inter viliora obſonia numerantur, & ad plebeculam amandantur; vel ad eos qui rerum inopiâ premuntur, aut ſumptibus parcunt. Robuſtioribus duntaxàt ſtomachis congruit hæc planta, quæ digeſtionem ſæpiùs turbat, & alvum ſolvit.

Atriplex alba hortenſis, ſive pallidè virens (& rubra), C. B. pin. (*Arroche* ou *Bonne-Dame*).

Blito affinis hæc planta; & ideò inter viles cibos, fatuos nempè & inertes, vel inſipidos recenſetur; quam coctam comedunt, urgente fame, tenuiſſimæ fortunæ homines: ſed parùm nutrit, ſtomachum lancinat; alvumque ſolvit, ni acèto & aromatibus condiatur. Binis poſtremis plantis addere licet *malvam* vulgatiorem, & *lampſanam* domeſticam, quas inter olera recenſebant veteres, ut Author eſt ÆLIANUS; quarum uſus planè exolevit; ni, latrante ſtomacho, ſimili ratione ab egenis nonnunquàm uſurpetur.

Bonus Henricus, J. B. Lapathum unctuoſum folio triangulo, C. B. pin. Chenopodium folio triangulo, Inſt. r. herb. (*Bon Henri*).

Pro vili cibo, & ab urbanis deſpecto, etiam habetur hæc ſtirps agreſtis; haud tamen planè inſipida, cùm nonnihil ad ſpinaciam ſapore accedat: præſertim ſi ſylveſtrem naturam olitorum arte nonnihil exuat. Simili fermè modo in culinis uſurpatur ab egenis & agricolis. Sed notare juvat quod in uſum duntaxàt veniant turiones, germina novella, & florum thyrſi. Nec deſunt aliæ lapathi ſpecies quæ ſimili modo, premente fame, adhiberi queunt.

Portulaca latifolia, C. B. pin. (*Pourpier*).

Inter mitiora & refrigerantia edulia locum habet hæc planta ſuccoſa hortenſis, nonnihil acidula; quæ ſcilicèt bilis & ſanguinis fervori opitulatur; ſitim compeſcit & ſomnum conciliat. In acetariis vulgò recipitur; nec à coquis poſthabetur. Neminem poſtremò fugit hujuſce plantæ maſticatæ vis ergà dentium ſtuporem.

Apium dulce, Celeri Italorum, Raii, hiſt. (*Celeri*).
paluſtre, vel officinarum, C. B. pin. (*Ache*).

Harumce binarum plantarum ſolâ culturâ diſcrepantium prior alimentorum gratiſſimorum claſſem ſubit; dùm altera ad officinas amandatur. Radix & folia teneriora in acetariis exquiſitioribus recipiuntur; & in cu-

OLERA.

linis diverſimodè uſurpantur. Appetitum movent, debiliorique ventriculo opem ferunt: flatulentiæ medentur, putredini occurrunt, & lotium cient. Tuſſiculoſis, macilentis, & hypochondriacis nocet apium; quod etiam cavere debent cuicumque hæmorrhagiæ obnoxii.

Naſturtium hortenſe vulgatum, C. B. pin. (*Creſſon alénois*).

Ratione acredinis, quâ aquaticum ſuperat, ad ſinapi accedit hæc planta: ſed paucis arridet; licèt quandóque acetaria ſubingrediatur: nec crebriùs, ni fallor, in culinis adhibetur. Appetitum tamen promovet & debiliori ventriculo ſuccurrit: nec inutilem fore ſub cachexiâ ſcorbuticâ, ſunt qui velint.

Naſturtium aquaticum vulgare, Parkins. Siſymbrium aquaticum, Matth. Inſt. r. herb. (*Creſſon de fontaine*).

Sapore etiam acri, ſed remiſſiori, donatur hæc planta; quæ hinc acetaria ſelectiora, etiamſi lutum nonnihil ſapiat, ingreditur; & à coquis variis modis uſurpatur. Pro ſaluberrimo cibo, nemine diſcrepante, habetur; & inter præſtantiora antiſcorbutica primatum quaſi ducit naſturtium aquaticum; quod tamen dyſuriam nonnunquàm accerſit; & hoc benè notandum. Aliàs craſſiores & pituitoſos humores attenuare dicitur.

Eruca latifolia alba, C. B. pin. (*Roquette*).

Os & linguam acriter vellicat hæc planta vulgatiſſima; cur fit ut paucis arrideat: nonnunquàm tamen lactucæ immiſcetur pro acetariis; & à coquis ſæpiùs uſurpatur; cùm fervore ſuo cæterorum olerum frigiditatem attemperet. Ad venerem ſtimulat, ſanguiniſque æſtum fovet; ac capitis dolorem nonnunquàm inducit. Hinc intelligitur cur minime congruat temperie calidâ donatis; vel hæmorrhagiæ obnoxiis.

Pimpinella ſanguiſorba minor hirſuta, C. B. pin. (*Pimprenelle*).

Hæc herba ſpontè ubique naſcens, parùm ſapida & inodora vix alimentorum album ſubingreditur; licèt in acetariis nonnunquàm cum cæteris oleribus recipiatur. Sed pluris habetur apud medicos, & latiſſimi eſt uſûs in morborum chronicorum curatione; ob vim nonnihil adſtringentem & temperantem, ab encomiaſtis fortè plus æquo celebratam.

Valerianella arvenſis præcox, humilis, ſemine compreſſo, Moriſſ. Lactuca agnina, Parkins, (*Mâche*).

Olus album audiebat apud veteres hæc ſtirps humilis, & in arvis ſpontè creſcens; quæ etiam in hortis colitur. Prima & tenera folia nonnihil ſapida, acetaria ingrediuntur, tempore hyemali, vel ineunte vere, deficientibus ſcilicèt cæteris herbis: nec inſalubria cenſentur, dummodò ſtomachi vires ferant.

Coronopus hortenſis, C. B. pin. (*Corne de cerf*).

Infimum gradum tenet inter olera agreſtia hæc planta, ſapore minime ſuavis; quæ tamen ſub penuriâ cæterarum nonnunquàm cruda in acetariis recipitur. Sed nuſquàm, ni fallor, à noſtris coquis in uſum trahitur.

Aſparagus ſativa, C. B. pin. (*Aſperge*).

Turiones hujuſce plantæ hortenſis & pratenſis; vel germina novella, quæ ſingulis annis, veris initio è terrâ prodeunt, ſimplici elixatione parata,

gratiſſimum & innoxium cibum, ſed parùm nutritioni aptum, præbent. Diureſim movendo, fœdiſſimum odorem lotio conciliant; quod non poſſe fieri videtur, niſi quâcumque ſanguinis & humorum depuratione: obiter notare expedit quod turiones, vel prima germina *lupuli* à quibuſdam, inſtar aſparagi, etiam comedantur, & ſalubres cenſeantur: imò & bonitate ſucci cæteras fortè herbas vincere nonnulli exiſtimant.

OLERA.

Cinara hortenſis foliis aculeatis, vel non aculeatis, C. B. pin. Carduus ſive Scolymus ſativus ſpinoſus, vel non ſpinoſus, J. B. (*Artichaux communs*).
hortenſis non aculeata, capite ſubrubente, Hort. Reg. Pariſienſ. (*Artichaut à la poivrade*).
ſpinoſa, cujus pediculi eſitantur, C. B. pin. (*Cardons*).

Inter exquiſitiores dapes recenſentur capita ſquamoſa notiſſima prædictorum olerum. A coquis diverſimodè parantur duarum priorum ſpecierum fructus. Tertiæ verò ſpeciei capita, cruda cum ſale & pipere comedi ſolent; non ſanè integra; ſed pars alba quæ pappo ſubjacet. Quarta ſpecies ſuppeditat medias foliorum coſtas, (*les cardons*), culturæ mangonio candidas & teneras, quæ crudæ vel coctæ manduntur; nec à lautè victitantibus deſpectui habentur. Hoc oleris genus multi faciunt catillones; quod ægrè tamen ſolutioni obtemperat; hinc diù in ventriculo moram nectit, & flatulentiam creat. Æſtum præterea ſanguinis auget; ad venerem ſtimulat; urinamque multam & putidam expellere ſolet. Hinc macilentis & bilioſis minime congruit: hoc caveant melancholici; & parcè comedant cæteri.

Melo vulgaris, C. B. pin. (*Melon*).

Non ſecùs ac arbores & frutices, fructus mole majores præbent nonnullæ plantæ herbaceæ; inter quos primatum jure obtinent melones ſelectiores, ſapidi nempè & odoratiſſimi, qui inter exquiſitiores dapes, nemine diſcrepante, celebrantur: nec inſalubres cenſentur, dummodò haud immoderatus ſit horum uſus: melones enim optimæ notæ, qui nec ambroſiæ, nec nectari cedunt, vires refocillant & nonnihil alunt; &, non ſecùs ac alii fructus cucurbitacei, refrigerant; hinc ſenibus & phlegmaticis parùm congruere conſectarium manet. Melones verò inferioris ordinis ſummam noxam accerſere, queunt; febres ſcilicèt mali moris, diarrhœam, dyſenteriam, choleram, mictum ſanguinis, &c Ex eo quod fructus cucurbitacei brevi temporis ſpatio in maximam molem excreſcunt, inferre licet hos omnes ſucco crudo & aqueo ſcatere, qui à diuturniori morâ in ventriculo, vel quâvis aliâ causâ, corrumpitur: quod altâ mente tenere debent comeſſationibus indulgentes.

Cucumis ſativus vulgaris, C. B. pin. (*Concombre*).

In menſis acceptiſſimi cucumeres nuſquam crudi comeduntur; ſed variâ coquorum arte parati, omnibus ferè arrident. Exiguum tamen ſuccum nutritium penès ſe habent; & à nonnullis ſtomachis debilioribus averſantur. Parcè comedi, & aliis cibis intermiſceri debent; ne putreſcant in

OLERA.

ventriculo. Poſthabitâ ſane quidem hâc cautelâ, febres pravæ indolis, diarrhœas & dyſenterias non raròpoſt ſe trahunt. Infantibus & ſenio confectis minime congruunt prædicti fructus; ſed proſunt plus æquo æſtuantibus, & bile fervidiori laborantibus; necnon ſalacibus, vel in venerem pronis; mictui demùm ſanguinis medentur. Vitentur demùm ſubamaricantes quæ ventriculum laceſſunt & tormina concitant. Cucumeres parvi vel abortivi, aceto, ſale, pipere & anetho condiuntur, & per totum annum ſervantur, pro condimento gratiſſimo, quod *cornichons*, apud noſtrates audit: cavendum tamen ne ærugine inficiantur; cùm ſæpiſſimè adhibeatur cuprum ad colorem ipſis viridem elegantiorem conciliandum: quam periculoſiſſimam artem ſæpiſſimè ab incautis, vel nebulonibus adhiberi, non ſolùm ergà cucumeres abortivos; ſed etiam ergà cappares, pro comperto habemus: quod ſanè benè notandum incumbit.

Cucurbita longa, folio molli, flore albo, J. B.

latior, folio molli, flore albo, J. B. (*Courge* ou *Calebaſſe*).

Vulgatiſſimæ in hortis cucurbitæ, ratione qualitatum & utendi modi, à cucumeribus parùm diſcrepant: ideò parcam alimoniam ſuppeditant, & facilè putreſcunt in primis viis, nuſquàm ſanè abſque ſanitatis diſpendio. Cautus tamen harum uſus humorum ferociam obtundit; & lubricam alvum reddit. Nec parvi habendæ cucurbitæ muſto vel melle conditæ, quas immeritò reſpuunt magnates. Notare juvat longas in Italiâ, Gallo-Provinciâ & Occitaniâ familiariſſimas, & exquiſitiſſimas raro alibi occurrere.

Pepo vulgaris, Raii hiſt. Cucurbita major rotunda, flore luteo, folio aſpero, C. B. pin. (*Citrouille*).

Diverſam formam obtinent pepones in hortis familiariſſimi; nunc ſcilicèt oblongi, nunc rotundi, compreſſi; anguloſi, &c. conſpiciuntur. Non ſecùs ac alii affines fructus cucurbitacei, alimentum tenue ſubminiſtrant, humorum æſtum leniunt, & alvum humidiorem ſervant. Putredinem etiam induunt, ſi diutiùs, quàm par eſt, in primis viis retineantur: hinc varii impendent morbi quibus plecti ſolent, qui legum diæteticarum obliviſcuntur.

Melopepo verrucoſus, Inſt. r. herb. Cucurbita verrucoſa, J. B. (*Potiron*).

Melopepones, alios congeneres fructus mole ſuperantes, cùm nonnunquàm ad quinque pedum longitudinem accedant, in vulgatiſſimum uſum culinarem veniunt; & in hybernos menſes ſervantur. Exiguam, ſed blandam alimoniam ſubminiſtrant, quâ ſanguinis æſtus compeſcitur: facilè digeruntur & alvo ſiccâ laborantibus ſuccurrunt: hinc ſtomachis debilibus parùm congruunt, ni ſale, pipere & cepis condiantur; quibus tamen plus æquo adjectis, priorem qualitatem deponunt melopepones; & in cibum calidiſſimum, hinc noxium, faceſſunt.

Citrullus folio colocynthidis ſecto, ſemine nigro, quibuſdam Anguria, J. B. Anguria, Citrullus dicta, C. B. pin (*Paſteque*).

Nemo

Nemo neſcit pulpam citrullorum crudam comedi & gratiſſimi eſſe ſaporis; atque ſitientibus & æſtuantibus ſummè prodeſſe. Parcus tamen ſit hujuſce fructûs uſus: aliàs ob facilem corruptelam quam contrahit in primis viis, febres minatur, alvi fluxum, choleram, alioſque morbos, qui ſummum medentibus faceſſunt negotium.

OLERA.

Cepa vulgaris, C. B. pin. (*Oignon*).

Inter vulgatiores cibos locum obtinet radix hujuſce plantæ bulboſa, cujus variæ apud botanicos recenſentur ſpecies. Cepa eſtur cocta & cruda: tantâ acredine pollet cruda, præſertim rubra, ut ejus odor oculos vellicet, & lacrymas eliciat; ſed hunc fervorem cocturâ planè deponit. Digeſtionem alimentorum nonnihil juvat hoc cibi genus, aliàs pauci nutrimenti; vermes fugat, & alvum lubricam ſervat. Nonnihil prodeſt ſub colluvie ſtomachi craſsâ & viſcidâ; necnon acidâ: ſenibus demùm, phlegmaticis & ſcorbuticis congruere videtur. Noxam verò infert juvenibus, cholericis, & æſtuante ſanguine præditis: flatulentiam inſuper movet; imò & caput nonnunquàm petit, ſomniaque accerſit inquieta; quod præcipuè intelligi debet de cepâ longâ, rubrâ & acriori; cùm alba ſit mitior, quæ ſcilicèt cruda in regionibus calidis, Italiâ nempè & Gallo-Provinciâ, inſtar ferè mali, editur. De cepâ aſcalonicâ, dùm de condimentis.

Porrum commune capitatum, J. B. pin. (*Porreau*).

Ratione ſaporis & qualitatum, ad cepam, cui ſuccenturiat, nonnihil accedit porrum; ſed minoris eſt acredinis & inferioris notæ. Alvum & urinam blandè movet; nonnullis prodeſt tuſſiculoſis & aſthmaticis. Ebrietatem præcavere, imò & ſomnum, torporemque excutere dicitur. Inter viles cibos numeratur; cùm viſcidum, glutinoſum ſuccum, & ad nutritionem parùm aptum largiatur; quo fit ut vix ſine incommodo eſitetur; præſertim ſi majori, quàm par eſt, copiâ ingeratur. Etenim flatulentiam movet, & caput nonnunquàm gravat; tumultuoſumque parit ſomnum. Viſum denique obſcurare dicitur ejus diuturnior uſus; de quo tamen effectu dubitare licet.

Allium vulgare & ſativum, J. B. (*Ail*).

Notiſſimus eſt bulbus hujuſce plantæ; nautarum & ruſticorum, magis quàm urbanorum, obſonium. A coquis tamen, ceu condimentum, adhibetur; pluribus inviſum, ob oris graveolentiam quam poſt ſe trahit, quæ leniri ſolet ſuperedendo radicem apii vel petroſelini. Innoxium audit alimentum pro ſenibus & phlegmaticis; imò & ſummè proficuum cenſetur populis ſeptentrionalibus; vitamque in locis frigidis & paludoſis ducentibus; necnon laboribus arduis ſe exercentibus, & nautis qui cibis & aquis corruptis utuntur. Parcè ſumptum allium appetitum inſtaurat, ſtomachum refocillat, vermes enecat, & flatulentiæ medetur: perſpirationem juvat, & ſcorbuticis opitulatur: nonnullis aſthmaticis, ac febre quartanâ laborantibus prodeſt: ebrietatem impedit, & crapulam diſcutit. Putredini demùm reſiſtit, ac contagium arcet; adeò ut antidoti inſtar, graſſantibus morbis epidemicis, contrà deleterium uſurpatur; hinc theriaca pau-

OLERA.

perum, qui illud crudum edunt, dicitur. Aliàs moleſtiam ventriculo inferre ſolet, ſitim movere & caput lædere. Hoc caveant macilenti, bilioſi, temperie calidâ donati; & ad mictum, vel ſputum ſanguinis proclives. Allium cuti admotum, hanc corrodit, & veſicas excitat. Hinc patet quid ſit pertimeſcendum ab ejus immodico vel diuturniori uſu. Addere licet ſuccum allii, glutinis vel maſtiches inſtar, uſurpari ad vaſa fracta conglutinanda. De tuberculis è radicibus cujuſdam ſpeciei prodeuntibus, ſub nomine *rocambole*, infrà ubi de condimentis.

Rapa ſativa rotunda (& oblonga), C. B. pin. (*Rave*).

In familiariſſimum uſum venit apud villicos & cerdones hæc radix carnoſa, inerti mole conſpicua; quæ ſcilicèt nonnunquàm in ingentem & portentoſam magnitudinem excreſcit; ad pondus ſcilicèt quadraginta vel quinquaginta librarum, & ultrà. Oblonga dulcior & præſtantior cenſetur; quæ ſcilicèt cum carnibus cocta haud exiguam alimoniam largitur; ſed flatulentiam ſæpiſſimè movet; hinc à lautiorum menſis eliminatur. Nuſquàm, ni à pauperculis quos premit fames, cruda comeditur.

Napus ſativus, C. B. pin. (*Navet*).

Parùm differt ratione formæ & virium hæc radix à rapâ: ſed mole minor, exquiſitiori ſapore pollet, & à magnatum coquis ſola familiariſſimè uſurpatur; rapâ planè rejectâ. Minùs flatulentus napus faciliùs in ſtomacho ſolvitur, & blandiorem ſuccum præbet: prætereà tuſſientibus & raucedine laborantibus egregiè ſuccurrit.

Paſtinaca ſativa latifolia, C. B. pin. Elaphoboſcum ſativum, Tabern. (*Panais*).

Radix hujuſce plantæ craſſa & carnoſa, ſapore grato & ſubdulci, ac nonnihil aromatico, in culinis notiſſima, victum tenuem præſtat, frigidis & pituitoſis proficuum, ob lotii fluxum quem promovet. Menſes prætereà ciet, & venerem ſtimulat. Paſtinacam caveant hi quorum æſtuant ſanguis & humores; præſertim vetuſtiorem & annoſam, quam mentis perturbationem intuliſſe fertur. Sed ſilentio minime premendum quod nonnunquàm, monente BAUHINO, cicuta vel cicutaria pro paſtinacâ colligatur; quod benè notandum, ne immeritò incuſetur hoc olus.

Carotta vulgaris radice flavâ. Adverſ. Lobel. Paſtinaca tenuifolia radice luteâ (vel albâ), C. B. pin. Daucus ſativus radice luteâ. Inſt. rei herb. (*Carotte*).

Familiariſſimè etiam uſurpatur, napi inſtar, in jure carnium hæc radix pallido-lutea & carnoſa, ſapore aromatico & ſubdulci prædita. Parùm nutrimenti ſuppeditat, cùm coctione exſucca fermè evadat; & quaſi condimenti vices gerat; quod ſanè ægrè ferunt tuſſiculoſi, macilenti & temperie calidâ donati: ſed nonnullam opem fert ſub cruditatibus acidis in ventriculo nidulantibus. Addere juvat quod à nonnullis laudetur hæcce radix tanquàm topicum præſtantiſſimum adversùs cancros mammarum exulceratos, quibus ſimpliciſſimo apparatu ejus admovetur raſura.

Scorſonera latifolia ſinuata, C. B. pin. Tragopogon peregrinum vel hiſpanicum, Geſn. Hort. (*Scorſonere* ou *Cercifi d'Eſpagne*).

Hujuſce ſtirpis ſpontè naſcentis in Hiſpaniâ, ubi præſtantior occurrit, radix veſca à coquis uſurpatur, tanquàm alimentum tenue, ſed gratiſſimum & ſalubre; quod tamen ægrè diſſolvitur in debilibus ſtomachis. Diaphoreſim nonnihil promovet: hinc laudatur ceu medicamen, ſub variolis & morbillis. Cautè cum hâcce radice mercari debent qui pectore laborant, & de æſtu interaneorum conqueruntur. — Olera.

Tragopogon purpureo-cæruleum porri folio, quod *Artiſi* vulgò, C. B. pin. Barbula hirci flore purpureo, Camer. (*Serſiſi des pauvres*).

Hujuſce plantæ radix, non ingrati ſaporis, in uſum cibarium apud plebem venit. In acetariis ſcilicet recipitur; vel elixa butyro & aromatibus condita comeditur. Temperatius audit alimentum; ſed haud facilè ſolubile in ſtomacho: aliàs innoxium; nec tabidis & tuſſientibus inutile.

Raphanus major orbicularis, vel rotundus, C. B. pin. (*Radis*).

minor oblongus, C. B. pin. (*Raifort; Rave des Pariſiens*).

Utraque radix cruda comeditur; & tanquàm condimentum linguam gratè feriens, omnibus arridet. Diureſim egregiè movet; & prodeſt ſub diatheſi ſcorbuticâ. Raphanus tamen nonnihil flatulentus, ægrè à debilibus coquitur; imò & quandoque ructus parit olidos.

Raphanus ruſticanus, C. B. pin. Cochlearia folio cubitali, Inſt. r. herb. (*Cram* ou *grand Raifort*).

Hæc radix denſa & firma ægrè dentibus ſubigitur. Sapore acerrimo, haud inſuavi, prædita pro appetitûs ſtimulo, vice ſinapeos comeditur. Coctionem alimentorum juvat; ſummamque opem confert cachecticis & ſcorbuticis: ſed nocet bilioſis, calidâque temperie donatis.

Rapunculus eſculentus, C. B. pin. Campanula radice eſculentâ, flore cæruleo, Inſt. rei herb. (*Raiponce*).

A rapâ nomen ſortitur hæc planta, quaſi diceretur rapa parva, quæ vix digiti craſſitiem ſuperat. Rarò à coquis uſurpatur; & vilium ciborum claſſem ſubit. Radix cum foliis teneris hujuſce plantæ, non ingrati ſaporis, parùm elixata, acetariis hyemalibus immiſcetur. Appetitum excitat, & debili ſtomacho nonnihil opitulatur: ſed parcam alimoniam penès ſe habet; etſi lactis ubertatem nutricibus facere dicitur.

Siſarum Germanorum, C. B. pin. Siſer ſativum, Fuchs. (*Chervi* ou *Racine ſucrée*).

Hæc radix alba, ſapore dulci & ſuavi prædita, à coquis crebrò uſurpatur; multiſque arridet; nec pro inſalubri habetur. Facilè coquitur in ſtomacho, & ſatietatem inducere dicitur; licèt parùm alat. A nonnullis laudatur ſub ſputo & mictu ſanguinis; quod ad experientiæ incudem revocandum eſſe cenſemus. Scire juvat quod unciæ octo ſucci prædictæ radicis unciam unam & ſemis probatiſſimi ſacchari ſuppeditent.

Battata canadenſis, Parkins. Helianthemum tuberoſum indicum, C. B. pin. Corona ſolis parvo flore, tuberosâ radice, Inſt. rei herb. (*Topinambours* ou *Poire de terre*).

Radices hujuſce plantæ proceræ tubera veſca ferunt, numero quadra-

ginta vel quinquaginta & ampliùs, quorum nonnulla ad pugni magnitudinem accedunt. Eduntur cruda & cocta. Succo craſſo & viſcido ſcatent hæc tubera; & pro vili alimento, flatulento & pervicaci habentur; cur fit ut rarò in lautiorum menſis recipiantur; licèt haud exiguum alimentum præbeant, & famem egregiè compeſcant: ſuas tamen laudes merentur, ſi à coquis ſolertioribus tractentur. Ratione ſaporis ſubdulcis, non ingrati, pectoris acredines demulcere dicuntur: nùm rectè? viderint experti. Horum uſum caveant debiles, otioque indulgentes; cùm ægrè digerantur, & obſtructiones nonnunquàm pariant.

Battata virginiana, Park. Solanum tuberoſum eſculentum, C. B. pin. Papas americanum, J. B. (*Pomme de terre*).

Hæc planta americana, apud nos hortenſis & arvenſis, tubera etiam præbet edulia, quæ numero circiter quadraginta è radicibus latè ſerpentibus progerminant; & in æquali pretio habentur apud divites & pauperes. Sat gratum habent ſaporem; facilè digeruntur; & non minùs fortè quàm caſtaneæ nutritioni aptæ cenſentur: hinc cavendum ne majori, quàm par eſt, copiâ ingerantur. Inſuper vi quâdam anodynâ inſtructa humores æſtuantes compeſcere queunt.

Battata officinarum, C. B. pin. Convolvulus indicus radice tuberosâ, eduli, cortice rubro, battatus dictus, Parad. Batav. (*Batate d'Eſpagne*).

Peruviana hæc ſtirps, quæ etiam in noſtris hortis colitur, radicem habet edulem, non ingrati ſaporis & boni ſucci. Eſtur cruda vel cocta: ſed ſapidior & ſalubrior fit coctione; atque pluris habetur aſſa. Inter mitiores & temperatiores cibos haud infimum locum jure obtinet.

FRUCTUS.

Ficus ſativa fructu præcoci, pallidè virenti, intùs roſeo, Inſt. r. herb. (*Figue fleur griſe*).
fructu præcoci, ſubrotundo, albido, ſtriato intùs roſeo, Inſt. r. herb. (*Figue cordeliere*).
fructu parvo ſerotino, albido, intùs roſeo, mellifluo, cute lacerâ, Inſt. r. herb. (*Figue de Marſeille*).
fructu majori violaceo, oblongo, cute lacerâ, Inſt. r. h. (*Figue violette*).

Innumeras alias ſpecies, quæ ad prolatas facilè referri queunt conſultò prætermittimus. Ficus ſub calidis & temperatis regionibus inter exquiſitiores & ſapidiores fructus primatum ducunt. Blandam alimoniam præbent & alvum ſubducunt: tuſſientibus opitulantur; & nephriticis calculoſis proſunt. Autumnales præcocibus anteponuntur; ſalubrioreſque jure cenſentur. Noxius tamen eſt horum uſus immodicus, quem, præter primarum viarum moleſtias quas poſt ſe trahit, morbos cutaneos nonnunquàm accerſere, experientiâ conſtat. Ficus paſſæ vel caricæ viridibus & recentibus cedunt: ſuas tamen laudes merentur ſi ſint pingues, & à conſpersâ farinâ, ut moris eſt, minime adulterentur. Haud abs re erit notare quod ad ficum proximè accedat *ſycomorus*, ſive ficus ægyptia, Parkins; cujus fructus de quo per tranſennam, inter morum & ficum medium tenens, ſolis populis orientalibus, & præſertim Ægyptiis familiaris, exilem præbet alimoniam, debilibuſque ſtomachis adverſatur: vi tamen emolliendi & lubricandi nonnihil valet; ut de cæteris qualitatibus medicis ſileamus.

Ceraſus ſativa fructu rotundo, rubro & acido, Inſt. rei herb. (*Ceriſe*).
ſativa fructu majori, Inſt. r. herb. (*Griotier*).
major fructu magno cordato, Raii Hiſt. (*Bigarotier*).
major ac ſylveſtris, fructu ſubdulci nigro, C. B. pin. (*Mériſier*).

Inter innumeras propemodùm ſpecies, vulgatiores recenſemus, quorum fructus ſunt diverſæ indolis. Ceraſa nempè primæ & ſecundæ ſpeciei pro ſaluberrimis habentur: duarum verò poſteriorum fructus nigro carbone notari debent. Ceraſa primi ordinis hortenſia arvenſibus ſunt majora & ſucculentiora; ac ſapore ſuaviori prædita: utraque innoxia cenſentur, ſi ventriculi vires ferant; imò & humectant, ſitimque reſtinguunt. Ceraſa verò dulcia, amariuſcula, dura & carne compactâ, cæteris deteriora, putres humores, lumbricos & febres generant: hinc inter prava alimenta numerantur.

Morus fructu nigro, C. B. pin. (*Mûrier*).

Mora probè matura, nec acerba, antè ſolis ortum ab arbore decerpta,

FRUCTUS.

inter fructus ſuaviores & ſalubriores numerantur; nec ipſiſmet ægrotantibus denegantur; hinc audiunt apud Gallo-Provinciales & Occitanos *Amouros de malau*: equidem ſitim compeſcunt, bilis fervorem mitigant, & appetitum fovent. Proſunt ſcilicèt juvenibus & temperie ſanguineâ donâtis: ſed parcè à ſenibus & phlegmaticis comedi debent.

Prunus fructu majore dulci & atro-cæruleo, C. B. pin. (*Prune de Damas*).
ſubnigro, carne durâ, C. B. pin. (*Perdrigon*).
coloris ceræ, ex candido in luteum palleſcente, C. B. pin. (*Prune jaune*).
parvo ex viridi flaveſcente, C. B. pin. (*Prune de la Reine Claude*).
ex flavo rubeſcente, mixti ſaporis, & gratiſſimo, C. B. pin. (*Brignole*).

Numeroſiſſimas eſſe pruni ſpecies nemo neſcit; cur vulgatiores duntaxàt inſtar omnium recenſemus. Pruna dulcia & ſuavem ſpirantia odorem, nec acida, nec auſtera, ac recèns decerpta, benè audiunt apud Medicos; eò quòd ſanguinis æſtum temperant, & alvum nonnihil laxant. Cæteris præſtant damaſcena, quibus fortè minime cedunt brignolenſia, quæ detractis cute & nucleo, velut in unum glomum compacta, in ſcutulis advehuntur: ſapore ſubacido & quaſi vinoſo prædita, probè exſiccata, ad annum & ultrà ſervantur; atque gratiſſimum ſubminiſtrant alimentum, & ſalubre, quod tempore præſertim quadrageſimali, in lautioribus menſis recipitur: ſed congruâ maſticatione teri debent, nec majori copiâ ingeri: atque hâc adhibitâ cautelâ, cruda vel cocta ipſiſmet ægris conceduntur; ut alvum emolliant. Obiter notare expedit quod huic coincidunt *Sebeſtena* (*les Sébeſtes*), fructus cujuſdam arboris indici, qui Prunus malabarica fructu racemoſo, calyce excepto, Raii hiſt. dicitur: recentia à prunis vix diſcrepantia in eduliorum ſuavium claſſem recipiuntur apud Syrios & Ægyptios; imò & Italos: ſicca verò qualia proſtant in noſtris officinis, etſi edulia, ex alimentorum cenſu planè exulant.

Armeniaca fructu majori (vel minori), nucleo amaro (vel dulci), Inſt. rei herb. (*Abricotier*).

Mala armeniaca (*les Abricots*), quorum binas vulgatiores ſpecies ſiſtimus, ſapore & magnitudine, pro cœli clementiâ, terræ dotibus & culturæ mangonio, multùm inter ſe diſcrepant. Inter ſuaviores fructus locum obtinent; ſed, non ſecùs ac alii fructus fugaces, alimentum dant exiguum. Mala armeniaca immatura ſtomachum refocillant, ſed nervos laceſſunt. Probè matura & prioris notæ emolliunt, demulcent & nutriunt: aliàs facilè putreſcunt in ventriculo, febremque ſæpiùs concitant; præſertim ſi majori, quàm par eſt, copiâ ingerantur: hinc fit ut pleriſque, nullo habito bonitatis diſcrimine, tanquàm perniciosa planè damnentur; & pro ancipiti cibo qui blandas vitæ inſidias recondit. Pravas qualitates deponunt mala armeniaca cocta & ſaccharo condita; quæ inter bellaria exquiſitiora, & ſalubriora, locum obtinent.

Perſica molli carne, vulgaris, viridis & alba, C. B. pin. (*Pêcher*).
fructu magno globoſo, carne durâ & ſaccharatâ, Inſt. r. herb. (*Pavie*).
præcoci fructu, Præcoqua dicta, Inſt. rei. herb. (*Avant-Pêche*).

Aliæ ſunt numeroſſimæ perſicæ ſpecies, quas recenſere à noſtro inſtituto planè alienum. Mala perſica (*les pêches*), quæ in deliciis habent omnes gentes, ſalubriora cenſeri debent, ſi probè ſint matura; & caro mollis, ſucculenta; ac ſapore gratiſſima ſuavem ſpiret odorem. Serotina præcocibus præferuntur: cæteriſque præſtant quorum caro facilè à nuce recedit. Non ſecùs ac alii fructus horarii & fugaces, tenuem alimoniam præbent, & alvum lubricam ſervant: ac facilè ſub peculiari ſtomachi conſtitutione ad putredinem vergunt. Mala perſica, recentia comedi debent, cùm vix per biduum genuinum ſaporem retineant. Si ſint pravæ notæ, vel majori copiâ vorentur; æquè ac armeniaca, quibus tamen minùs ſunt pertimeſcenda, ventris tormina, diarrhœam & dyſenteriam nonnunquàm accerſunt: hanc pravam qualitatem nonnihil lenit ſaccharum; vel coctio. Perſicam è Perſide primùm adveniſſe conſtat ex ipſo nomine; ſed dubitare licet nùm hic fructus ſit, ut vulgò fertur, merum venenum in loco natali.

Malus ſativa fructu rotundo, è viridi palleſcente, acido-dulci, Inſt. r. herb. (*Renete*).
ſativa fructu orbiculato, odorato, Inſt. r. her. (*Pomme roſe*).
ſativa fructu magno intensè rubente, violæ odore, Inſt. r. herb. (*Calville*).
ſativa fructu ſplendidè purpureo, Inſt. r. herb. (*Pomme d'Api*).

Aliis innumeris ſpeciebus ſuperſedemus, cùm illæ vulgatiores & præſtantiores ſint inſtar omnium. Poma ſive mala (*les pommes*), ratione indolis & bonitatis multùm ab invicem diſcrepant: odore & ſapore ſuaviora pro ſalubrioribus haberi queunt: ideò ſeligi debent probè matura, dulcia, ſubacida vel vinoſa; ac gratum odorem ſpirantia, qualia ſunt poma renetia: ac vetentur inſipida, acerba, inodora, quæ moleſtiam creant ſtomacho, & flatus excitant. Inferioris notæ ſunt poma decidua, & vermibus intùs corroſa, quæ pro integris ſæpè nobis obtruduntur. Poma probæ notæ alimentum præbent exiguum, non inſalubre: difficilè tamen ſolutioni obtemperant ob carnem compactiorem; quæ ideò dentibus probè teri debent. Imò ſi majori copiâ ingerantur, palpitationes & incubum nonnunquàm accerſunt. Salubriora & ſuaviora ſunt cocta, vel ſaccharo gelatinæ inſtar condita; quæ hinc debilibus magis congruunt; & quatenùs minùs flatulenta jure laudantur. Parvi habentur poma præcocia & æſtiva, inſalubriaque cenſentur. Poma hyemalia diù aſſervari ſolent, vel ad proximum ver, ut congenitam acerbitatem deponant; vel debitam maturitatem adipiſcantur. His addere licet quod è pomis contuſis & prælo ſubjectis exprimatur ſuccus qui, vini inſtar fermentatus & defœcatus, pomaceum vocitatur; de quo infrà, in ſerie poculentorum.

FRUCTUS.

Pyrus ſativa fructu æſtivo, parvo, racemoſo, odoratiſſimo, Inſt. rei herb. (*Poire muſcate*).
ſativa fructu æſtivo turbinato, carne tenerâ, ſaccharatâ, Inſt. r. herb. (*Muſcat-Robert*).
ſativa, fructu æſtivo globoſo ſeſſili, ex albido flaveſcente, ſaccharato, odorato, Inſt. r. herb. (*Poire royale*).
ſativa fructu æſtivo oblongo, magno, partim rubro, partim albido, odorato, Inſt. r. herb. (*Bon chrétien d'été*).
ſativa fructu autumnali ſuaviſſimo, in ore liqueſcente, Inſt. rei herb. (*Beurré*).
ſativa fructu autumnali turbinato, ſeſſili flaveſcente, in ore liqueſcente, Inſt. r. herb. (*Poire de neige*, ou *Doyenné*).
ſativa fructu brumali, magno pyramidato, è flavo nonnihil rubente, Inſt. r. herb. (*Bon chrétien d'hyver*).
ſativa, fructu brumali longo, viridi flaveſcente, in ore liqueſcente, Inſt. r. herb. (*la Saint-Germain*).
ſativa fructu brumali ſeſſili è viridi flaveſcente maculato, utrimque umbilicato, in ore liqueſcente, Inſt. rei herbar. (*la Creſane*).

Præter has celebriores ſpecies, de aliis benè multis, ſed inferioris notæ mentionem ſubjiciunt Botanici, quas recenſere futile & ſupervacaneum judicamus. Pyra (*les Poires*), ratione cœli, ſoli, & culturæ, diverſos, uti nemo neſcit, bonitatis gradus obtinent. Summè deprædicantur ritè matura, quorum caro dulcior in ore liqueſcit: hinc poſthabentur inſipida & inodora, acida, acerba, duriora & lapideſcentia. Cocta crudis præſtant, & debilibus ſtomachis magis congruunt. Saccharo condita gratiſſimum etiam, & ſalubrem victum præbent. Sole, vel clibano exſiccata ægrè digeruntur, & inter prava edulia numerantur. Notare expedit quod pyra, ob grana lapidiformia, quibus plerúmque ſcatent, calculoſis infenſiſſima immeritò credantur: nam præterquàm quod hæc granula à genuino lapide ſint planè diverſa; ſcitur varias ſubſtantias lapideas; teſtas ſcilicèt ovorum, & cochlearum; lapidem judaïcum, lapillos cancrorum, &c. inter lithontriptica numerari.

Cydonia fructu oblongo, leviori, Inſt. rei herb. Cotonea malus, J. B. (*Coignaſſier femelle*).
fructu breviore & rotundiore, Inſt. r. herb. (*Coignaſſier mâle*).
anguſtifolia vulgaris, Inſt. r. herb. (*Coignaſſier ſauvage*).

Malum cydonium (*le Coing*), pro flatulento cibo & pervicaci habetur. Coctum verò, aſſum; atque ſaccharo, melle vel muſto conditum, gratiſſimum obſonium præbet, quod cruditatibus viſcidis medetur, & ad refocillandum ſtomachum nulli cedit. Alvi fluxu, lotiique profluvio laborantibus & hæmorrhagiæ obnoxiis, ſi nil obſtet, proſunt cydonia; quæ etiam cor exhilarare & ebrietatem præcavere dicuntur; ac demùm varia piſtorum dulciariorum opera ingrediuntur. Ex hocce fructu paratur vinum,

ut inquiunt, cydoniatum, præſentiſſimum pro debilibus ſtomachis remedium; ut de aliis viribus medicis, de quibus alibi, ſileamus. Notare expedit quòd malum cydonium, æquè ac cæteri cibi adſtringentes, ante paſtum eſum, alvo ſolutiori medeatur; econtrà verò, poſt paſtum ſumptum, alimentorum deſcenſum juvet, & ructus præcaveat; conſtringendo ſcilicèt os ſuperius ventriculi. FRUCTUS.

Malus punica ſativa, C. B. pin. (*Grenadier*).
ſativa fructu dulci, C. B. pin.
ſativa fructu medii quaſi ſaporis, C. B. pin.

Mala Granata (*les Grenades*), ſunt acida, dulcia, & neutra vel vinoſa; ac nonnunquàm auſtera. Raro ceu alimentum uſurpantur; licèt horum ſuccus, præſertim dulcium, multis arrideat. Acida appetitum excitant; vomitum & alvi fluxum ſiſtunt; ſed dentes & pectus lædunt. Dulcia vi temperante gaudent, & tuſſiculoſis nonnihil proſunt. Utraque plerúmque ſervantur ad fallendam ægrorum ſitim. De cæteris viribus medicis alibi actum fuit.

Aurantium dulci medullâ vulgare, Ferr. Heſper. Inſt. r. herb. (*Orange douce*).
acri medullâ vulgare; Ferr. Heſper. Inſt. r. herb. (*Orange amere*, ou *Bigarrade*).

Mala aurantia, à colore aureo ſic dicta, dulcia & probè matura, inter edulia ſuaviora, præſertim apud Sinenſes, locum obtinent. In orbiculos conciſa & ſaccharo conſperſa, detracto cortice, menſis apponuntur; vel quovis alio modo eduntur. Appetitum promovent, ſitim ſedant, ſanguinemque fervidiorem temperant; ſcorbuticis proſunt, & antiputridorum claſſem ſubeunt: hinc ſalubria cenſentur dummodò ſint prioris notæ, & moderatè ſumantur: aliàs ventriculum gravant, ventremque perturbant; ac tuſſiculoſis haud levem noxam inferunt. Mala aurantia acida, cum congeneribus, condimentorum claſſem ſubeunt; vel horum cortex ſaccharo conditur, atque inter cætera bellaria præſtat. Paratur etiam conſerva florum aurantiorum, quæ ſtomachi, cordis & cerebri vires refocillat. Similibus viribus gaudet aqua florum aurantiorum, inter condimenta ſalubriora recenſenda.

Citreum vulgare, Ferr. Heſper. Inſt. r. herb. Malus medica, C. B. pin. (*Citronnier*).

Mala citrea (*les Citrons*), viribus & ſapore limones, de quibus infrà, æmulantur; & ideò ſimili ratione in menſis, culinis & officinis uſurpantur. Cortex craſſiſſimus ſaccharo conditus, inter bellaria ſuaviora, numerandus, ſtomachum refocillat, & digeſtionem alimentorum juvat. In hunc uſum præcipuè venit hæc citrei ſpecies, quæ noſtratibus *cédrat* & *poncire* dicuntur. Nemo non novit citreum caryophyllis trajectum, ad contagium arcendum. Obiter notare expedit limones, ad condimentorum ſeriem amandandos, à malis citreis parùm diſcrepare, ni formâ rotundiori & cortice tenuiori.

Palma dactylifera major vulgaris, Sloan. Jamaïc. Palma vulgaris, Parkins. (*Palmier* ou *Dattier*).

FRUCTUS.

Dactyli recentes (*les Dattes*), cibum gratiſſimum populis orientalibus, Afris præſertim & Numidis, ſuppeditant; haud tamen innoxium, cùm ab ejus diuturno uſu præmaturè edentuli, ſcorbutum contrahere ſolent. Nec ſanè ſalubriores cenſeri debent dactyli exſiccati, quales ad nos tranſportantur; qui aliàs ob craſſiorem & denſiorem contextum difficiliùs digeruntur. Molles, humidi, dulces, vel ſapore ſuaves, ſeligi debent; non verò aridi, vel rancidi: parcus tamen ſit horum uſus, nec diuturnus, ne flatulentiam & obſtructiones pariant.

Ziziphus, Dod. Pempt. Inſt. r. herb. Zizipha ſativa, J. B. (*Jujubier*).

Jujubæ (*les Jujubes*), formam olivarum accuratè referentes, in regionibus calidis & temperatis vulgatiſſimæ, rarò menſis apponuntur, & quaſi ad mulierculas & infantes ablegantur. Sapore tamen haud inſuaves, ſuccum blandum & nonnihil nutrientem largiuntur. Tracheæ aſperitatem leniunt, & urinæ ardorem mitigant: ſed debiles ſtomachos gravant, & flatulentiam accerſunt. De uſu officinali ſuprà actum fuit.

Caſtanea ſativa, C. B. pin. (*Maronnier*).

ſylveſtris, quæ peculiariter Caſtanea, C. B. pin. (*Chataigner*).

Utriuſque ſpeciei caſtaneæ, quarum majores noſtratibus dicuntur *marons*; minores verò, *chataignes*, magnitudine tantùm diſcrepant. Elixæ, aſſæ, vel ſub ferventi cinere excoctæ, alimentum gratum & ſalubre, audiunt. His veſcuntur agricolæ, & in lautioribus menſis recipiuntur; nec illas reſpuunt ſolertiores coqui. Sunt qui velint glandes quibus victitabant antiqui, nihil aliud eſſe quàm caſtaneas; ſed refragari videtur experientia, quâ conſtat variis in locis, apud ſcilicèt Hiſpanos, vel quaſdam alpinas gentes, proſtare *glandes edules*, quæ ratione ſaporis & bonitatis nucibus caſtaneis minime cedunt: nec deſunt in tractibus Hiſpaniæ meridionalibus, præſertim in regione granatenſi, glandes quæ avellanas prioris notæ ſuavitate ſuperant: congruunt caſtaneæ voracibus, quorum ſcilicèt fames vix expletur: aliàs haud culpâ omninò vacare pro comperto habemus, præſertim ſi ad ſatietatem edantur. Ægrè enim coquuntur ſub debilitate ſtomachi; flatulentiam ſæpiùs movent; alvumque ſiccare ſolent: vetantur inſuper cachecticis & nephriticis. Diù ſervantur caſtaneæ decorticatæ, ut in culinis quovis anni tempore adhiberi queant: ex illis arefactis & in farinam redactis conficitur panis inferioris notæ, qui ægrè digeſtionum officinas tranſit; hinc robuſtioribus duntaxàt & ruſticis congruit. Pultes etiam grati ſaporis, ſed pravæ digeſtionis parantur in variis Italiæ locis. È caſtaneis etiam conficitur chocolatum quoddam extemporaneum, minime ſanè deſpiciendum: ad quod opus coquuntur in aquâ vitæ caſtaneæ majores, ut cortice & pelliculis orbentur: dein bulliant in lactis unciis octo. Trajecta pulpa iterùm bulliat cum lactis ſufficienti quantitate, ſaccharo & tantillo cinnamomi: ligno demùm verſatili agitetur hic liquor, ut genuini chocolati inſtar ſpumeſcat. Prodeſt hoc

cibi genus debilibus & convaleſcentibus; opemque fert tabidis & phthiſicis.

Nux juglans, ſive regia vulgaris, C. B. pin. (*Noyer*). Fructus.

Nuces, (*les Noix*), comeduntur virides, vel maturæ. Primæ, (*les cerneaux*), dulces & ſuaves palato placent; ſed ventriculum ſæpiùs laceſſunt & difficilè concoquuntur. Ad maturitatem perductæ, minùs ſuaves, cibum præbent villicis & cerdonibus familiarem. Salubres cenſentur, appetitumque promovent, dummodò aliis cibis miſceantur; nec majori copiâ ingerantur. Aliàs ægrè coctiles, parcam & pravam alimoniam præbent: nocent enim tuſſientibus, vel raucedine laborantibus; non ſecùs ac macilentis, cholericis & melancholicis; capitiſque dolorem haud raro accerſunt. Addere juvat quod deteriores evadant, ſi rancorem, ob vetuſtatem, contrahant. Aliter ſentiendum de nucibus viridibus, vel antequàm putamina obduruerint, ſaccharo conditis, quæ, præter gratiſſimum ſaporem, ſtomachum refocillant; & parcè comeſtæ nullam noxam inferunt. È nucibus demùm maturis exprimitur oleum, plerùmque inſuave; quod raro in uſum cibarium venit: ſed pro pictoribus, vel ad lucernas, ſervatur.

Amygdalus ſativa fructu majori, C. B. pin.
dulcis putamine molliore, C. B. pin.
amara, C. B. pin. (*Amandier*).

Amygdalæ dulces (*les Amandes douces*), officinis & culinis æquè inſerviunt. Virides & immaturæ lautioribus menſis apponuntur; maturæ verò rariſſimè, ni tempore quadrageſimali. Utræque ægrè digeruntur; ſed ſat nutriunt, imò & pinguefaciunt: humorum enim acimoniam leniunt & macilentis proſunt; ſed ſtuporem ſtomachi nonnunquàm accerſunt. Latiſſimus eſt amygdalarum uſus apud piſtores dulciarios: ex his contuſis cum ſaccharo & aquâ roſarum conficitur hæc ſcriblitæ ſpecies quæ dicitur *Maſſepain*. Ex amygdalis, polline, ovis & ſaccharo paratur artolaganus amygdalinus, qui *Macaron* audit. Nemo non novit amygdalas ſaccharo obductas (*Amandes ſucrées*); quæ bellariis immiſcentur, & infantibus præſertim dicantur. Pluris habentur quæ cum ſaccharo affato parantur, ſub nomine *Pralines*. Amygdalæ amaræ viribus pollent ſtomachicis & anthelminticis; nervos tamen ſtomachi quandóque laceſſunt, non ſecùs ac ventriculum avium & nonnullorum quadrupedum. Crebrò tamen uſurpantur à coquis & à piſtoribus dulciariis; nec ingratus eſt cibus quem ingrediuntur. De amygdalarum viribus medicis ſatis ſuperque alibi.

Corylus ſativa fructu albo minore, ſive vulgaris, C. B. pin.
ſativa fructu rotundo maximo, C. B. pin. (*Noiſettier*).

Nuces avellanæ, (*les Noiſettes* ou *les Avelines*), ſapore haud inſuaves, amygdalis exquiſitiores, blandam, ſed parcam, alimoniam præbent; acrioreſque humores leniunt. Ægrè digeruntur, & ventriculum laceſſunt; imò & caput nonnunquàm gravant; nervoſque lædunt; ſi non probè dentibus terantur, vel majori copiâ ingerantur. Raro lautiorum menſis appo-

FRUCTUS.

nuntur; ſed in uſum agricolarum vulgò veniunt: recentes & nondùm maturæ ſapidiores, ſalubrioreſque cenſentur; ſed tardior fit harum ſolutio in ſtomacho.

Piſtacia peregrina fructu racemoſo, ſive Terebinthus indica Theophraſti, C. B. pin. (*Piſtachier*).

Nuces Piſtaciæ (*les Piſtaches*), haud inſuavem cibum præbent; ac amygdalis & avellanis præſtant. Exiguam alimoniam, ſed innocuam impertiuntur; dummodò probè dentibus terantur, & ſtomachi vires ſinant. Tuſſiculoſis proſunt & nephriticis auxiliantur, ſi moderatè ſumantur: harum verò uſus immodicus vel diuturnior, præter ſtomachi moleſtias, cephalalgiam & vertiginem quandóque accerſit. Non ſecùs ac amygdalæ, ſaccharo obducuntur; & aliis bellariis immiſcentur.

Sorbus ſativa, C. B. pin. Sorbus legitima, Cluſ. (*Sorbier* ou *Cormier*).

Sorba (*les Cormes*), ante integram maturitatem, vel debitam mollitiem acerbiſſima, quæ ideò nemo velit attingere, inter vilia edulia apud ruſticos, tenuioriſque fortunæ hominibus amandanda numerantur. Sapore tamen minime ingrata, ſi aliquandiù in aëre penſilia ſerventur, vel probè matura, ſeu fracida comedantur: ſed parùm nutrimenti ſuppeditant. Proſunt his quorum alvus eſt ſolutior: aliàs raró in urbanorum uſum veniunt.

Meſpilus germanica, folio laurino non ſerrato, C. B. pin. (*Neſflier*).

apii folio laciniato, C. B. pin. Azarolus Cæſalp. (*Azérolier*).

Meſpila (*les Neſfles*), pro vili, inſuavi, inſalubrique alimento, ſoliſque pauperculis noto habentur; licèt matura & jam fracida acerbitatem ex parte deponant. Ventriculum enim gravant; alvum ſiccant; & craſſiorem ſuccum præbent cachecticis, & obſtructione laborantibus infenſiſſimum. Infantibus eſurientibus duntaxàt arrident azarolæ (*les azéroles*); quæ etiam inter ignobilia alimenta & inſalubria recenſeri debent. Meſpila verò ſylveſtria pueris & mulierculis duntaxàt expetuntur, & è ciborum albo expungi ſolent.

Cornus hortenſis mas, C. B. pin. (*Cornouiller*).

Corna (*les Cornes*), olivæ mediæ faciem referentia, ſapore ſubacido & adſtringente prædita, haud niſi à robuſtioribus digeruntur: adeò ut vix in alimentorum claſſe recipiantur, ni ſaccharo condiantur. Cæterùm plebeis & ruſticis, vel guloſis pueris, duntaxàt arrident, quorum tamen ventriculum non raró laceſſunt.

Arbutus, folio ſerrato, C. B. pin. (*Arbouſier*).

Grato ſpectaculo per hyemem in ſaltibus virens hæc arbor, fructum fert fragiformem, colore coccineo rutilantem; ſed ingratæ & nauſeoſæ dulcedinis. Raró niſi à pauperrimis & incautis comeditur: ventrem enim perturbat, & chylum deterioris notæ ſubminiſtrat; hinc è ciborum ſerie expungendus.

Olea, fructu maximo, Inſt. r. herb. (*Olivier d'Eſpagne*).

fructu oblongo minori, Inſt. r. herb. (*Olive picholine*).

Inter varias ſpecies quæ olivas edules ſuppeditant, has binas fortè familiariores, quas præſtantiores alit ager aquiſextienſis, inſtar omnium, recenſemus. Olivæ virides, priuſquàm fuſcum colorem maturitate induant, colliguntur; ac ſalſugine vel muriâ, aliove modo condiuntur. Præſtantiores audiunt quæ *picholines* vernaculè dicuntur, quarum præparationem paucis notam, per tranſennam indicare haud abs re fore putavimus. Virides nempè & ſelectæ per viginti quatuor horas macerantur in lixivio calcis vivæ & cinerum ligni quercini. Dein per novem dies & ultrà ſervantur in aquâ dulci quotidiè renovandâ, donec ſcilicèt congenitam amaritiem deponant, vel planè inſipidæ evadant. Condiuntur poſtremò in muriâ, vel aquâ ſalsâ ovum ſuſtinente; & nonniſi poſt menſem edules fiunt: ab Apiciis & Baccho litantibus in pretio habentur. Quocumque modo parentur olivæ; pravum alimentum præbent, quod fibrosâ texturâ præditum ægrè in digeſtionis officinâ diſcerpitur; & tardè permeans acredinem in ventriculo contrahit: hinc nocet macilentis, & interaneorum æſtu laborantibus. Appetitum tamen promovent; & nauſeantibus, cruditatibuſque acidis conflictatis nonnunquàm ſunt conducibiles: at ſæpiùs, ceu condimentum, aliis cibis, pro cujuſque palato, adduntur. Ex olivis maturis elicitur oleum in officinis & culinis familiariſſimum; quod dulce, recens & non coctum, innoxium cenſetur; aliàs inſalubre; de quo fuſiùs dùm de condimentis. FRUCTUS.

Siliqua edulis, C. B pin. Ceratonia, Dod. Pempt. (*Carougier*).

Siliquæ (*les Carouges*), inſuavi dulcedine præditæ vix eduliorum album ſubingrediuntur; & ſtomacho plerúmque adverſantur. Hinc crebriùs in officinis uſurpantur; vel ad pueros & agricolas ablegantur; ni ad ſaginandos porcos ſerventur.

Fagus, Dod. Pempt. Inſt. r. herb. (*Hêtre*).

Jamdudùm abierunt in deſuetudinem nuces faginæ, quibus olim veſcebantur, non secùs ac è glandibus quercinis, priſci orbis incolæ; priuſquàm ſcilicèt ipſis innotuerit cerealium uſus. Haud tamen omnibus infimæ plebis, vel eſurientibus ſunt inviſæ, cæteris denegatis alimentis, prædictæ nuces; quas liberaliùs comeſas, lolii inſtar, caput turbare fertur. Sed potiùs ad ſaginandos porcos, cæterave animalia domeſtica, ſervantur apud noſtros agricolas: his etiam delectantur glires, mures & ſciuri; non ſecùs ac turdi, aliæve aviculæ.

Vitis damaſcena, Hort. reg. pariſ. (*Raiſin de Damas*).

uvâ peramplâ, acinis albidis, dulcibus & durioribus, Inſt. r. herb. (*Chaſſelas blanc*).

uvâ peramplâ, acinis nigricantibus & rubentibus, Inſt. r. herb. (*Chaſſelas noir*).

uvâ peramplâ, acinis ovatis albidis, Inſt. r. herb. (*Bourdelais*).

africana duracina, J. B. (*Marroquin*).

pergulana, acinis prunorum magnitudine & formâ, C. B. pin. (*Rognon de coq*).

FRUCTUS.

Vitis apiana, C. B. pin (*Muſcat*).
laciniatis foliis, Cornut. (*la Cioutat*).
corinthiaca, ſive apyrina, J. B. (*Raiſin de Corinthe*).

Innumeras alias ſpecies, quæ ad prædictas referri queunt, ſilentio prætermittimus, ne falcem in Botanicorum meſſem immittere videamur. Inter fructus veſcos autumnales primum ſanè locum tenent uvæ, quæ probè maturæ & ſapore ſuaves optimè nutriunt, ſitim reſtinguunt; imò & pinguefaciunt. Facilè ſolvuntur, exceptis folliculis qui viribus ſtomachi obſurdeſcunt, & planè intacti egeruntur; non ſecùs ac ſemina; quæ ideò plures expuunt. Proſunt uvæ macilentis, & alvo ſtrictâ laborantibus, dummodò ſint maturæ & dulces; ac moderatè ſumantur. Aliter ſe res habet de majori copiâ ingeſtis, quæ alvum perturbant; flatulentias & eructationes accerſunt; bilem movent; diarrhœas, aliaque ventris profluvia concitant. Immaturæ verò & acerbæ minùs nutriunt; tormina creant, & ventrem cohibent. Uvæ diù in paleâ ſervatæ, vel in aëre penſiles quemdam maturitatis gradum adipiſcuntur; & aciditatem nonnihil deponunt; hinc ſalubriores perhibentur; atque ipſiſmet ægris languentibus conceduntur. Multùm decantantur uvæ paſſæ damaſcenæ vel corinthiacæ: nec poſthabentur noſtrates in Gallo-Provinciâ nimirùm, Occitaniâ, & Aquitaniâ, immerſione in aquam ferventem paratæ; quæ probè ſelectæ, cum exoticis præſtantiâ certant: utræque optimam, nec inſuavem alimoniam præbent. Præſtantiores audiunt pingues & carnoſæ; macræ verò inertes judicantur. Corinthiacæ inſtar condimenti à coquis italis & gallo-provincialibus adhibentur. Cæterùm notiſſimæ ſunt uvarum paſſarum vires ergà tuſſim & raucedinem: ſed plures latet quod frequenter comeſtæ bilioſis noceant, & æſtum ſanguinis foveant; dentes & gingivas afficiant; & ad putredinem diſponant; ac nonnunquàm febres verminoſas producant. De vino, ſapâ, omphacio, aceto, &c. ſuo loco.

Fragaria vulgaris, C. B. pin. (*Fraiſier*).

Fraga (*les Fraiſes*), fructus mori, rubi, & arbuti, quorum formam accuratè æmulantur, reſpectu ſaporis & præſtantiæ, longè ſuperant. Pro ſalubriori & ſuaviſſimo cibo ab omnibus habentur fraga. Juvenibus, ſiticuloſis & cholericis proſunt. Haud tamen innocua ergà ſtomachos debiliores, ni cum vino & ſaccharo comedantur: nonnunquàm enim putreſcunt in ventriculo, præſertim ſi majori copiâ ingerantur. Aliàs proficuè cremori lactis immiſcentur; vel ipſis additur tantillum aquæ. Addere licet quod ſylveſtria, odore & ſapore præſtantiora, hortenſibus etſi majoribus antecellant.

Rubus idæus ſpinoſus, C. B. pin. (*Framboiſier*).

Frambæſiæ (*les Framboiſes*), licèt potiori hominum parti parùm arrideant, à nonnullis tamen delicatulis expetuntur, & in pretio habentur; adeò ut in lautioribus menſis recipiantur; præſertim ſaccharo conditæ. Sitim egregiè ſedant; ſcorbuticis opem ferunt; nec vetantur vigente febre: hinc pro ſalubribus, nemine ferè diſcrepante, habentur; dummodò tamen

haud majori, quàm ſinunt vires ſtomachi, copiâ ingerantur. Hùc coincidit fructus quidam ignobilis cujuſdam fruticis qui *Rubus* vulgaris fructu nigro, C. B. pin. *ronce* dicitur : hæc mora (*mûres de renard* ou *de buiſſon*), voracibus pueris, & agricolis notiſſima, pro vili & inſalubri cibo habentur, qui vix urbanis innoteſcit. FRUCTUS.

Groſſularia fructu maximo hiſpido, margaritarum ferè colore, Raii hiſt. Ribes ramis aculeatis, erectis, fructu hiſpido. Roy. Lugd. Bat.

ſimplici acino, vel ſpinoſa ſylveſtris, C. B. pin. Ribes ramis aculeatis erectis fructu glabro, Roy. Lugd. Bat. Uva criſpa, Dod. (*Groſelier blanc épineux*).

Utriuſque ſpeciei groſſulariæ (*les groſeilles perlées*), ſapore & formâ à genuinis ribeſiis ſummè diſcrepant. Maturæ & flaveſcentes, quaſi pellucidæ palato ſunt gratiſſimæ, & vinoſo ſucco quaſi plenæ. Moderatè ſumptæ æſtuantibus proſunt : ſed parùm alunt, & raró lautiorum menſis apponuntur. Exprimitur ſuccus ex immaturis, qui omphacii inſtar, ſed ſapore præſtantior, in culinis adhibetur.

Ribes vulgaris acidus ruber, J. B. Groſſularia multiplici acino, non ſpinoſa hortenſis rubra (vel alba), ſive Ribes officinarum, C. B. pin. (*Groſelier rouge des jardins*).

Ribeſia (*les groſeilles rouges & blanches*), ob intenſiſſimam aciditatem vix comedi queunt, ni ſaccharo inſpergantur : vel ex his paratur gelatina, omnibus notiſſima & gratiſſima. Quocumque modo uſurpentur ſitim fugant ; appetitum promovent ; ventriculum firmant ; acredinem bilis refrænant ; putredini reſiſtunt ; proſunt ſub morbis cutaneis, & ventris profluvia ſiſtunt. Sed cautè cum illis mercari debent cachectici, melancholici, & alvo ſiccâ laborantes. De groſſulariâ fructu nigro, *caſſis* dicta ; in materiâ medicâ.

Berberis dumetorum, C. B. pin. Spina acida, ſive Oxyacantha, Dod. (*Epine vinette*).

Berberes, quorum ſumma aciditas à conſperſo ſaccharo obtundi debet, magis uſurpantur in officinis, quàm in culinis ; ni condimenti vices gerant. Moderatè ſumpti ſitim compeſcunt, appetitum redintegrant, & vomitui medentur : ſed noxam inferunt pituitoſis ; æquè ac ſub infarctu viſcerum.

Melongena fructu oblongo, vel incurvo, Inſt. r. herb. Solanum pomiferum, J. B. (*Mayenne*).

Utriuſque ſpeciei fructus cucumeriformes, cocti vel crudi, in acetariis nonnunquàm comeduntur ; ſed paucis arrident : pro inſalubribus habentur ; imò & mentem quandóque perturbant, hinc à veteribus vocabantur mala inſana. Ideò prædictos fructus caveant, qui ſuæ ſanitati ſtudent : licèt in familiariſſimum uſum veniant, uti fertur, apud Ægyptios, qui fortè peculiari condimento illorum deleteriam qualitatem leniunt.

Lycoperſicon Galeni, Inſt. r. herb. Solanum pomiferum fructu rotundo, ſtriato, molli, C. B. pin. (*Pomme dorée*, ou *Pomme d'amour*).

FRUCTUS.

Hic fructus formâ & colore egregius pro cibo deterioris notæ habetur, & à cautis planè abdicatur; etiamſi haud vereantur Itali illum comedere in acetariis, non ſecùs ac cucumeres, cum oleo, ſale & pipere. Sed neminem eſſe reor apud noſtrates qui illud audeat experiri; præſertim ſi priùs noverit gravem hujuſce plantæ odorem, qui pravam fructûs qualitatem prodere videtur.

Ananas Acoſtæ. Commel. hort. Carduus braſilianus foliis aloës, C. B. pin.
aculeatus fructu pyramidato, carne aureâ, Inſt. r. herb.
aculeatus fructu conico, carne aureâ, Pluken.
lucidè virens, folio vix ſerrato, Dillen. Eltham.
non aculeatus, Pitta dictus. Plumer.

Hæc planta americana & pomifera, ad cinaræ formam nonnihil accedens, cujus variæ innoteſcunt ſpecies, apud nos colitur in loco calido; in repoſitoriis ſcilicèt feneſtris vitreis inſtructis, & ignis ope excalefactis: nec aliâ arte per hyemem ſervari poteſt. Fructus nucem pineam quodam modo referens, melonem magnitudine nonnunquàm æquans, caulis cacumini inſidet. Primò viridis, per maturitatem colorem flavum induit, & odorem adipiſcitur gratiſſimum, cum ſapore ſubacido dulci & quaſi vinoſo. Cortice adempto in taleolas ſecatur, quas cauti macerare ſinunt in vino generoſo, ut adimatur vis erodens, quam huic cibo ineſſe haud falsò ſuſpicatur. Dentes enim ſæpiùs lædit, & gingivas cruentat. Si relinquatur cultellus ferreus hærens in ejus carne, per dimidium horæ, ſemi-eſus invenitur; quod ſanè præſentiam ſucci acerrimi arguere videtur; hinc jure, ni fallor, infertur quid virulenti in ipſo latere. Hujuſce fructûs ſapor, plus æquo ab encomiaſtis celebratus, non inſuavis, ad melonem, malum perſicum vel armeniacum, pomum renetianum, &c. pro cujuſvis arbitrio accedit. E præhabitis colligere datur dubiam eſſe ananas ſalubritatem, præſertim ſub noſtro climate; quidquid in contrarium adducant qui rara & cara in deliciis habere ſolent. Hic fructus ſaccharo conditus, in ipſomet loco natali ad nos tranſvehitur ut lautiorum & magnatum menſas adornet: nùm ejus uſus ſit tutior? expertis judicandum relinquimus.

SECTIO

SECTIO II.

DE ANIMALIBUS.

QUADRUPEDES.

Bos (*le Bœuf*) inter quadrupedes domeſticos primum locum obtinet. Nemo neſcit hoc pecus caſtratum, ut ſaginetur, & ad arandum ſit aptior, Bovis nomen retinere; aliàs Taurum (*le Taureau*), vocitari; cujus caro ſiccisſima & ingrati ſaporis, concoctioni renititur, & ab ipſiſmet ruſticis deſpicitur. *Caro bovina* elixa, aliove modo à coquis parata, vires recreat, & inter præſtantiora alimenta numeratur; dummodò ſit prioris notæ: aliàs inſalubris, & ægrè coctilis cenſetur. Hâc, præſertim coſtâ bubulâ, quam vocant *l'aloyau*, parcè utantur obeſi & otio indulgentes. Sale condita, vel fumo indurata ventriculum laceſſit, pravamque alimoniam ſuppeditat, quæ vix congruit robuſtioribus, ruricolis nempè, foſſoribus, bajulis, &c. Carnem inferioris notæ, duram ſcilicèt & exſuccam præbet *Vacca* (*la Vache*), præſertim ſi annoſa ad macella ablegetur: hinc à divitum menſis planè rejicitur caro vaccina; quæ plerùmque cocturâ induratur, nedùm teneſcat. Pluris ſanè quidem habetur *Vitulus* (*le Veau*), cujus caro præſtantior & ſaluberrima cenſetur: aſſata, elixa, aliove modo parata in optimam alimoniam vertitur; alvumque humidiorem reddit: congruit debilibus, otioſis & pectore laborantibus. Lactens, præcipuè bimeſtris, ablactato jure præfertur: ſummas demùm laudes meretur hoc cibi genus; dummodò ſit optimæ notæ. Ad carnem vaccinam accedit *bubalina* (*le buffle*), quæ in uſum venit apud nonnullos populos orientales, & in quibuſdam Italiæ locis: ſed ob fatuum ſaporem, & ſuccum craſſiorem, à delicatioribus epulis abdicatur; ideò ad ruſticos, bajulos, foſſores, alioſque è plebe qui duros ſubeunt labores amandanda.

Vervex (*le Mouton*), ſic dicitur ut diſtinguatur ab Ariete (*le Bélier*) ad generationem apto. Caro vervecina inter exquiſitiora alimenta & familiora recenſetur; omnibuſque elixa, aſſa, toſta, vel alio modo parata congruere videtur, atque cæteris congeneribus præſtat, teſte Sanctorio, ad perſpirationem promovendam. Caro verò arietina, cujus durities nuſquàm, vel pertinaci elixatione, ſuperari poteſt; ob fœdum hirci odorem, ſaporemque viroſum, è menſis urbaniorum planè abjicitur & ad ruſticos, hominesque tenuioris fortunæ ablegatur. Nec ſalubrior & ſapidiòr judicatur caro ovilla (*de Brebis*), quæ ideò in epulis elegantiorum damnatur. Inter

QUADRUPEDES.

præſtantiores verò dapes locum obtinet *caro agnina*, quæ blandum & probum ſuccum ſubminiſtrat : nonnullis tamen debilioribus ſtomachis adverſatur, & alvum ſæpiùs ſolvit ; præcipuè ſi majori copiâ ingeratur : hanc caveant pituitoſi & phlegmatici.

Sus (le Porc), animal domeſticum ſpurcum, cœno ſe ingurgitans & luto ſe immergens, caſtratur ut ſaginetur. Sub hâc conditione ſuppeditat, præter lardum, quo coqui carere nequeunt, carnem ſapore gratiſſimam ; viſcera è quibus varia parantur fercula ; & inteſtina ad farciminum apparatum ; quæ omnia inter cupedias haud infimum gradum merentur. Caro ſuilla cæteris denſior & firmior, ac ſapidiſſima haud pravam alimoniam præbet illis qui laboribus arduis ſe exercent : ſed parcè comedi debet ; aliàs plus noxæ in corpore parit quàm utilitatis : ægrè enim digeritur ; ventriculum gravat & perſpirationi officit. Hanc caveant arthritici, doloribuſque nephriticis conflictati, non ſecùs ac febri putridæ, morbiſque cutaneis obnoxii. Caro ſuilla, non ſecùs ac bubula, ſale condiri ſolet, fumoque macerari : nemo non novit petaſones (*les jambons*), qui primis menſis olim apponebantur ad promovendum appetitum. Etſi inter ciborum delicias numerantur, nihil tamen inſalubrius pro macilentis, vel temperie calidâ præditis, atque ad diatheſim ſcorbuticam, calculoſam, arthriticam, aſthmaticam, &c. proclivibus. Idem dicendum de agumentis (*les ſauciſſons*), aliiſque farciminum generibus, à catillonibus celebratis, & omnibus gratiſſimis : ſed vegetâ ſanitate gaudentibus duntaxàt congruunt ; nec ſine ſanitatis diſpendio ab aliis uſurpantur ; cùm carnes ad ſtateram graves, licèt coquorum mangonio guſtui ſapiant, inſalubres cenſeri debeant. Nec minùs vituperatur lardum, cujus ope, condimenti inſtar, adhibiti, fercula pinguiora & ſucculentiora evadunt : pejoris eſſe notæ rancidum nemo non videt. Opiparis menſis apponi ſolent Porcelli lactentes (*Cochons de lait*), ſed ventriculum lædunt, inſalubremque, nemine diſcrepante, alimoniam præbent.

Aper (*le Sanglier*), nihil aliud eſt quàm porcus ſylveſtris, cujus caro ad ſuillam accedit : ſed huic poſtponitur, cùm ſit denſior, ſiccior, pervicacior, inferioris notæ. Cervinam bonitate & ſalubritate ſuperat caro aprina ; ſed robuſtioribus duntaxàt congruit ; arduiſque laboribus ſe exercentibus : ideò hanc caveant debiles, delicatuli & otio recumbentes ; ob craſſiores qui hinc generantur humores ; præſertim ſi fera ſit annoſa : quod etiam intelligi debet de Scrophâ ſylveſtri (*la Laie*) ; Porcellus verò ſylvaticus (*le Marcaſſin*), teneriorem & ſuaviorem carnem, in magnatum menſis expectatiſſimum, præbet ; quæ tamen malè audit apud medicos.

Lepus (*le Lievre*), & præſertim Lepulus (*le Levreau*), etſi cibus anceps, inter feras edules, primatum ſanè ducit ; & ideò in lautioribus & delicatioribus epulis admittitur. Lepulus aſſatus vulgò comeditur : ſed lepus diverſimodè uſurpatur à coquis & piſtoribus dulciariis. Utriuſque caro, etſi palato gratiſſima, parùm congruit ſomnolentis & ad motum tardis ; necnon cachecticis & melancholicis, ob craſſiorem ſuccum quem præbet : quod

præcipuè intelligi debet de lepore vetulo, qui, uti nemo neſcit, parvi habetur, ni opere piſtorio condiatur.

Cuniculus (*le Lapin*), parùm diſcrepans, ratione formæ, à lepore; ſed abſimilis ſaporis; haud parvi habetur ab helluonibus. Aſſatus vel panificio incruſtatus, coquiſve diverſimodè paratus, gratiam non vulgarem in opiparis menſis obtinet. Ejus enim caro albicans, tenera & ſapore gratiſſima, præſertim hyeme leporinæ minime cedit, imò & ſalubrior cenſetur. Quod tamen intelligi debet de cuniculo juniori & ſylveſtri; cùm domeſticus ſit inferioris notæ, & pro vili cibo à catillonibus habeatur. QUADRUPEDES.

Hircus & *Capra* (*le Bouc* & *la Chevre*), carnem habent duram & ſiccam, ſtomachoque ingratam; hinc inter cibos viles & ad plebem amandandos numeratur caro tùm hircina, tùm caprina. Caſtratione verò ſaginatus hircus carnem ſuppeditat ſalubriorem & ad ovillam propè accedentem. Caro verò hædina (*du Chevreau*), quæ pinguis & grati ſaporis, vix agninæ cedit, aſſa comeditur; atque cum aliorum quadrupedum carnibus bonitate certat; præſertim verno tempore; & priuſquàm ablactetur hædus.

Capreus & *Caprea* (*le Chevreuil* & *la Chevrette*); ratione formæ & cornuum ramoſorum ad cervum nonnihil accedit mas; ſi excipias molem longè minorem. Carne conſtant eduli, ſapore haud inſuavi & boni ſucci; ſub quo conſpectu alias feras antecellunt. Capreolorum vel fœtuum carnem, quam multi faciunt venatores, teneriorem eſſe delicatiorem, & coctu faciliorem nemini haud obvium. Simili fermè modo uſurpatur caro *Rupicapræ* (*du Chamois*), & *Damæ* (*du Daim*), quæ tamen inferioris notæ, nonniſi venatoribus innoteſcit; ab hircinâ vix diſcrepat, licèt nonnihil ſapidior.

Cervus (*le Cerf*), cujus femina, *la Biche*, cornubus caret, carnem ſuppeditat aulicis & venatoribus haud ingratam; dummodò tamen fera ſit juvenis: caro enim annoſæ dura & craſſa ægrè digeritur; ſuccumque pravæ notæ gignit: hanc caveant ſenes, debiles & melancholici. *Hinnuli* verò (*les Faons*), ſunt præditi carne humidiori, teneriori & ſapidiori, nec inſalubri; adeò ut in principum, potentiorumque deliciis ſit; horumque menſas adornet. Nemo non novit gelatinam è cornu cervi paratam, ejuſque uſum medicum.

Urſus (*l'Ours*), cum feminâ, apud nonnullos populos ſeptentrionales, non ſecùs ac Helveticos, Sabaudos & Alpinos venatui deditos, in re cibariâ admittitur; nec ſine voluptate ergà aſſuetos. Ejus tamen caro, Apiciorum palatum offendens, pro illiberali & inſalubri habetur: ſtomacho enim renititur, & pravum ſuccum creat. Fertur verò catulorum carnem ſapidiorem eſſe, delicatiorem, ac boni ſucci; quod rationi conſentaneum videtur.

Quadrupedibus domeſticis ſubnectere lubet *Camelum*, *Equum*, *Aſinum*, *Canem*, *Felem*, &c. quorum carnes, urgente fame, in uſum cibarium etiam veniunt. Equidem *caro camelina* (*de Chameau*), populis orientalibus, ac præſertim Arabibus & Afris familiaris, haud ingrati ſaporis,

QUADRUPEDES.

laudabilem ſuccum præbere dicitur. Denſior tamen & compacta ægrè ſolutioni obtemperat; hinc robuſtioribus duntaxàt congruere videtur. *Caro equina* quâ delectantur Sarmatæ, Scythæ & Getæ, quos Tartaros hodie vocant, pro ignobili cibo habetur, qui nuſquàm in noſtrum uſum venit, ni cogat urbium obſeſſio, & urgeat fames. È ciborum albo etiam expungi debet *caro aſinina*, quæ equinâ deterior ab omnibus averſatur; malè palato ſapit & concoctioni renititur: hinc planè rejicitur, ni inopia pabuli & famis importunitas ad illius eſum compellant; quod non rarò evenire in Ægypto teſtantur peregrinatores. Nec tutior eſt uſus *carnis caninæ* quam tamen in emporiis venalem proſtantem, edere Sinenſes traditur: ſapore ingrata ab omnibus Europeis deſpicitur; ni compeſcenda ſit eſuries; latranti enim ſtomacho pejores etiam comeduntur cibi: aliter tamen ſentiendum de carne canum caſtratorum, quæ in pretio fuit apud nonnullas gentes. Melioris eſt notæ *caro felina* quam ſapore haud inſuavem, à carne leporinâ haud multùm abludere ſunt qui velint: adeò ut in pluribus, uti fertur, Galliæ, Hiſpaniæ & Italiæ locis comedantur; etiam non impellente fame. Nec prædictorum animalium carnes, etſi inferioris notæ, minime deſpiciebant Veteres; cùm de carne caninâ, vulpinâ, equinâ, &c. diſſerat HIPPOCRATES. Poſtremò ferarum claſſi addere licet Vulpem, *le Renard*; Martem, *la Martre*; Sciurum, *l'Ecureüil*; Melem, *le Bléreau*; Echinum, *le Hériſſon*; nonnullaſque murium ſpecies, & alia affinia quæ, pro re natâ & urgente fame, comedi ſolent. Salubriora & ſapidiora eſſe frugivora, uti ſciurum, melem, &c. quæ etiam voluptatis gratiâ in nonnullis menſis apponuntur, nemini haud obvium.

Præter carnem muſculoſam, in uſum etiam cibarium veniunt *variæ quadrupedum partes*; jecur nempè & lien; ventriculus & inteſtina; renes & glandulæ; cor & pulmones; lingua & extremitates; cerebrum & medulla; adeps & ſanguis; de quibus ſingulis breviter pro inſtituti ratione diſſerere expedit. *Jecur* ſub generali conſpectu ægrè ſolutioni obtemperat, & ſuccum laudabilem & craſſiorem præbet: ſed maximum eſt diſcrimen inter viſcera animalium, ratione ſpeciei, ætatis & pabuli. Præſtantius equidem cenſetur jecur juniorum & in optimis paſcuis enutritorum: ſummè aliàs deprædicantur jecinora nonnullarum avium; vitulina, agnina, ſuilla, &c. *Lien* ob fungoſam & ſpongioſam ſubſtantiam, pravum alimentum, ſapore ingratum & ægrè in ventriculo ſolvendum audit: hinc in lautioribus & urbanis menſis non recipitur. A jecore & liene abſtineant qui debili donantur ſtomacho; & obſtructionibus tenentur: nec ſalubre pro cæteris obſonium cenſeri debet.

Ventriculus & *inteſtina*, non ſecùs ac cæteræ partes membranaceæ, omentum ſcilicèt, meſenterium, &c. malè audiunt apud Medicos, ob parcam nutritionem, lentam & glutinoſam quam præbent; quæ ſanè robuſtioribus vel validis laboribus dicatis duntaxàt congruit. Ex inteſtinis parantur varia farcimina, apexabones nempè, botelli, lucanicæ & tomacula, quæ noſtratibus dicuntur *boudins*, *ſauciſſes*, *andouilles*, &c. & in

popinales delicias locum habent; quæ omnia ſale, pipere & aromatibus condita ægrè digeruntur; craſſiorémque, acriorem & vitioſum ſuccum ſuppeditant: hinc vetantur debilibus, valetudinariis, & ad obſtructiones proclivibus. *Renes* & *glandulæ*, quorum ſubſtantia eſt denſa & dura, difficilè digeruntur; ſuccumque pariunt craſſum & inferioris notæ; præſertim ſi eruantur ex animali annoſo. Nonnullæ tamen glandulæ contextûs laxioris, tenuiores & coctu faciliores cenſentur, & inter probos cibos recenſeri queunt.

QUADRUPEDES.

Cor, cujus ſubſtantia eſt fibroſa, compacta & dura, tardiùs in ventriculo ſolvitur, ſuccumque craſſum, difficilè ſubigendum, etſi nutritioni aptum, producit; præſertim ſi ex animalibus vetulis extrahatur. Aliter ſe res habet de *pulmone* cujus contextus mollis & fungoſus, ſolutioni faciliùs obtemperat, ſed parùm ſucci alibilis continet: laudantur pulmones agnini & vitulini, dummodò conditurâ vel arte culinariâ, haud adulterentur. Pluris habetur etiam apud helluones pulmo ſuillus; ſed difficiliùs ſolvitur, nec laudabilem ſuccum præbet. *Lingua* ob ſubſtantiam denſam & fibroſam, concoctu pervicax, ventriculum debilem gravat: cæteris præſtat agnina, vitulina vel hædina. Lingua verò bubula ſale conditur, & penſilis ſervatur in uſum annuum, potatoribus ſanè gratiſſima; ſed inſalubris. Inter illiberales cibos etiam numerari debent *quadrupedum extremitates*, quæ exangues, conſtant ligamentis, tendinibus & membranis, quibus ineſt lentus & craſſus ſuccus, melancholicis, & ad obſtructiones proclivibus, noxius. Hoc cibi genus vitent debiles, quod aliàs inſipidum, ni ope conditura quidam addatur ſtimulus: ſed ex hiſce partibus parantur gelatinæ, vel juſcula coacta haud inſuavia, quæ ipſiſmet ægris conceduntur.

Cerebrum inter viles cibos, inſipidos & nauſeoſos numeratur: etſi molliſſimum, tardè permeat, lentore & viſciditate ventriculo, uti videtur, hærens: ceteris præſtat vitulinum, agninum, ovillum, ſuillum & leporinum. *Oſſium medulla* pinguis & dulcis, parcè ſumpta, innoxia cenſetur, imò & ſcorbuticis qui de crepitu oſſium conqueruntur nonnullam opem ferre dicitur: ſi verò liberaliùs ſumatur, ventriculum laceſſit & nauſeam movet. *Adeps* pro naturali carnium condimento, potiùs quàm alimento habetur: gratiſſimus eſt, ubi parcè unà cum hærente carne eſtur; aliàs, non ſecùs ac medulla, ægrè diſſolvitur, nauſeam parit, & inappetentiam accerſit: à pinguioribus carnibus abſtineant cholerici & temperie calidâ præditi. Nemo neſcit axungias rancidas pernicioſas eſſe, & nidorem ingratum excitare; non ſecùs ac lardum inter condimenta recenſendum. *Sanguis* demùm quoquo modo paretur ad viles cibos & ægrè concoquendos amandatur: nec minùs vituperandus ſuillus è quo conficiuntur apexabones, noſtris helluonibus & incautis expectatiſſimi, qui, ut ritè diſſolvantur, valido egent ventriculo.

AVES.

AVES.

Gallus nostras & gallina inter aves domeſticas primatum jure ducunt; cùm in familiariſſimum uſum veniant, non ſolùm propter carnem exquiſitiorem & opima jura quæ ex illis parantur, ſed etiam ratione ovorum quæ eximium & vulgatiſſimum alimentum præbent. Juniorum & ſaginatorum carnes pro ſuavioribus habentur; ac blandam alimoniam tabidis, tuſſiculoſis & convaleſcentibus proficuam præbent. Aliter ſentiendum de vetulis vel annoſis & ſalacioribus, quorum caro denſa, dura & ſicca vix comedi, dentibuſque atteri poteſt; ac ægrè digeritur; quæ tamen concoctione victa, ſat alimenti præbet. *Capo* (*le Chapon*), ſive gallus caſtratus in exquiſitiorum ciborum ordine præcipuum locum obtinet; cujus caro facilè diſſolvitur, laudabilemque ſuccum parit, & corpus optimè alit, uſque ad obeſitatem; ejus hepar laudatur, & ipſimet vitulino præcellit. Ad caponem accedit *Pullus gallinaceus* (*le Poulet*), præſertim ſaginatus & trimeſtris, cujus caro tenerrima faciliùs concoquitur, & ſuccum blandiſſimum ſubminiſtrat. Hæc eſt familiarior debilium & valetudinariorum eſca; cæterùm ſanis & robuſtioribus gratiſſima.

Ova gallinacea cæteris præſtant, nempè ovis phaſianorum, gallinarum indicarum, pavonum, anatum, anſerum, aliiſque edulibus. Ova ſtrutiochameli, quibus veſcuntur Africani, ſunt inferioris notæ; & ad noſtram rem minime pertinent; non ſecùs ac ova teſtudinum, apud Americanos celebratiſſima. Nemo neſcit quanti ſint pretii ova recentia & ſorbilia, tam apud magnates quàm apud plebem: optimam ſcilicèt alimoniam præbent convaleſcentibus, acidiſque cruditatibus obnoxiis; ſenibus & infantibus atque omnibus gratiſſimam: delibatiſſimum enim lymphæ pellucidæ & gelatinoſæ florem continent, qui albuminis nomine venit, & proximam nutritionis materiam conſtituit. Vitellus verò eſt ſubſtantia pinguis & blandiſſima, ad ſalubriorem nutritionem etiam apta, quæ tamen bilis geneſi favere, & ideò temperie bilioſâ donatis minùs congruere videtur; nec ad venerem proclivioribus. Ova tremula, vel ad melleam conſiſtentiam cocta ſapidiora exiſtimantur, & ad nutritionem haud minùs apta. Ova ad duritiem cocta, vel longiori elixatione indurata, ſtomachum roborant, alvum ſiſtunt & hæmorrhagiæ medentur. Nullum ovis familiarius noſcitur alimentum; nulliſque verbis exprimi poteſt quot ciborum genera ex ovis parantur à coquis, piſtoribus, cupedinariis, cruſtulariis & libariis. Hæc de ovis recentibus intelligi debent: vetuſta verò vel ſemi-putrida, nocentiſſima jure exiſtimantur, & ad pravos vileſque cibos amandantur. Scitur poſtremò quod ovorum, non ſecùs ac farris, beneficio varia à coquis obligantur legumina vel conciſæ diverſorum animalium carnes; quæ hâc arte compoſita omnium palato magis arrident.

Gallus & *Gallina guinenſis* (*la Pintade*), ad caponis magnitudinem accedunt. Haud multis abhinc annis inter noſtras domeſticas numeratur hæc avis egregia, cujus caro ſolutioni obtemperat, optimamque alimoniam ſubminiſtrat. Ratione ſaporis, cæteris congeneribus, vel ipſimet caponi minime cedit: hinc lautiorum, magnatumque menſis apponitur; ac magni eſt nominis apud gulæ parentes, vel nepotes Apicios. Aves.

Gallus & *Gallina indica* (*Coq* & *Poule d'Inde*); nullibi non obvia hæc avis procerior domeſtica, inter exquiſitiores dapes numeratur. Ejus caro ſapida facilè digeritur; dummodò tamen avis junior, nonnullos dies ante appoſitionem ſit jugulata. Omnibus arridet & congruit ejus caro, optimumque nutrimentum largitur. Non ſecùs ac cætera animalia, gallus indicus veteranus carnem habet duram, ſiccam & coctu difficilem. Femina, cæteris paribus, pro delicatiori & ſuaviori habetur.

Pavo, vel avis Junonis (*le Paon*), omnium volatilium formoſior, rarò neci datur ut menſis apponatur; ni ad ſplendida & ſumptuoſa convivia. Ratione ſaporis & præſtantiæ ad gallum indicum accedit; imò & nonnulli carnem pavonis pro delicatiori habent; quod intelligi debet de juniori & ſaginato. Aliàs caro dura, fibroſa & concoctu difficilis deprehenditur. In deliciis erat pavo apud veteres Romanos; nùm ob ſtultam conceptam opinionem, ergà avem raram & ſpecioſam, aut venuſtate conſpicuam? dubitare licet. Poſtremò haud abs re erit notare carnem pavoniam cæteris perenniorem eſſe, vel tardiùs putreſcere.

Phaſianus, ſive Gallus ſylveſtris (*le Faiſan*), olim è Colchide (*la Mingrelie*), in Europam allatus; cujus mas galli noſtratis magnitudinem aſſequitur. Genus gallinaceum bonitate ſuperat; imò & ejus ſaporem ſummis præconiis certatim efferunt catillones. Ejus caro facilè conficitur, optimumque ſuccum largitur, probæ nutritioni aptum. Hinc apprimè congruit debilibus & convaleſcentibus hoc obſonium exquiſitiſſimum, ſibi par fortè non habens.

Urogallus, vel Phaſianus montanus (*Faiſan de montagne*), priorem proceritate ſuperat; ſed illi bonitate cedit. Opiparis tamen epulis inferri ſolet; etſi gallo indico, ratione ſaporis & præſtantiæ, vix æquiparatur; cùm urogalli caro ſit nonnihil ſiccior & durior; hinc concoctu difficilior; grati ſaporis & probi ſucci.

Perdix, alia, uti nemo neſcit, eſt ruffa (*Perdrix rouge*), pro exquiſitiori jure habita; alia eſt cinerea (*Perdrix griſe*), ſapore & bonitate priori cedens. Inter cibos gratiſſimos primum locum quaſi obtinet perdix; atque etiam in magnatum epulis celebratur. Caro juvenum, vel perdiculorum eſt tenera & ſapidiſſima; eximiumque ſuccum ſubminiſtrat. In æquali pretio ſunt adultæ: ſed aliter ſe res habet de annoſis quæ debilium & convaleſcentium ventriculum gravant; multum tamen præbentes nutrimentum. Comeduntur perdices juvenes aſſatæ & ſucco aurantiorum irroratæ: vetulæ verò à coquis elixantur, vel à piſtoribus dulcia-

riis adhibentur. Utroque modo paratæ in deliciis habentur & egregiè ſaturant.

Aves.

Attagena (*le Francolin*); Arelatenſibus *Grandoulo*, rectiùs *Francoule* circà campum herculeum arelatenſem celebratiſſima, perdicem proceritate ſuperat; carnemque habet candidam, teneram, ſapidam, facilè ſolvendam, & probum ſuccum ſubminiſtrantem. Perdice rarior, pluris habetur; & ſplendidas epulas adornare ſolet. Huc coincidit *Attagen* Geſn. vel Gallina corylorum Aldrov. (*Gelinote des bois*), circà radices Alpium haud infrequens; præſertim ubi coryli & rubi abundant. Ad gallinam proceritate accedit; inter præſtantiores aves numeratur, cùm perdici & phaſiano vix cedat.

Columbi & *Columbæ*, mares ſcilicet & feminæ (*les Pigeons*), inter eximia alimenta numerari ſolent; ſed longè cedunt generi gallinaceo. Caro ſane quidem columbina, etſi ſapidiſſima, nonnihil dura & ſicca, vel mollior quàm tenera, difficiliùs coquitur; ſuccumque impertitur calidiorem, juvenibus, macilentis & biliosâ temperie donatis noxium; quod præſertim de annoſis intelligi debet: juvenes enim minorem noxam inferunt; ſed raró ſalubris eſt hic cibus. Pipiones, vel pulli columbini (*les Pigeonneaux*), ſunt teneriores & concoctu faciliores; ſed catillonibus plus æquo celebrantur.

Palumbus & *Palumba* (*Pigeon ramier*), ad genus ſylveſtrium columbarum referri debent. In pretio habetur hæc avis, lautiorumque epulas, cum aliis gulæ illecebris, ingreditur. Ratione tamen carnis nonnihil ſiccæ & duræ perdicibus cedit; nec facilè ſolvitur in ſtomacho: ſed ſapore gratiſſima, ſalubris cenſetur: atque ſub hoc conſpectu columbos antecellit, & probatius nutrimentum præbet.

Turtur (*la Tourterelle*), avis ad columbarum ſylveſtrium genus etiam referenda, haud parvi habetur, ratione ſaporis & ſalubritatis: imò & ejus caro cum cæteris congeneribus bonitate certat; faciliúſque fortè ſolutioni obtemperat. Cæterùm extra omnem controverſiam poſitum eſſe videtur columbas domeſticas ſalubrius præſtare alimentum; ſylveſtres verò ſiccius & calidius; etſi quandóque ſuavius, judice Apiciorum choro.

Vanellus (*le Vanneau*), avis columbæ magnitudine, elegans & criſtato capite, circà aquas verſatur, vermium gratiâ qui genuinum pabulum ipſi ſuppeditant. Laudatur ejus caro in menſis lautiorum, cùm ſit tenera & facilè ſolubilis, ſaporis gratiſſimi & boni ſucci. Sunt qui velint vanellum bonitate carnis, pluvialem ſuperare: ſed refragatur potior helluonum pars.

Pluvialis (*le Pluvier*), non ſecùs ac vanellus, cui congener eſſe videtur, & cujus magnitudinem æquat, circà lacus & amnes etiam verſatur. Magni nominis apud catillones, magnatum menſas adornat; nec immeritò, cùm carnem habeat teneriorem & ſapore gratiſſimam; adeò ut jure inter cupedias celebretur. Minime reticendum plures innoteſcere pluvialis

pluvialis ſpecies; inter quas cinerea, maculis aureis ſignata, cæteris ratione ſaporis & præſtantiæ, palmam præripit.

Ruſticula (*la Bécaſſe*), inter ſuaviores & ſapidiores cibos à pluribus deprædicatur; atque vix perdicibus & attagenis cedit. Ejus caro in deliciis habetur apud helluones, qui etiam ejus excrementa, buccellâ panis toſti in ſartagine, inter aſſationem excepta, avidè devorant; offamque illam ſordidam ſummâ cum voluptate deglutiunt. Haud in minori pretio habetur *Ruſticula minor* (*la Bécaſſine*), quæ etiam lautioribus menſis apponitur. Utriuſque tamen caro, etſi ſapore ſuavis, haud facilè ſolvitur: hinc debilibus & convaleſcentibus parùm congruit.

Gallinula aquatica (*Poulette d'eau*), cujus varias recenſent ſpecies ornithologi, inter laudata cibaria, quibus ſuus eſt honor in conviviis, locum meretur; dummodò tamen ſit junior & ſaginata: aliàs ejus caro denſior & dura deprehenditur; ægréque digeritur: imò limum & piſcem nonnihil redolet; haud tamen pravi ſucci.

Ardea (*le Héron*), avis celebris ob ſtrenuam pugnam cum accipitre, vel falcone, à venatoribus inſtitutam pro magnatum ſpectaculo, menſis raró admittitur. Adulta enim carnem habet duram & fibroſam, piſciculenti quid olentem, ſtomachumque gravantem: ſed junior palato haud ingrata minime poſthabetur, faciliúſque coquitur.

Anas domeſtica inter aves aquaticas celebratiſſima, cujus mas noſtratibus dicitur *canard;* & femina *cane* vocitatur; ratione ætatis & loci plus minúſve æſtimatur. Annoſa carnem habet duram, compactam, ægrè ſolubilem, lenti & pravi ſuccci. Junior teneriori & ſapidiori carne prædita, ſalubrior cenſetur. Quæ extrà urbes in aprico veſcuntur, anatibus urbanis rebus plerúmque ſpurciſſimis enutritis præſtant. Pulli verò anatici in pretio habentur, & inter delicatiorum epulas recipiuntur. Magis deprædicatur *anas ſylveſtris*, nec immeritò; cùm ejus caro ſapidior & ſalubrior, atque anſerinâ præſtantior, viribus ſtomachi magis obtemperet. Quod ſanè minime mirum, cùm in omni ferè volucrum genere præſtent ſylveſtres & feræ, quæ liberè vagando, victum magis commodum & congruum inveniunt; & volatu magis exercentur. Poſtremò laudantur ova anatina, quæ, juxtà nonnullorum mentem, ipſiſmet gallinaceis minime cedunt.

Querquedula (*la Sarcelle*), ad genus anatum ſylveſtrium fortè referenda, inter lautiores cibos haud infimum locum ſibi vindicat, & cum ipſomet anate, carnis præſtantiâ & ſapore certat. Difficilè tamen ſolvitur in ſtomacho; hinc debilibus & convaleſcentibus noxam inferre poteſt hic cibus, ni parcè & cautè ſumatur.

Otis vel *Biſtarda* (*l'Outarde*), Arelatenſibus *Starde*, à tarditate ob corporis molem ſic nuncupata: gallum enim gallinaceum proceritate æquans; vel ad quindecim libras accedens, ægrè ad volatum ſeſe accingit; adeò ut à canibus nonnunquàm deprehendatur antequàm ad alas ſe recipiat. Carnem habet ſubnigram, anſerinâ nonnihil duriorem & guſtu minùs ſuavem: hæc tamen durities temporis morâ corrigi ſolet: per plures enim

Aves.

dies ſervata, priuſquàm comedatur, ſolutioni magis obtemperat & ad nutritionem fit aptior; imò & ſaporis gratiam nanciſcitur; adeò ut in urbaniorum, divitumque epulis laudetur hæc rara avis.

Anſer domeſticus (*l'Oie*), aquis gaudens, & raro ſe humo attollens, inter aves utiliores deprædicatur. Pullos & ova edulia ſuppeditat; non ſecùs ac plumas ad culcitras & pulvinaria, pennas ad calamos ſcriptorios, &c. Fideliſſimi præterea cuſtodes audiunt anſeres; quo nomine à veteribus celebrantur; non ſecùs ac ſagacitate, quâ, ſi ſcriptoribus ſit fides, multa animalia vincunt. Anſer carnem habet haud inſuavem, licèt duram & ſiccam; coctu difficilem & pravi ſucci; quod de adulto & annoſo intelligi debet. Inter cupedias verò habentur, & magnatum menſis apponuntur juvenes & ſaginati; æquè ac pulli anſerini; etſi ſalubrem ſuccum nuſquàm præbent. A multis celebratur anſeris hepar, tanquàm cibus euchymus & ſuavis. Laudantur etiam ova anſerina, quæ gallinaceis tamen cedunt. Caro anſerina ſale condita & fumo macerata, etſi à bibonibus celebrata, pejoris eſt indolis & difficilis coctionis: ſitim enim creat, alvum ſiccat, & obſtructiones parit: hanc caveant melancholici & valetudinarii. Poſtremò notare expedit quod in majori pretio habeatur anſer ferus, cujus caro eſt ſapidior, coctu facilior & ſalubrior.

Cygnus (le Cygne), niveo colore, inter aves aquaticas vel palmipedes inſignis, anſeris magnitudinem aſſequitur, imò & ſuperat. Carnem habet duram, nigram, & difficilis coctionis; præſertim ſi ſit annoſus & vetulus: ſed inter delicatiores cibos reponitur, & in magnatum conviviis recipitur ejus pullus; aliàs haud inſalubris.

Mergus (le Plongeon), avis maritima, ad anſeris magnitudinem accedit, & regiones ſeptentrionales habitat. Carnem habet duram, oleoſam & ingrati ſaporis; hinc, ni fallor, ab omnibus deſpicitur; &, ob pravum quem præbet ſuccum, malè audit apud medicos. Miſſas facimus plures alias aves affines quæ mare & flumina ſectantur; nec in majori ſunt pretio.

Fulica (*Foulque*), Arelatenſibus *Frauco*, anate paulò minor; ſed corporis formâ huic conſimilis. Carne conſtat durâ & ingrati ſaporis, grave quid & paluſtre olente, & ægrè coctili. Marina cæteris præſtat; etſi paucis arridet, & delicatiorum palatum offendit. Parùm aut nihil à fulicâ diſcrepat hæc avis, quam *Macreuſe* nuncupant noſtrates; licèt quidam aſſerant hanc poſtremam ova in aquâ ponere, quæ ſi ab inundatione fluminis fuerint limo obruta, nova ibidem ponit: fulicam verò in arundinetis nidulari: nùm rectè? viderint curioſi rerum naturalium ſcrutatores. Poſtremæ ſpeciei caro, piſcem nonnihil redolens, guſtu inſuavi; tempore quadrageſimali minime vetatur; cùm oleo ut piſces, non verò genuinâ adipe imprægnetur; in quo verſari diſcrimen inter aves aquaticas & piſces jam ſuprà notavimus.

Pica (*la Pie*), ſuâ garrulitate & furacitate notiſſima, quæ ſcilicèt capta manſueſcit & cicuratur; carnem habet duram, inſipidam ac pravi ſucci: adeò ut vix in uſum cibarium veniat: proindè nonniſi à ruſticis &

tenuioris fortunæ hominibus comeditur. Nec ad cibum magis apta *pica glandaria* Willughby, quæ Provincialibus & Occitanis dicitur *gagé*: quæ ſcilicèt cicurata ſermonem humanum facilè addiſcit, & hâc notâ inſignem inter volucres locum obtinet. AVES.

Graculus, vel rectiùs *Garrulus*, è garrulitate (*le Geai*) Gallo-Provincialibus *Graïo*, avis nigra è picarum familiâ, quæ arte edoctæ eloquium humanum imitari queunt; inter epulas lautiorum minime recipitur; propter carnem duram & inſipidam; hinc ad menſas plebeculæ amandatur. Nùm differat à picâ glandariâ dubitare licet.

Coturnix (*la Caille*), ſapore gratiſſima & lautioribus dicata, optimum ſuccum præbet; præſertim ineunte autumno. Nonnulli tamen hanc avem plus æquo ſaginatam faſtidiunt, ob quemdam ſaporem fatuum aromaticis corrigendum: nec abſimili ratione à Medicis improbatur. Alia eſt coturnicis ſpecies, quæ dicitur in Italiâ & Gallo-Provinciâ *rei de caïo*, quaſi rex coturnicum, quæ etiam ad magnatum epulas expetitur; licèt carnis ſapore minime præcellat.

Turdus (*la Grive*), Gallo-Provincialibus *Tourdre*, coturnice minor, urbanorum conviviis celebratur. Omnium palato arridet hæc avis uvis & baccis juniperi ſaginata; nec inſalubris cenſetur. Alia eſt turdi ſpecies minor quæ à Gallo-Provincialibus dicitur *Tourdre gavoue*; quaſi turdus montana loca habitans; cujus caro nonnihil amaricat; hinc minùs ſuavis; haud tamen pravi ſucci.

Hortulanus (*l'Ortolan*), avis in Galliâ meridionali vulgatiſſima, turdum magnitudine æquans, inter exquiſitiores cibos laudatur. Tantâ tamen pinguedinis copiâ ſæpiùs quaſi obruitur, ut nonnullorum ſtomachum gravet, vel ſubvertat; ac faſtidium creet; aliàs non inſalubris laudabilem ſuccum præbet.

Merula (*le Merle*), avis nigra (alba enim rariſſimè occurrit); turdo, uti videtur, cognata; ejus craſſitiem æmulans vel ſuperans, non minùs in cibo commendatur: ſed helluonum judicio carnem habet inferioris notæ. Scire juvat quod cæteris præſtet, laqueis aut retibus capta, & ſaginata.

Sturnus (*l'Etourneau*), vario plumarum colore ſuperbiens, merulæ magnitudinem aſſequitur. Inter pravos cibos numeratur; eò quod cadaveribus plerúmque veſcatur: ejus enim caro nonnihil amaricans, ægrè coctilis, viroſum quid ſpirat. Uvis tamen tempore vindemiali ſaginatus meliùs ſapit; imò & à quibuſdam ſub hâc conditione in pretio habetur.

Ficedula (*Beque-figue*), opportuno tempore ſaginata in menſarum lautitiis non infimum locum tenet; nec pravum ſuccum ſuppeditat. Aliàs cæterarum avicularum edulium claſſem ſubit. Ad ficedulas referri debet, 1°. *Paſſer arundinaceus* Aldrovand., qui *Bouſcallo* audit apud Gallo-Provinciales & Occitanos; & ſapore, congeneribus minime cedit. 2°. *Alaudæ congener* Aldrov., Maſſilienſibus *Chipardris*, qui optimi ſaporis, avibus proximæ indolis præſtat. 3°. *Œnanthe*, Aldrov., Provincialibus *Queou-*

AVES.

blan, quæ ficedularum delicatum ſaporem æmulatur. Nec deſunt aliæ aviculæ quæ hanc claſſem ſubire queunt; nam mos invaluit ut ficedulæ nomen variis affinibus, tempore vindemiarum pingueſcentibus, etiam tribuatur.

Alauda vulgaris (*l'Alouette*), Pariſienſibus *Mauviette*, quo etiam nomine inſignitur minor turdi ſpecies, Gallo-Provincialibus *Cauquillado*; turdo minor, ſapore gratiſſima & facilè ſolubilis, omnium menſis expetitur; dummodò tamen ſit ſaginata; ſub quo ſtatu ſuccum laudabilem gignit. Sed cavendum ab oſſiculis quæ incautè deglutita nonnunquàm tormina creant. Vulgò aſſantur alaudæ; nec rarò panificiis incruſtantur. Alia eſt avicula, quæ *Alauda pratorum* dicta, Gall. *Farlouſe*; Provincialibus *Pivo*; quæ ficedularum exquiſitiorum ſaporem aſſequitur; & lautiorum menſis apponitur. Pro *alaudæ ſpecie* etiam habetur hæc avicula, quæ *Bedouïdo* audit apud Maſſilienſes; & ratione bonitatis prioribus minime cedit; quæ ſcilicèt ad exquiſitiores epulas adfertur; ac ægrorum languenti ſtomacho gratum & euchymum cibum præbet. Ad alaudarum genus demùm referri debet *Calandra*; hæc nimirùm avicula quæ ope verſatilis ſpeculi alliciunt aucupes, ut plures uno ſclopeti ictu interimant; cibus ſat grati ſaporis & innoxius.

Rubecula (*Gorge rouge*), Occitanis *Rigaou*, avicula cantûs modulamine aures ſuaviter titillans, bonitate carnis ipſiſmet ficedulis minime cedit; ſalubremque victum præbet. Ad rubeculam proximè accedit *Ruticilla*, Gallo-Provincialibus *Queou rouge*, quæ etiam ſapore gratiſſima lautiores menſas ingreditur.

Cuculus (*le Coucou*), cantu uniſono & ingrato notiſſimus; quem in aliarum avium nidis ova ponere compertum manet; eſt avicula carnivora, & ideò inſuavis ſaporis, difficiliſque coctionis. Rarò urbanorum menſis apponitur; ſed ad ruſticorum, hominumque tenuioris fortunæ fercula amandatur.

Picus viridis (*le Pivert*), arbores ſingulari ſtrepitu roſtro feriens, ut vermiculos & formicas quæritet. Ob macilentiam, quâ afficitur, adagio cuidam provinciali anſam dedit, quo dicitur de quovis marcore confecto, *es maigre coumo un pi*; quaſi macilentus ſicut picus. Avicularum tamen edulium ſeriem ſubit, licèt caro parùm ſapida à pluribus deſpiciatur, & quibuſdam delicatulis noceat. Ad picorum familiam referri queunt, 1°. *Oriolus* (*l'Auriol*), qui nidum ſuſpendere malè creditur; guſtu haud inſuavis priorem bonitate ſuperat. 2°. *Torquilla*, vel Jynx, Gall. *Turcot*; Provincialibus *Longo lengo*, ob linguam longiorem quam exerit ad captandas formicas, quibus præſertim veſcitur, haud parvi habetur in menſis. 3°. *Upupa*, Gall. *Huppe*; Provincialibus *Petugo*, quæ à nonnullis avidè expetitur; licèt fortè haud cæteris affinibus præſtet.

Paſſer (*le Moineau*), Maſſilienſibus *Paſſeron*, qui captus manſueſcit & cicuratur, carnem habet inferioris notæ, & nonnihil amaricantem: hinc inter viles & pravos cibos numeratur. Nonnulli tamen agricolæ paſſer-

culos comedere minime verentur ; ſed ab urbanorum menſis planè rejicitur illud obſonium inſuave & inſalubre. Alterius indolis videtur *Paſſer* quidam *montanus* Willughby, qui eò quod ſtupiditatis arguatur, *Darnagas* nomine innoteſcit apud Gallo-Provinciales ; & edulium præbet haud ingrati ſaporis, nec pravi ſucci. Ab adductis etiam diſcrepat *Paſſer troglodytes* Geſner ; Gall. *Roitelet*, Provincialibus *Petoué ;* trium drachmarum pondus, cum pennis minime ſuperans ; qui etiam inter aviculas edules locum obtinet. Aves.

Hirundo (*l'Hirondelle*), vix alimentorum album ſubit, & à pauperculis duntaxàt in cibum admittitur. Ab aliis planè reſpuitur hæc avicula, cujus caro eſt dura & ſicca ; hinc ſapore ingrata & inſalubris.

Innumeræ ſunt *aliæ aviculæ*, quæ vel cantatrices, vel variis coloribus ornatæ, & venuſtate conſpicuæ, in caveis aluntur ; quæ, etſi edules, in uſum tamen cibarium nuſquàm ferè veniunt. Id genus ſunt *carduelis* (*le chardonneret*), vocis amœnitate commendabilis ; *linaria* (*la linotte*), etiam ſuavè canora ; *luſcinia* (*le roſſignol*) ; *ſerinus* (*le ſerin*) ; *parus* (*la méſange*) ; *citrinella* (*le tarin*) ; *fringilla* (*le pinçon*) ; *paſſer canarius* (*le canari*) ; *curruca* (*le verdon*) ; quibus addere licet emberiſam, ligurinum, regulum, aliaſque numero plures, de quibus ornithologi, quæ pro re natâ, vel cujuſvis arbitrio comedi queunt ; nùm tutò ? expertis judicandum relinquimus.

Cæteras aves, quæ ratione raritatis, vel pravæ notæ, nuſquàm ferè in uſum eſcarium trahuntur ; uti ſunt *grus* (*la grue*) ; *ciconia* (*la cicogne*) ; *onocrotalus* (*le pélican*) ; *phœnicopterus* (*le flamand*), &c. conſultò, ne extrà oleas evagemur, prætermittimus.

PISCES.

THUNNUS Aldrov., ſive Pelamis Willughby (*le Thon*), piſcis ingens, vel ponderis centum circiter librarum; qui ineunte æſtate majori proventu occurrit in mare mediterraneo, ad quod irrumpit ex oceano atlantico, in genere aquatilium primatum ſanè ducit. Exquiſitiſſimum, nemine refragante, cibum præbet, qui ſapore ad carnem vitulinam proximè accedit. Egregiè ſaturat; hinc cautè comedi debet; cùm ſub debilitate ſtomachi ægrè ſolutioni obtemperet. Sale, aliove modo conditur caro thunnina, ut per totam Europam tranſportetur, ſub nomine *thon mariné*, quem in deliciis habent Apicii: ſed pejoris notæ eſſe hanc carnem, etſi ſuaviſſimam, nemo non intelligit.

Sturio Aldrov., vel Acipenſer Rond. (*Eſturgeon*), piſcis marinus proceritate conſpicuus nonnunquàm ſcilicèt centum quinquaginta librarum, qui ad magnos amnes adnatat, & ſursùm tendens capitur. Inter lautiores cibos, præſertim ardente ſyrio, locum habet. Ejus tamen caro dura & denſa, præpinguis & viſcoſa; ac vitulinæ, facie & ſapore, vix abſimilis; concoctu difficilis, ſuccum craſſum gignit; ideò debilibus & convaleſcentibus minime convenit. Præſtantior in alto mari vivens cenſetur, quàm littoralis. Deterioris eſt notæ ſturio ſale conditus; licèt helluonibus & bibonibus ſummè arrideat. Scire poſtremò expedit ſturionem, non ſecùs ac varios alios piſces, ichthyocollam ſuppeditare.

Salmo Rondel. (*le Saumon*), diù extrà aquas vivens, ponderis utplurimùm viginti libras, inter majores & eximios piſces numerandus; ſex circiter pedes longus, ad triginta, quadraginta libras & ampliùs nonnunquàm accedit. Capitur in fluminibus ad quæ ex mari migrare ſolet. Carnem habet ſubrubram, teneram, pinguem, ſapore gratiſſimam, & boni ſucci; ni ſit annoſior. Parcè tamen comedi debet, ne moleſtam ſatietatem afferat, ac nauſeam pariat; vel alvum propter pinguiorem ſubſtantiam ſolvat. Priſtinam ſuavitatem amittit ſalmo ſale conditus, vel fumo induratus, qui ideò vilium ciborum claſſem ſubit, & ad plebem quaſi amandatur. Solâ ætate à ſalmone diſcrepare videtur *Salmerinus* (*le Saumoneau*), duas treſve libras vulgò non excedens; qui non ſolùm fluviatiles, ſed etiam marinos piſces præſtantiâ & ſuavitate antecellens, ſalubriorem cibum ſuppeditat; qui ideò ipſiſmet febrientibus nonnunquàm conceditur. In mari genitum ad dulces fluminum undas à parentibus deduci, parvum & nanum manere in fluminibus; brevique adoleſcere, ſi mare ingrediatur, ab artis piſcatoriæ peritis conjicitur.

Delphinus Rondel.; Phocæna Geſner; vulgò Porcus marinus (*Dauphin* ou *Marſouin*), eſt piſcis ingens, à formâ quam ſtatuariorum & pictorum libido

effecit multùm diſcrepans, centum libras & ampliùs pendens, unà cum thunnis capitur in mare mediterraneo, & promiſcuè venalis exponitur in foro piſcario; ut decipiantur incauti. Ejus enim caro, ferini cujuſdam odoris, thunnicâ durior & inſuavior deprehenditur; ægréque digeritur; haud tamen poſthabenda: ſed inter viles cibos & inſalubres recenſetur hæc caro ſale condita, quæ hinc ad plebeculam amandatur. Pisces.

Xiphias Plinii, ſive Gladius Salviani, Gall. (*Eſpadon* ou *Empereur*); Maſſilienſibus *Pei eſpaſo*, eſt piſcis marinus quaſi cetaceus, quindecim pedes longus, & ſuo roſtro enſiformi notiſſimus. Carne conſtat veſcâ, ſed parùm grati ſaporis, & difficilis coctionis. Non ſecùs ac delphinus ſæpiùs, inſtar thunni, comeditur. Natu grandior carnem habet duram & inſipidam, ni acrioribus condimentis emendetur: aliter ſe res habet de juniori, qui ratione bonitatis cum thunno certat. In fruſta diſſectus xiphias ſale conditur, ad plebeium pabulum. Notare expedit aliam eſſe ſpeciem in Indiâ occidentali notiſſimam quæ gladium, vel roſtrum ſerratum habet; & in uſum cibarium etiam venit; quæ ſcilicèt noſtratem bonitate ſuperat: capite præſertim ab Apiciis laudato.

Umbra, vel Sciæna Jonſt. Gall. *Maigre*, Occitanis *Oumbrino* piſcis utriuſque maris, quatuor cubitos longus & ponderis ſexaginta circiter librarum, flumina ingredi ſolet. Inter nobiles & ſapore gratiſſimos haud infimum locum tenet: quò pinguior, eò ſuavior deprehenditur: haud tamen facilè digeritur ejus caro, quæ inſuper eximium ſuccum largitur.

Manatus Aldrovand., vel Vacca marina (*le Lamantin*), piſcis ingens marinus quindecim pedes longus, altum mare habitans, carnem habet firmam & ſapore gratiſſimam; adeò ut thunno, ſub hoc conſpectu, minime cedat, nec inſalubrior cenſeatur. Adipe quaſi obruitur hic piſcis, quæ inſtar lardi à coquis uſurpatur; difficiliúſque rancorem contrahit.

Huſo Marſill. *Auſen* Germanorum, piſcis marinus & fluviatilis è Ponto ſcilicèt migrans in Danubium, ponderis quinquaginta circiter librarum, ad cetacea juxtà nonnullos referendus, vix rei cibariæ album ſubit. Ejus enim caro, etſi non inſuavis, ægrè concoquitur, pravumque ſuccum ſubminiſtrat. Deterioris eſt conditionis ſale condita, quæ hinc ad popellum ablegatur. Notare expedit varias eſſe huſonis ſpecies, quæ diverſum bonitatis gradum obtinent; inter quas una occurrit piſcatoribus apprimè nota, quæ guſtui grata, ſturioni vix cedit: nùm ab ætate piſcis prodeat hæc differentia? examinandum relinquimus. Huſonis ova ſalita minime deſpiciuntur, imò & in pretio habentur à nonnullis bibonibus. Ex hoc demùm piſce etiam educitur ichthyocolla.

Glanis Salviani, qui Silurus Plin. (*Silure*). Piſcis etiam danubialis voraciſſimus & ferociſſimus, majoribus piſcibus & ipſiſmet hominibus minime parcens, ad ducentas libras interdùm accedit. Carnem habet, inſtar anguillæ, pinguem & duram; ſed parùm grati ſaporis; ſine fermè ſpinis; quo fit ut pluribus arrideat, & peculiarem in menſis gratiam obtineat. In quodam pretio habetur ſale condita apud plebem: difficiliùs ſub

hâc conditione digeri, deteriorique ſucco ſcatere prædictam carnem conſectarium manet.

Pisces.

Galeus Canis Rond. (*petit Chien de mer*), Maſſilienſibus *Pal*, piſcis marinus mediterraneus, ponderis quindecim circiter librarum, carnem habet palato ingratam, & ægrè concoctilem; adeò ut vix inter piſces veſcos numeretur. Ejus cutis aſpera, non ſecùs ac illa canis carchariæ americanæ, in variorum artificum uſum venit; quâ ſcilicèt lignea fabrorum opera perpoliri præſertim ſolent.

Trutta, Rondel. (*la Truite*), cubitalis, ponderiſve ſex aut octo librarum, inter eximios & agiliores piſces fluviatiles principem locum ſibi vindicat, & ratione bonitatis ſalmoni minime cedit; præſertim ſi menſibus æſtivis in aquâ limpidâ piſcetur. Duæ ſunt truttæ ſpecies notiſſimæ, una ignobilis, nigris maculis notata, carnem habens mollem, albidam, minùs ſapidam, & lentoris cujuſdam participem: altera præſtantior rubentibus guttis conſperſa, carne conſtat firmâ, friabili, gratè ſapidâ, ad carnem quadrupedum accedente, viſcoſitatis & pinguedinis experte, coctu facili & ſaluberrimâ: ac inter menſarum lautitias haud infimum locum tenet; ſive nobilitatem, ſive ſalubritatem ſpectes. Nec deſunt qui hunc piſcem ſaporis ſuavitate, omnibus præcellere velint; dummodò tamen recèns captus comedatur. Aliàs ſaporis gratiam amittit; ac facilè putreſcit. Notare juvat quod trutta lacuſtris in majorem molem excreſcat; ad pondus ſcilicèt quinquaginta librarum. Hùc coincidit *Trutta taurina*, Willughby (*Truitte ſaumonée*), quæ genuinæ minime cedit, & lautiorum menſas adornare ſolet.

Aloſa, Salvian.; ſive Thriſſa, Rond. (*Aloſe*), piſcis marinus ex eorum numero qui flumina ſubeunt, utplurimùm bipedalis, ſalmonis magnitudinem nonnunquàm aſſequitur. In aquâ dulci pingueſcere ſolet; ſub quâ conditione inter eximios piſces numeraretur, tùm ratione ſaporis, tùm reſpectu facilis coctionis, ni ejus caro innumeris ſpinulis inter comedendum moleſtiſſimis ſcateret. Acorem præterea contrahit, ſi diutiùs, quàm par eſt, ſervetur; ſub quâ conditione nervos lædit, morbum cutaneum quandóque accerſit. Scitur inſuper marinam eſſe inferioris notæ: ejus enim caro ſtrigoſa, arida & inſuavis, ægrè digeritur: imò nonnihil acris dentes & gingivas quandóque lædit: hinc minime mirum ſi præſtantiores veneant aloſæ Lugduni, quàm Maſſiliæ.

Rhombus levis, vel aculeatus, Rondel. (*Turbot*), ſic dictus ob formam rhomboïdalem, piſcis audit marinus, latus & planus, carne conſtans albâ, firmâ & facilè coctili; ac ſaporis gratiſſimi. Hinc pluris habetur; & in lautiorum menſis jure laudatur; aliàs haud inſalubris. Quapropter haud malè à noſtratibus dicitur *Faiſan de mer*.

Thymallus, Salvian. (*Ombre*), piſcis ſaxatilis, longitudine cubitali, à thymo quem redolere videtur, nomen ſortitur. Truttæ quaſi congener, hanc bonitate, nonnullis tamen refragantibus, antecellere dicitur, lautiorum menſis apponi ſolet; cùm ejus caro alba & tenera ſit guſtu ſuavis, concoctu

concoctu facilis & boni ſucci; atque ità ſalubris, ut etiam ægris concedatur : hinc ſemper pluris quàm quivis alius piſcis in foro piſcatorio venditur.

Raia, Rondel. (*la Raie*), cujus variæ ab ichthyographis recenſentur ſpecies, eſt piſcis vulgatiſſimus marinus & littoralis; amans aquas lutulentas; latiſſimus, planus & cartilagineus, cujus caro eſt firma & duriſſima, ſi recentior comedatur : aliàs tenera & magis friabilis palato nonnihil arridet. Haud tamen facilis eſt coctionis; ſucci cæteroquin haud ignobilis. Præfertur *Raia clavata* (*Raie bouclée*), Maſſilienſibus *Clavelado*, minor ſanè & ſapidiſſima; ac fortè ſalubrior. Raia ſale condita, fumo vel ſole exſiccata, pravum audit alimentum ad plebem ablegandum.

Paſtinaca marina, Rondel. (*Paſtenaque*), eſt quædam raiæ ſpecies, ponderis decem circiter librarum; quæ caudâ inſtruitur longâ, rigidâ & ſpinosâ; vel aculeo oſſeo acutiſſimo, utrimque ſerrato munitâ; quo mirè venenato non ſolùm piſces, ſed etiam homines haud ſine magno vitæ diſcrimine ferit : hinc fit ut nuſquàm, ni abſciſsâ caudâ, venalis habeatur. Ejus caro parùm ſapida ægrè concoquitur in ſtomacho; & inter plebeios cibos numeratur.

Torpedo, Rond. (*la Torpille*), Maſſilienſibus *la Dourmillouſe*, ſic dicta ob ſtuporem quem tangentibus infert, eſt piſcis marinus cartilagineus, orbicularis & planus, ponderis quinque circiter librarum. Raiæ faciem præ ſe ferens, diverſas qualitates obtinet reſpectu regionis : equidem in ſeptentrionalibus carne conſtat tenerâ, molli & ſuavi; ac bonum ſuccum præbet : pro inſalubri habetur in regionibus calidis; imò & in quibuſdam Italiæ urbibus Præfecti ſanitatis authoritate cautum eſt ne foro veneat hic piſcis.

Perca major & minor, Aldrovand. (*la Perche*), longitudine unius & mediæ ſpithamæ, ac ponderis duarum, triumve librarum, inter piſces fluviatiles notiſſima, carnem habet teneram, & ſat ſuavem; ſed nonnihil lentam & glutinoſam; alioquin ſalubrem, quam ipſiſmet ægris concedunt plures Medici. Præſtantior cenſetur junior & mediæ ætatis, quæ in flumine limpido, ac velociter currente habitat : cur fit ut in Rhodano arelatenſi captæ, exquiſitiſſimo ſapore donentur. Annoſæ verò & in aquis paluſtribus habitantes, carne conſtant durâ & glutinosâ, ac ideò difficilè in ventriculo ſolvendâ. In mari nonnunquàm capitur Perca, non abſimilis indolis; ſed fluviatili ratione bonitatis cedit. Addere juvat quod haud parvi habeantur percæ ova.

Lucius, Aldrovand., vel Lupus aquaticus, quaſi lacus & ſtagna depopulans (*le Brochet*), aquarum dulcium incola, diverſæ magnitudinis, utplurimùm cubitalis; ſed non raró longior & ponderis ſexaginta librarum; inter plebeios cibos numeratur, ſi deliteſcat in ſtagnis, lacubus, paludibus & piſcinis : ſed ſuas laudes meretur, qui capitur in fluminibus puris & rapidis; ſub quâ conditione carnem habet albidam, ſubduram; grati ſaporis & ſalubrem; cui carni minime cedit hepar. Lucioli, vel no-

Pisces.

velli, caro tenerior & ſapidior exiſtimatur: Lucius verò annoſus eſt palato ingratus & coctu difficilis. Inſuper ratione loci diversâ gaudet bonitate: pluris enim æſtimatur in Galliâ & Britanniâ, quàm in Hiſpaniâ, Italiâ, aliiſque regionibus calidis, ubi durus & inſipidus judicatur: hinc fit ut à nonnullis laudetur, & ab aliis improbetur. Minime reticendum ova Luciorum, non ſecùs ac Barborum, nauſeoſa eſſe, & inſalubria.

Cyprinus, Rond. (*la Carpe*), piſcis inter fluviatiles vulgatior, ponderis quatuor vel ſex librarum; ſed ob diuturniorem vitam in inſignem longitudinem & craſſitiem excreſcit; capiuntur enim cyprini in majoribus fluminibus quatuor pedes longi, & ponderis viginti quinque librarum. Caro hujuſce piſcis eſt pinguis, mollis & glutinoſa, ac parùm ſapida, ni ſubſidium veniat condimentum; atque parùm ſalubris cenſetur. Inter pravos & noxios cibos locum habet annoſus, qui præſertim in vivario cœnoſo & turbido ſervatur. Ætate medius & majoribus ſquamis notatus, atque colore quaſi aureo rutilans, urbanorum menſis apponitur: nec deſunt qui inter cupedias locum ipſi concedunt; dummodò tamen in aquâ currenti & limpidâ capiatur. Laudantur cyprini ova, & pro ſalubribus habentur. Hùc coincidit *Cyprinus latus*, Rond. Gall. *Breme*, piſcis latiſſimus & planiſſimus, ſex circiter libras pendens; qui carnem habet mollem, ſat pinguem, parùm grati ſaporis; etiamſi à nonnullis multifiat. Nùm priorem bonitate ſuperet? Apiciis examinandum relinquimus.

Tinca, Salv. (*la Tenche*), colore viridi nigricante quaſi tincta, raro ultrà pondus duarum, triumve librarum, & longitudinem duarum ſpithamarum, excreſcit. Aquas cœnoſas, limoſas & ſordidas lacuum & paludum, potiùs quàm puras & currentes amat: hinc molli & mucoſâ carne conſtat, ſaporis ingrati, ac pravi viſcidique ſucci; qui haud levem noxam infert ſub infarctu viſcerum; adeò ut pro piſce ignobili, & vili habeatur; & malè audiat apud Medicos. Non inſuavis tamen, ſi muco benè fuerit repurgatus, & paludem minime redoleat. Hæc de tincâ fluviatili intelligi debent; cùm marina ſit pejoris notæ, atque etiam à pauperculis faſtidiatur.

Anguilla, Salvian. (*l'Anguille*), non ſecùs ac anguis, à quo nomen ſortitur, vivipara; piſcis fluviatilis, ſæpiùs cum aquâ fluminum mare ingreditur, à quo iterùm ad flumina aſcendit; ad quatuor librarum pondus, & ultrà, nonnunquàm adoleſcit. Aquis cœnoſis & quietis gaudet, fundumque petit. Carnem habet dulcem, albidam, pinguem, viſcoſam & lentam, ac nonnihil flatulentam, & ægrè coctilem; ſed grati ſaporis & boni ſucci. Haud inſalubres cenſentur anguillæ, ſi in aquâ limpidâ & purâ captæ fuerint: aliter ſe res habet de iis quæ degunt in limoſis & fæculentis ſtagnis, quæ ideò pravo & noxio ſucco ſcatent. Marina, cæteris paribus, inferioris eſt notæ. Notare demùm expedit quod extrà aquam diù vivant anguillæ; ad quartum ſcilicèt, vel quintum diem; præcipuè flante aquilone.

Lampetra, Rond. (*Lamproie*), parùm ratione formæ ab anguillâ diſcrepans, eſt fluviatilis, vel marina. Prior carne gaudet pingui, ſapore non ingratâ, ſed nonnihil tenaci & glutinosâ; quæ ideò non facilè digeritur; nec bonum ſuccum præbet. Marina verò, nonnullis *Murena*, ſapore & figurâ, fluviatili ſimilis, à quâ, ſolâ magnitudine, diſſidere videtur; pendens nimirùm decem libras & ampliùs, carnem habet candidam, innumeris exilibus ſpinulis contextam, mollem & glutinoſam, haud planè inſuavem, ſed inſalubrem. Cæteris præſtant majores & vernæ, quæ hinc à magnatum menſis minime exulant. Utramque caveant melancholici, phlegmatici & ſenes, non secùs ac calculoſi & arthritici. De lampetrâ ſale conditâ, à Medicis damnatâ, & à potatoribus celebratâ, nil addimus.

Turdus, Rond. Maſſilienſibus *Tourdre*, eſt piſcis marinus littoralis, colorum varietate conſpicuus, cujus variæ obſervantur ſpecies. Vulgatior palmi menſuram aſſequitur, & raro ad cubitalem magnitudinem excreſcit. Mollem habet carnem; ſed teneram & friabilem, facilè coctilem & ſalubrem; ac ſapore haud inſuavem; quæ ſuccum levem & facilè tranſeuntem præbet. Nec deſpiciuntur cæteræ ſpecies numeroſiſſimæ, ſuccum non illaudabilem præbentes; de quibus ichthyographi.

Morhua vulgaris Bellon; Aſellus major Willughb. (*la Morue*), piſcis vulgatiſſimus in mari ſeptentrionali, qui planè deſideratur in mediterraneo, carnem habet albam, firmam & grati ſaporis, dummodò recèns comedatur. Aliter ſe res habet, ſi in muriâ ſervetur; ſub quâ conditione ægrè comeditur & digeritur; pravumque ſuccum præbet. Pejoris eſt notæ Morhua ſalſa & exſiccata, *Merluche* noſtratibus dicta, quæ pro tenuioris fortunæ hominibus divenditur; quam tamen à viris eruditæ gulæ laudatam pluriès audivi. Hoc alimenti genus minime ferunt debiles, temperieque calidâ præditi; ſed duntaxàt congruit his qui arduis laboribus ſe exercent.

Lupus marinus, Salvian. (*Loup marin*), parùm ratione formæ, & coloris carnis rubentis, à ſalmone diſcrepans; ſed minor, ad viginti ſcilicèt libras rarò accedens; carnem habet haud inſuavem, teneram & friabilem; ac boni ſucci. È mari flumina ſæpiùs ſubit, & in amne captus pluris habetur. Blandè nutrit, humorum acredinem lenit, & alvum nonnihil emollit. Sale condiuntur lupi ova, quæ menſis apponuntur, ſub nomine *proutargue*; & à bibonibus ſummè deprædicantur.

Solea, Aldrovand. (*la Sole*); piſcis marinus notiſſimus, ſoleæ inſtar pedum, undè nomen habuit, oblongus & planus, carnem habet albam, teneram, exquiſitiſſimi ſaporis, & facilis digeſtionis: adeò ut, nemine diſcrepante, inter eximios & ſalubriores piſces primatum quaſi ducat; nec malè à nonnullis perdix marina audiat; quæ ipſiſmet ægris præſcribi ſolet; dummodò tamen in ſartagine, uti mos eſt, minime frigatur.

PISCES.

Erythrinus, Rond., ſive Rubellio, Geſner. Gall. *Rouget*, piſcis marinus celebratiſſimus, quem pro ſuavi eſcâ habent catillones; & hinc ditiorum menſis dicatus, palmi menſuram rarò excedit. Carne donatur albâ, tenerâ, & helluonum palato gratiſſimâ, quæ facilè digeritur; nec illaudabilem ſuccum præbet. Diarrhœæ medetur, & vires refocillat: inſuper humorum acredinem demulcere; & ideò tuſſiculoſis prodeſſe fertur. Notare expedit alium eſſe piſcem marinum vix edulem, *Lyram* nempè RONDEL, qui etiam *Rouget* nomine inſignitur.

Pagrus, Rond., piſcis marinus littoralis, in mare mediterraneo vulgatiſſimus, ſub nomine vernaculo *Pageou*, ratione faciei & coloris ad erythrinum accedit: ſed latior & rotundior carne conſtat tenerâ, haud inſuavi, quæ tamen ratione præſtantiæ rubellioni cedit. Alia eſt pagri ſpecies minor, quæ in Gallo-Provinciâ dicitur *Picho-Pageou;* piſcis marinus & fluviatilis, qui haud in minori pretio habetur.

Scombrus, Salvian. (*le Maquereau*), Maſſilienſibus *Aurueou*, piſcis pedalis, marinus & littoralis notiſſimus, carnem habet denſam, quaſi exſuccam, & nonnihil viſcidam, quæ ægrè coquitur, & debilem ventriculum gravat; aliàs ſaporis gratiſſimi & boni ſucci. Notare juvat hunc piſcem molliorem, pinguiorem & delicatiorem eſſe in mari mediterraneo, quàm in oceano; & præſtantiorem eſſe ſub verno tempore, quo ſaginari ſolet. Huc pertinet Scombrus quidam ſpurius, vel Trachurus, Rondel., qui Maſſiliis dicitur *Suvereou;* cujus caro durior & glutinoſior, ac inferioris notæ, palato tamen plurium arridet.

Aurata, Aldrovand. (*Brame de mer*, ou *Dorade*), Maſſilienſibus *Aurado*, piſcis littoralis utriuſque maris; ſed in mediterraneo frequentior, duas treſve libras pendens, nonnunquàm ad octo, & ultrà, accedens; vix truttæ & ſalmoni in nonnullis locis cedens; inter eximios piſces numeratur. Carnem ſcilicèt habet albam, ſubduram, ſapore gratiſſimam, & probè nutrientem; ſed coctu nonnihil difficilem; præſertim ſub debili ſtomacho.

Sparus, Rondel., Maſſilienſibus *Sparralon*, ab auratâ, ratione magnitudinis, parùm diſcrepans, cùm palmi menſuram rarò excedat; piſcis eſt littoralis, qui unà cum auratis capitur in locis dictis *Bourdiguos.* Carnem habet ſubteneram & ſapidam, facilè coquendam & ſalubrem; hinc lautiorum menſis apponitur.

Aſellus, Rond. (*le Merlan*), Maſſilienſibus *Marlus*, piſcis eſt pelagius, & plerùmque littoralis, pedem circiter longus, notiſſimus, & in foro piſcatorio familiariſſimus, carne gaudet albicante, tenerâ & friabili, leviſſimâ & grati ſaporis, quæ facilè coquitur, etiam à debilioribus ſtomachis, cæteras dapes reſpuentibus. Hæc intelligi debent de aſello in aquâ limpidâ & purâ vivente: inferioris enim eſt notæ is qui capitur in cœnoſis & herboſis littoribus.

Barbus Salviani, vel Mullus fluviatilis Bellon. (*Barbue*), piſcis eſt

fluviatilis, latus, trium circiter librarum, & ampliùs; plures enim expiſcantur in Rhodano arelatenſi, qui ad decem libras accedunt. Carnem habet mollem & friabilem, non inſuavem, quæ facilè digeritur, & innoxia cenſetur; ſed parcè nutrit. Si tamen in cœnoſo flumine capiatur; caro deprehenditur dura & inſipida. Notare juvat ejus ova inter exenterationem accuratè eſſe eximenda, ne cum piſce coquantur: eſitata enim vomitum cum torminibus concitant; & non secùs ac draſtica purgantia, alvum perturbant.

Scorpius marinus Raii (*Scorpion de mer*), Maſſilienſibus *Raſquaſſo*; ſic dictus non ob ſcorpii vulgaris formam, ſed propter aculeos, uti fertur, venenatos quibus exaſperatur; & tangentes lædere ſolet. Hic piſcis duarum circiter librarum carne conſtat durâ, quaſi cartilaginosâ, ſapore haud ingratâ, ſed concoctu difficili, exiguumque nutrimentum præbente.

Umbla Aldrovand., nonnullis (*Ombre*), piſcis danubialis truttæ affinis, corpore graciliori & minori, vix pondus duarum librarum excedens; carnem habet albam, teneram & delicatiorem; atque truttæ hinc præponitur. Duæ recenſentur ſpecies, quarum poſterior, mole major ad ſex circiter libras accedit.

Salpa Rondel., Occitanis *Vergadelle* dicta, ob corpus lineis aureis, argenteis & rubris quaſi virgatum, piſcis eſt marinus & littoralis, latus & ponderis duarum circiter librarum; cujus caro dura & inſipida ab omnibus deſpicitur. Condiri ſolet & exſiccari ad pauperculorum uſum, ſub nomine *Merluche*, cujus contextus ligno durior, priùs baculo conquaſſatur, vel ferulâ ritè verberatur, antequàm coctioni committatur. Per tranſennam notare expedit varios piſces præter morhuam, de quâ ſuprà, ſic exſiccatos ſubeodem (*Merluche*) titulo, in foris piſcatoriis venales proſtare.

Rana piſcatrix Bellon. (*Baudroie*), Maſſilienſibus *Baudroi*, eſt piſcis marinus ſeſquipedalis, & nonnunquàm multò major, capite portentoſo inſignis: habet carnem mucoſam, inſulſam, virus quaſi reſipientem; hinc à pleriſque deſpectum; cur fit ut ad viles cibos referatur hic piſcis; & rarò in lautiorum menſis recipiatur..

Naſo Geſner., piſcis fluviatilis ſic dictus ob roſtrum ſuperius ſimum & obtuſum; cyprino oblongior & tenuior, ad duas treſve libras accedit. Cùm ejus caro ſit alba, laxa, parùm ſapida, & ſpinulis referta, inter viliores piſces ſolis hominibus levioris conditionis notos numeratur. Scire expedit hunc piſcem natu minorem, vix dimidiam libram pendentem, *Alburnum* vocitari apud Authores.

Muſtella vulgaris Rondel., morhuæ fortè ſpecies, Germanis *Piſgurn* dicta; piſcis eſt lacuſtris & paluſtris, oblongus & teres, plerùmque pedalis; ſed ad ulnæ longitudinem & pondus ſex librarum quandóque accedens; carnem habet ſubfuſcam, paludem & uliginem redolentem, ſubà duram & lentam: hinc inter viliores cibos locum habet, & ad plebeculæ

menſas ablegatur. Muſtella verò fluviatilis & ſaxatilis, ſed rarior, carnem præbet delicatiorem & ſalubriorem; ac ejus hepar præcipuè laudatur.

Pisces.

Mugil, vel *Cephalus* Rondel. (*Muge* ou *Mulet*), Maſſilienſibus *Mujou*; piſcis unius vel alterius libræ, frequens in mari mediterraneo, majori capite notabilis, carne conſtat haud ingrati ſaporis; ſed ægrè coctili, ſtomachumque nonnunquàm laceſſente; aliàs boni ſucci, & multi nutrimenti; dummodò tamen recens comedatur; cùm poſt ſex circiter horas putreſcere incipiat. Flumina nonnunquàm ſubit; ubi plus æquo pingueſcit; adeò ut ejus caro faſtidium moveat. Ex ejus ovis ſale conditis paratur hic cibus inter bibones percelebris, qui vernaculè *poutargue* audit.

Mullus Aldrovand. (*Barbeau* ou *Surmulet*), Occitanis *Cavillo*, piſcis marinus & pedalis, oblongus, duaſque circiter libras pendens, littoralis & pelagius, carnem firmam viſciditatis expertem habet, ſapore haud ingratum, ſed ægrè coctilem; aliàs ſalubrem & corpori alendo nonnihil accommodatam. A veteribus plus æquo celebratus mullus, haud tamen lupos, ſturiones, auratas, alioſve piſces conſimiles antecellit; imò & nonnunquàm pinguior faſtidium & nauſeam movet. Sed pluris habetur apud Apicios mulli hepar. Servantur ejus ova ſale condita, quæ etiam veneunt ſub titulo *poutargues*, non ſecùs ac ova lupi, cephali, aliorumve piſcium.

Milvus Rond. Gall. *Milan de mer*; Maſſilienſibus *Galino*, piſcis marinus & littoralis, ponderis duarum circiter librarum, carnem habet duram, inſuavem & inſalubrem: cur minime mirari ſubit; ſi ad vilium & pravorum ciborum numerum amandetur.

Merlucius, ſive Callarias Jonſton. (*petite Morue*), piſcis marinus & seſquipedalis, carne conſtat albâ & friabili, non ingrati ſaporis; nec difficilè ſolubilis. Hinc inter laudata cibaria haud infimum locum tenet, & urbaniorum menſis crebrò apponitur.

Faber, ſive Gallus marinus Rondel., Gall. *Dorée*, Maſſilienſibus *Truïo* dictus ob voracitatem; piſcis nonnunquàm littoralis, haud infrequens in mari mediterraneo planus, & cubitalem menſuram plerùmque excedens, non ignobilis, carne conſtat ſapidiori, ſatis tenerâ & friabili; ac boni ſucci.

Draco marinus Salvian. (*la Vive*), piſcis marinus & littoralis, aculeis venenatis in dorſo horridus, & diù vivens extrà aquam, carnem habet firmam, albam, teneram & friabilem; hinc facilè ſolubilem, ſat grati ſaporis & boni ſucci: cur fit ut inter eximios piſces locum ſibi vindicet.

Cantharus Rond., Occitanis & Maſſilienſibus *Cantheno*, piſcis marinus & littoralis, locis cœnoſis gaudens, & in portubus præcipuè degens, ad auratam ratione formæ accedit. Carnem habet mollem, præhumidam, inſipidam & pravi ſucci. Hinc inter viliſſimos piſces numeratur; quem etiam abnuunt pauperculi.

PISCES.

Acus marinus Salvian. (*Aiguille*), piſcis utplurimùm pedalis, digiti craſſitiem vix ſuperans, carnem habet ſpinis & ariſtis plenam, ſiccam vix edulem & coctu difficilem; adeò ut è lautiorum epulis planè exulet, & ad plebeculam amandetur.

Paſſer ſquamoſus Aldrov. (*la Limande*), cujus variæ numerantur ſpecies, piſcis eſt marinus, à formâ minoris ſoleæ parùm recedens; cujus caro albiſſima, mollis & tenera, vel aqueo-viſcida, atque ſat ſapida, facilè concoquitur, ſuccumque minime noxium ſuppeditat; quin potiùs tuſſiculoſis prodeſt, & alvo ſicca laborantibus opem fert. Hùc coincidit *Paſſer levis* Aldrovand. (*le Quarrelet* ou *la Plie*), piſcis minor latus & compreſſus, qui ex mari tranat ad ſtagna & fluvios. Carnem habet albam, firmam, & ſapidam; nec coctu difficilem; quæ nonnihil viſcida alvum emollit. Vento ſiccatur hic poſtremus piſcis, ut à locis maritimis ad varios orbis tractus invehatur; ſub quâ conditione inter viliores cibos numeratur.

Sargus Salvian., Maſſilienſibus & Occitanis *Sargué*, piſcis littoralis maris mediterrànei, unius vel alterius libræ, carnem habet nonnihil ſapidam, & ſubduram, quam ægrè ferunt debiles ſtomachi. Succum tamen ſat ſalubrem præſtat; ſed paucum nutrimentum. Plures piſces haud fermè abſimilis formæ, unà cum ſargis capiuntur, & veneunt ſub generico nomine *Rauchaou.*

Melanurus Geſner., Gall. *Nigroil*, Maſſilienſibus *Oblado;* ob caudam nigram ſic vocitatus, eſt piſcis marinus littoralis, palmi magnitudinem vix ſuperans, vel ponderis ſeſquilibræ; ſargis quibus proximè accedit, commiſcetur in foris piſcatoriis; vilium ciborum claſſem ſubit.

Sarda vel *Sardina* Rondel. (*Sardine*), piſcis utriuſque maris notiſſimus, ſaporis gratiſſimi, & inter exquiſitiores cibos recenſendus; facilè digeritur, laudabilemque ſuccum præbet; dummodò tamen recens comedatur; aliàs acorem nocivum contrahit. Sale verò condita, vel fumo indurata, ut in varios terrarum tractus mittatur, cruda comeditur; quæ non ſecùs ac halec & apua, malè audit apud Medicos; & ceu vile alimentum ad homines tenuioris fortunæ ablegatur.

Halec Charleton., *Harengus* Rondel. (*Hareng*), piſciculus littoralis marinus, haud inſuavis, carne friabili; ſed ſpinulis ſcatente, concoctu facili & boni ſucci; dummodò tamen recens edatur. Aliter ſe res habet de halece muriatico (*Hareng ſalé*), aut fumo indurato (*Hareng ſoret*), qui ſiccior & durior ægrè coquitur, pravumque ſuccum gignit: hinc pro viliſſimo cibo, ad popinas ablegando, habetur.

Phycis Rond., Maſſilienſibus & Occitanis *Moulé*, eſt piſciculus marinus ſaxatilis, carne molliſſimâ, ſapore haud inſuavis, nec pravi ſucci, qui tamen inter ignobiles & viliores cibos recenſeri ſolet

Gobius Aldrovand. (*le Goujon*), eſt piſciculus nunc marinus, nunc fluviatilis & paluſtris, magno capite notabilis, in cœno plerùmque degens, quod ſæpiùs reſipit, & quo alitur, non ſecùs ac cadaveribus pu-

Pisces.

treſcentibus; carnem habet mollem & inſipidam, humidam & lubricam, nauſeoſam & inſalubrem. Hinc inter pravos cibos recenſetur; raróque divenditur, ni reliquis piſcibus intermixtus efferatur.

Gobites Rond., alia eſt barbatula, alia aculeata. Prior (*Loche franche*), piſciculus fluviatilis & ſaxatilis, vix digiti craſſitiem & longitudinem excedens, carnem habet ſubduram, haud ingrati ſaporis, nec pravi ſucci: ſecunda (*Loche à piquant*), piſciculus etiam fluviatilis aſper, inter viliores numerandus, ob carnem parùm ſapidam, ſpinulis ſcatentem, & vix edulem.

Eperlanus Rondel. (*Eperlan*), Maſſilienſibus *Pei argentin*; piſciculus marinus & fluviatilis, digiti craſſitiem vix ſuperans, colore quaſi argenteo, carne conſtat molli, friabili & ſapidiſſimâ, violæque odorem nonnihil ſpirante; undè à quibuſdam *Viola marina* dicitur hic piſcis. Facilè concoquitur; ſed parùm alit.

Cuculus Rondel., Maſſilienſibus *Galineto*, eſt piſciculus in mari mediterraneo vulgatiſſimus, qui inter ignobiles & viles cibos numeratur; ob carnem duram & ſiccam, parùm glutinoſam; etſi haud ingrati ſaporis. Hinc fit ut ad popellum ablegetur.

Boops Oppiani, Maſſilienſibus *Bogue*, piſciculus marinus halecis faciem referens, carnem habet teneram & facilè ſolubilem, quæ probum ſuccum præbet; adeò ut ipſiſmet ægris concedatur; nec à lautiorum menſis rejiciatur.

Mœna Rondel., Provincialibus *Cagareou* dicta, eò quod alvum movere dicitur; eſt piſciculus marinus boopi ſimilis, qui vix palmam attingit: inter viles & pravos cibos locum habet; & halecum inſtar ſale condiri ſolet, ipſiſque immiſceri: nec ſalubrius eſt pabulum.

Aphia Ariſtotel. varios piſciculos comprehendit, quorum primus *Halecula* Bellonii, (*Anchois*) audit, è quâ reſectis capite & interaneis, garum vulgatiſſimum conficitur. Secundus *Membradas*, ni fallor, Rondel., in mari mediterraneo haud infrequens, Maſſilienſibus dicitur (*Seouclé*). Tertius *Antherina* Rond., *Meleto* in Gallo-Provinciâ vocitatur. Quartus verò *Anthiæ* fortè ſpecies Rondel. *Petres* nomine vernaculo venit. Inter viles cibos colliguntur prædicti piſciculi, non tamen inſipidi, nec pravi ſucci; etſi parcè alunt.

Alburni, ad Auſonio celebrati, vulgò (*Ablettes*). Sic vocitantur varii piſciculi, breves & tenues, fluviatiles & lacuſtres, colore albicante, & quorum caro mollis, & ſapore ingrata cœnum redolet. Pro congeneribus habentur, & unà veneunt gobites aculeata, leucorinus, naſo juvenis, rutilus, albula parva, aliique piſciculi vilioris pretii, qui urbanorum menſas rarò onerant; niſi urgeat aliorum piſcium penuria.

AQUATILIA

AQUATILIA ANOMALA.

Sepia Rondel. (*Seche* ou *Bouſron*); Maſſilienſibus *Supi*, eſt pſeudo-piſcis marinus, pedalis, vel ſeſquipedalis, formâ horridâ, ad polypum, de quo mox, accedens; os ſpongioſum artificibus notiſſimum in dorſo gerens; ac liquorem peculiarem, atramenti inſtar, nigrum recondens in quodam folliculo propè ſtomachum ſito, quem ad ſe occultandum emittit; cùm una aut altera gutta illius liquoris aterrimi plures aquæ menſuras inficiat. Carnem habet edulem, duram, parùm ſuavem, & coctu difficilem, quæ ventrem adſtringere ſolet. Succum inſuper craſſiſſimum ſubminiſtrat, quo caput nonnunquàm læditur: hinc pro vili cibo & inſalubri habetur. Haud alterius videntur eſſe indolis *Sepiolæ*, Maſſilienſibus *Supions*, quæ pollicis magnitudinem non ſuperant; ſapore haud inſuaves; ſed pravi ſucci.

Polypus Rondelet, (*Polype*), Maſſilienſibus *Pourpre*, eſt piſcis anomalus marinus, littoralis, è genere mollium, crurum proceritate conſpicuus. Aliàs formâ & facie ad ſepiam & loliginem accedit, ſimilemque in ventre recondit liquorem nigerrimum. Haud magis deprædicatur ejus caro; nec tutior eſt ejus uſus.

Loligo Salvian., Gallis *Calmar* ou *Teuthe*, Gallo-Provincialibus *Tauteno*, bicubitalem menſuram raró attingens, caput habet inter pedes & ventrem ſitum, & in mollium claſſe recipitur. Littora minime incolit ut polypus & ſepia; ſed eſt pelagia, & in omni ferè alto mari ſat frequens. Liquore nigerrimo, quem etiam in ventre recondit, celebratiſſima, peculiari & irregulari formâ ad ſepiam accedit; nec magis habetur; cùm ejus caro ægrè digeratur; ſuccumque craſſum & viſcidum præbeat. A menſis tamen urbanorum minime abjicitur: minor præſertim ſuas laudes meretur; dummodò ſuo cum atramento coquatur.

Aſtacus marinus Rondelet., (*Ecreviſſe de mer*), Maſſilienſibus *Lingoumbau*; è cruſtaceorum genere, eſt cancri ſpecies quibuſdam maculis ſignata, cujus caro eſt dura & craſſa, hinc ægrè coctilis; haud tamen pravum ſuccum largitur. Illud notare juvat quod ab uſu aſtacorum, cancrorum, mitulorum, echinorum, aliorumque affinium haud raró erumpant efflореſcentiæ cutaneæ fugaces, ſed febre nonnunquàm ſtipatæ, quas ſæpiùs incauti intempeſtivis remediis aggrediuntur.

Aſtacus fluviatilis Rondel., vulgò Cancer fluviatilis (*Ecreviſſe de riviere*), ab helluonibus in deliciis habetur; præſertim ſi corpulentiores & pingues ſub plenilunio capiantur. Carnem tamen habent duram & craſſam; hinc difficilè ſolubilem, alioquin ſalubrem: ſanguinis ſcilicèt depurationi inſervit, & ſomnum conciliat; phthiſicis, aſthmaticis, me-

Pisces.

lancholicis & ſcorbuticis proficua. Variis modis adhibentur cancri fluviatiles à coquis & piſtoribus dulciariis; ut in magnatum menſis recipiantur.

Cancer marinus Geſneri (*Homar*), Maſſilienſibus *Langouſtre*, magnitudine duntaxàt diſcrepare videtur à fluviatili, quem bonitate ſuperat. Carne conſtat durâ & ægrè ſolubili, aliàs boni ſucci & grati ſaporis. Notare expedit alias eſſe cancri ſpecies, quæ in uſum plebeculæ veniunt; inter quas vulgatior *Favouillo* nomine venit apud Gallo-Provinciales; inter ignobiliores cibos recenſenda.

Squilla Rondel. (*Chevrette*), Maſſilienſibus *Sautaire*, eſt cancri marini ſpecies, quæ pollicis molem raro ſuperat, & degit in locis maris mediterranei cœnoſis. Inter cruſtacea edulia haud infimum locum obtinet: carnem ſcilicèt habet mollem & teneram, ac optimæ notæ, quæ macilentis prodeſt. Cæterùm variæ ſquillæ ſpecies à zoographis recenſentur, quæ ratione bonitatis multùm ab invicem diſcrepant; inter quas nonnullæ in majori pretio ab Apiciis habentur.

Echinus marinus Rondel. (*Ourſin*, ou *Chataigne de mer*), eſt concha tenuis ſubſphærica, undique aculeis armata, quæ piſciculum ſtellarem, edulem, & in lautioribus menſis celebratiſſimum, recondit. Crudus, æquè ac oſtreum, voratur hic piſciculus, palato gratiſſimus, dùm tempore congruo ovis turget. Digeſtioni egregiè favet; ſed ſuccum pravæ indolis præbet: hinc inſalubris, ni parcè comedatur.

Oſtreum (*l'Huitre.*), in claſſe teſtaceorum principem locum obtinet apud nepotes Apicios. Carne conſtat molli & ſummè viſcidâ, quæ facilè coquitur; ſed pravum chylum, nutritioni & perſpirationi parùm aptum, ac pituitoſis infenſum generat. Ob gratam quamdam ſalſuginem appetitum movent oſtrea, & ad venerem ſtimulant, præſertim ſi cruda vorentur. Cocta tamen ſalubriora cenſeri debent; quidquid in contrarium adducant nonnulli helluones, qui nil æquè jucundum exiſtimant.

Mitulus Rondel. (*Moule*, ou *Moucle*), concha minor bivalvis marina, cæruleo-nigricans, piſciculum mole fabæ edulem, aquæ ſalſæ innatantem recondit. Etſi haud inſuavis eſt hic cibus, pravum tamen ſuccum, lentum ſcilicèt & viſcidum gignit: hinc haud raro, uti jam innui, ab eſu mitulorum emergit morbus quidam cutaneus pruriginoſus & fugax; ut de febribus & obſtructionibus, quas ſæpiùs poſt ſe trahit mitulorum uſus diuturnus, vel immodicus, ſi ſileamus. In majori pretio habetur quidam mitulus minor, *Pholas* dictus (*Date de mer*), nidulans in ſaxis, è quibus nonniſi maximo labore eruitur. De quodam mitulo fluviatili, etiam veſco, ſed deterioris notæ, nil addimus.

Tellinæ (*Flions*), Provincialibus *Clauviſſos*, ſunt conchulæ bivalves, multiformes, in littoribus maris mediterranei vulgatiſſimæ, quæ piſciculum recondunt edulem, non ingrati ſaporis; ſed pravi ſucci; qui ſcilicèt inter viles cibos numeratur, & ad popellum amandatur.

Limaces terreſtres (*Limaçons*), à limo in quo generantur & aluntur

ſic vocitati, ad viliores & inſipidiores cibos referuntur, qui ſolâ arte coquinariâ, vel exquiſitiori quodam embammate commendari ſolent. Horum ſubſtantia mucoſa & glutinoſa ægrè ſolvitur, & pravum alimentum præbet. Robuſtioribus duntaxàt, arduiſque laboribus ſe exercentibus congruit hoc abſurdum alimenti genus, quod nonnullis ſuadet guſtuum moroſa diverſitas; quod aliàs juſcula blanda, & tuſſientibus proficua præbet. Cæteris præſtant limaces vinearum, vel minores: poſthabentur verò majores, qui *Scaragoou* audiunt apud Gallo-Provinciales. Scire expedit cochleas inter delicias fuiſſe apud Romanos; adeò ut vivaria inſtituerint, in quibus alerent hæc animalcula. PISCES.

Teſtudo (*la Tortue*). Tres numerantur ſpecies, marina nempè, terreſtris & paludoſa. Prima nonnunquàm mole portentoſa carnem edulem habet in utrâque Indiâ notiſſimam, quæ etſi concoctu difficilis, haud tamen pravum ſuccum gignit. In uſum cibarium etiam veniunt ova hujuſce teſtudinis, nec in minori ſunt pretio. *Terreſtris* & *paludoſa* parùm ab invicem diſcrepantes, carne etiam conſtant veſcâ, quæ tamen vix à coquis uſurpatur; cùm, quâvis arte condiatur, dura, craſſa, lenta & viſcida, præſertim lutariæ, deprehendatur. Hinc paucis pro victu arridentes hæ teſtudines ad officinas amandantur, ut ex illis parentur juſcula demulcentia, tabidis & phthiſicis dicata; de quibus ſuprà in re medicamentariâ.

Rana (*la Grenouille*), Gallo-Provinc. *Reineto*, vix locum meretur in rerum edulium albo. Ea duntaxàt, quæ ſecùs decurſum aquarum fluentium obſervatur, vel fluminibus & rivulis ſtabulatur, uſurpari debet. Quæ verò in ſtagnis & paludibus ſuum habet hoſpitium, tanquàm noxia & venenata rejicitur. Deſpiciuntur etiam illi virides ranunculi, qui inter gramina & arundines verſantur. Ranæ fluviatiles prioris notæ carnem habent candidam, teneram, & nonnihil ſapidam: pars duntaxàt poſterior à coquis recipitur, & pro cibo blando & demulcente vulgò habetur: ſub quo conſpectu macilentis & tabidis ſæpiùs præſcribuntur coxarum juſcula; quæ præſertim opitulantur his qui inſomnes noctes ducunt.

SECTIO III.

DE CONDIMENTIS.

EXOTICA.

Nemo non novit *condimenta*, tùm *exotica*, tùm *indigena*; nec latet priora è longinquis regionibus allata, eſſe *cinnamomum*, *caryophyllos*, *zinziberem*, *piper*, & *nucem moſchatam*; quibus addere licet *galangam*, *cubebas*, *cardamomum*, &c.; quæ poſtrema raro, aut nuſquàm, ni fallor, à noſtris coquis uſurpantur; cùm prioribus ſapore & viribus cedant. Prima in familiariorem uſum veniunt, tàm ad condienda fercula, ut ſuaviora evadant, quàm ad varios intinctus parandos, quibus permiſceri ſolent. Æquus horum uſus ventriculum languentem refocillat, & alimentorum concoctionem promovet; flatus nonnunquàm diſcutit, debilibuſque & pituitoſis confert; viſcidæ ventriculi colluviei medetur; cerebrum, nervos & cor firmat; vireſque corporis auget. Adeò ut ſummè congruant hæc condimenta cautè adhibita frigidis & phlegmaticis. Sed ſub aliâ conditione ſummam noxam inferre queunt hæc aromata exotica; videlicèt ſi ſanguis æſtuet; ſi bilis ſit fervidior; & organa ſicciora ad irritabilitatem ſint proniora. Hæc demùm caveant juvenes, melancholici, tuſſiculoſi, &c. Exoticorum ſeriem claudit ſaccharum à prioribus, ratione indolis & virium, toto cœlo diſtans.

Cinnamomum (*la Cannelle*), eſt cortex odore & ſapore aromatico conſpicuus, cujuſdam arboris zeylanici ad laurum accedentis, juxtà Linnæum. Inter condimenta gratiſſima & uſitatiora primum quaſi locum obtinet: appetitum promovet, & alimentorum digeſtionem juvat: confert pituitoſis, flatulentiæ, cruditatibus mucoſis, & alvi profluvio obnoxiis: vires inſuper cerebri, cordis & ſtomachi refocillat. Sed hoc condimentum caveant melancholici, macilenti, & tuſſi laborantes; non ſecùs ac ſanguineo & cholerico temperamento præditi; cùm ejus diuturnus vel immodicus uſus ſanguinis æſtum foveat, & bilem ad fervorem ſtimulet.

Zingiber (*le Gingembre*), eſt juxtà nuperrimos rei herbariæ ſcriptores, radix cujuſdam amomi arundinacei indici odore gratiſſimo, & ſapore fervido prædita, quæ nunc ſicca, nunc ſaccharo condita, ratione virium cum cinnamomo certat; nec minùs in culinis adhibetur. A probo ejus uſu refocillantur ſtomachi, aliorumque organorum vires: aliàs ſanguinem inflam-

Exotica.

mat; biliſque fervorem concitat: hinc vetatur temperie calidâ & biliosâ donatis; æquè ac tabidis, & quovis pectoris morbo laborantibus.

Caryophylli (*Clous de Girofle*), ſunt flores inexpleti cujuſdam arboris indicæ, & lauriformis, de quâ Casp. Bauhinus. Odore ſuaviſſimo & ſapore aromatico præſtantiſſimo gaudent caryophylli; & pro condimento exquiſitiori adhibentur; cui peſſimo ſanè conſilio minime parcunt magnatum coqui. Non ſecùs ac ſuprà tradita, vires tonicas ſtomachi, cæterarumque partium inſtaurant; hinc debilibus & valetudinariis opem ferunt: ſed ſummam perniciem inferunt ſub bilis fervore & ſanguinis incandeſcentiâ: nec ſub ſaniori corporis conſtitutione innoxius eſt diuturnior caryophyllorum uſus, qui ſucceſſu temporis clancularias vitæ ſtruit inſidias: hinc ſibi caveant catillones, qui ambiunt alios amyſtide vincere.

Piper (*le Poivre*), fructus multiformis, plantæ cujuſdam indicæ ſcandentis & cognominis, condimentum vulgatiſſimum in culinis, tùm pauperum, tùm divitum audit: nec menſæ pipere in pulverem redacto, non ſecùs ac ſale, carere poſſunt. Sapore acri fervido & aromatico linguam ferit; hinc cæterorum aromatum vires æmulatur, & alimentorum digeſtioni præcipuè favet: haud improſperè etiam integra deglutiuntur piperis grana ad ventriculi imbecillitatem: ſed cave ne ab ejus præpoſtero uſu ſanguis & humores incandeſcant; & hinc oriantur innumeri morbi, acuti vel chronici, quæ plurimùm medentibus faceſſunt negotii. De ineptâ opinione, circà vires piperis refrigerantes, nil addimus.

Nux moſchata (*la Muſcade*), eſt fructus ad minoris nucis juglandis molem accedens, ex Indiis etiam orientalibus allatus, peculiari involucro, *macis* nomine noto, obductus. Odore aromatico, ſed mitiori; ſapore nonnihil acri, ſed ſuavi, inſtructus hic fructus nuciformis inter condimenta blandiora & temperatiora præcipuum locum tenet. Præter gratiam quam obſoniis conciliat, digeſtioni opitulatur, & debilibus ſuccurrit; dummodò opportunè & parcè adhibeatur; aliàs ſanguinem commovet, & viſcera æſtuantia lædit. Quod etiam intelligendum de maci odoris fragrantioris & ſaporis acrioris; è cujus longiori uſu major ſequitur noxa. Nemo non novit hanc nucem ſaccharo ab ipſiſmet Indis condiri; quæ catillonibus ſummè arridet; nec ſuis viribus defraudatur.

Saccharum (*le Sucre*), veteribus Græcis planè ignotum è quâdam arundine, de quâ ſuprà, expreſſum, ingenii humani ſagacitate ſalis faciem induit. Dulciſſimum, grariſſimumque condimentum, quod fatuis & inſipidis gratiam conciliat, præbet ſaccharum, non ſolùm ad extemporaneam ciborum præparationem, ſed etiam ad ſervandos varios fructus, non ſecùs ac radices, caules, cortices, &c. quæ in deliciis habentur, & bellaria adornant; quorum tamen uſus immodicus, vel diuturnior inſalubris cenſeri debet. Innoxium ſanè exiſtimatur ſaccharum, ſi parcè ſumatur; acria enim lenit, acida retundit, ſalſa mitigat, auſtera contemperat, acerba mitiora reddit, digeſtionem juvat, & alvum nonnihil laxat.

Exotica.

Prodeſt ſenibus, nec inutilem opem conferre videtur in tuſſi & raucedine; nonnullis tamen refragantibus qui pulmones ab ejus diuturno uſu labefactari contendunt; & adhuc ſub judice lis eſt. Pluribus tamen infenſum eſſe ſaccharum experientiâ conſtat: cholericis enim nocet; quodam ventriculi calore aciditatem contrahit; vermes in ætate puerili ingenerat; oriſque fœtorem nonnunquàm parit; ac dentes fœdâ nigredine & carie deturpat. Ab ejus demùm incauto uſu ſanguis excandeſcit; viſcera exſiccantur, & fovetur diatheſis ſcorbutica. Hinc ſibi caveant qui ſaccharatis plus æquo indulgent. Inſuper in familiariſſimum uſum venit apud piſtores dulciarios, cupedinarios, cruſtularios, libarios, alioſque conficientes placentas, ſcriblitas, globulos, ſpiras, &c. quæ gratiſſimum ſaporem è ſaccharo mutuantur.

INDIGENA.

INDIGENA.

E TRIPLICI regno eruitur hoc condimenti genus. Familiariora & præſtantiora audiunt ſal marinum; butyrum, oleum, adeps, lardum, &c.; quorum legitimus uſus innoxius jure cenſetur. Aliàs condimenta, tùm indigena, tùm exotica, mera ſunt gulæ irritamenta, vel fallaces artis culinariæ illecebræ; omniumque ferè morborum ſeminia; cùm, præter quoddam deleterium, quo ſenſim humores, ab utrorum præpoſtero uſu, inficiuntur & inquinantur, famem proritent non compeſcendam, ni ſtomachus ingeſtorum copiâ obruatur. Sic debilitantur vires coctrices; & pravus à non elaboratis cibis conficitur chylus. Aliter ſentiendum de condimentis acidis, quibus tempeſtivè adhibitis præcavetur ingeſtorum & humorum putredo: has equidem vires obtinent acetum, omphacium, ſuccus limonum, aurantiorum, &c.: hinc ſalubria cenſeri debent acetaria, dummodò ſale & pipere, aliiſque additamentis calidioribus minimè adulterentur. Lardum verò, ſebum, butyrum & oleum quæ in culinis vulgò uſurpantur, pro humorûm diatheſi, ſtomachi conditione & conſuetudine, diverſos effectus exerunt, de quibus ſuo loco.

Sal marinum, vel culinare (*Sel commun*), uſitatiſſimum & ſummè neceſſarium, quo nil antiquius ad ſervandas carnes, omnium ferè ferculorum eſt condimentum, quo vix ſine ſanitatis detrimento carere poſſumus. Hoc unicum condimentum ſuppeditant mineralia; quod ſapida reddit edulia, appetitum excitat, ingeſtorum coctionem juvat, alvum ſubducit & lotium movet; dummodò certis cancellis ejus contineatur uſus. Sed plura poſt ſe trahit incommoda, ſi præpoſterè, vel majori, quàm par eſt, quantitate ſumatur; præſertim ſi, ignis vi, acrior evadat: ſitim enim excitat; ſtomachum & inteſtina lædit, ſanguinem & viſcera torret; ſcorbutum parit & lithiaſim; affectus cutis pruriginoſos creat; obſtructiones fovet; nutricibus officit, ſummamque noxam infert macilentis, tuſſientibus & hecticis.

Præter ejus uſum quotidianum, tàm in menſis, quàm in culinis; ſale condiri ſolent carnes, piſces, butyra, caſei, &c. ut à putredine diutiùs præſerventur. Sed carnes quadrupedum & piſcium hâc arte ſervatæ duriores, denſiores & coctu difficiliores evadunt; ſanguinem inflammant, & bilem augent; adeò ut ex earum diuturniori uſu, præſertim ſi haud probè macerentur, priuſquàm igni committantur, humores penitùs vitientur, & ſcorbuticam craſim contrahant. Hæc ſalſamenta angue pejus fugiant, quorum humores ad alkaleſcentiam vergunt; quam ſanguinis diſpoſitionem produnt æſtus corporis, oris graveolentia; non ſecùs ac inſolitus

INDIGENA. ſudoris, urinæ & fæcum fœtor. Deteriores cenſeri debent carnes ſalitæ rancidæ; quam labem etiam contrahunt, ſi diutiùs morentur in ventriculo, non ſecùs ac lardum, adipes, olea, &c. quæ tùm ſummè nociva evadunt.

Acetum (*le Vinaigre*), cujus uſum in re eſcariâ nemo non novit, eò fit acrius & exquiſitius, quò vinum, è quo paratur, eſt generoſius. Præter acetaria quæ jure ingreditur, eo condiuntur piſces, carnes, olera, aliaque fercula quàm plurima. Pro condimento ſaluberrimo habetur; parcè enim ſumptum ſtomachum refocillat, & appetitum acuit; æſtuantem bilem compeſcit; vomitui, ſingultui & hæmorrhagiæ medetur; obeſis eſt proficuum, putredini reſiſtit, aërem inquinatum corrigit, & ideò graſſante peſte, multùm celebratur. Haud tamen innoxium cenſeri debet; ſenibus enim, melancholicis & hyſtericis raro congruit; macilentos & tuſſientes lædit. Acetum quoddam præſtantius parari ſolet infuſione roſarum, caryophyllorum hortenſium, florum ſambuci & aurantiorum; allii, dracunculi eſculenti, rubi idæi, &c.; quæ omnia vel ejus vim augent, vel gratiam ipſi conciliant.

Omphacium (*le Verjus*), eſt ſuccus uvæ immaturæ expreſſus & colatus; dein vaſe clauſo aſſervatus, qui aceti inſtar in culinis uſurpatur ad intinctus, vel pro ciborum condimento gratiſſimo, præſertim carnium & piſcium. Stomachum roborat & appetitum movet hic liquor; nauſeæ medetur, & alvi fluxum cohibet; viſcerum ardorem, & æſtuantem bilem contemperat; ac putredinem arcet; ſed noxam infert tuſſientibus & macilentis; nec cæteris tutus eſt ejus uſus immodicus: minùs verò pertimeſcendum ab omphacio, quàm ab aceto. Scire juvat omphacium veterum eſſe ſole inſpiſſatum ad rob conſiſtentiam; aliàs ſimilibus viribus pollens.

Limon vulgaris Ferr. Heſper. Inſt. rei herb. Malus limonia acida, C. B. pin.

Limones, (*les Limons*) in menſis, culinis & officinis æquè celebratiſſimi, ſuccum acidum præbent, qui condimentorum gratiſſimorum claſſem ſubit. In ſimilem uſum veniunt mala citrea, & mala aurantia acida, de quibus ſuprà. Neminem fugit è ſucco limonum acido parari potum ſuaviſſimum, *limonade* dictum, ad ſitim ſedandam, æſtum ſanguinis leniendum, primas digeſtionum vias firmandas aptum; qui aliàs ſcorbuticis prodeſt.

Oleum olivarum (*Huile d'olives*), ex hiſce fructibus maturis, colorem ſcilicèt fuſcum, & ſubnigricantem referentibus, ritè tritis exprimitur, eò majori copiâ, & inferioris notæ, quò majores & maturiores ſunt fructus; & diutiùs in acervo concaleſcunt, ac ſudant; tardiúſque prælo ſubjiciuntur. Olivæ verò virides vel ſemi-maturæ, priuſquàm fuſcum colorem induant collectæ, & illicò molendrino commiſſæ, oleum exquiſitiſſimi ſaporis & prioris notæ ſuppeditant. Sed ſi ultrà annum ſervetur oleum,

oleum, ſuavitatem amittit, & inſalubrius evadit. Omnibus notus eſt olei uſus, tàm in acetariis quàm in culinis, ubi butyri vices gerit; adeò ut pro condimento vulgatiſſimo habeatur in regionibus calidis, ubi olea colitur. Oleum olivarum probæ notæ, dulce ſcilicèt, recens & crudum, ſaporeque gratiſſimum, ac moderatè ſumptum, innoxium jure cenſetur: ſed aliter ſentiendum de oleo coctо, præſertim in ſartagine, quod ignis vi acrius, nemine refragante, evadit; cur fit ut ſummam noxam inferat bilioſis, tuſſientibus & macilentis. Simili fermè modo exprimitur *oleum è nucibus* probè maturis, quod vulgò à pictoribus adhibetur; vel ad lucernas ſervatur. In uſum cibarium etiam venit apud nonnullos tenuioris fortunæ agricolas; imò & à lautioribus minime deſpicitur *oleum nucum*, ſi à ritè ſelectis nucibus, debitâ curâ exprimatur, & recens adhibeatur; ſub quâ conditione, cum oleo olivarum, ratione bonitatis certat; & ipſamet acetaria ingreditur.

INDIGENA.

Butyrum (le Beurre), eſt, uti nemo neſcit, lactis vaccini pars pinguior & dulcior, agitatione quâdam ſecreta, & concreta, quæ levi igne liqueſcit. Præſtantius eſt ſubflavum, recens & maiale: inferioris verò eſt notæ vetuſtum & ſale conditum. Butyrum crudum pro innoxio habetur; ſed longiori coctione quamdam, æquè ac oleum, acredinem ſubſtantiis acidis leniendam, contrahit; quâ fit ut plures lædat. Butyrum, inſtar olei, pro condimento in culinis familiariſſimè uſurpatur; imò & ipſo oleo ſalubrius exiſtimatur, licèt minùs ſapidum. Alimentorum etiam album ſubit, cùm nutriat, imò & impinguefaciat. Prætereà aſperam arteriam lenit; tuſſiculoſis prodeſt; & alvum nonnihil emollit. Si majori, quàm par eſt, copiâ ſumatur, ventriculum debilitat; appetitum delet, & nauſeam parit; præſertim ſub cruditatibus acidis, mucoſis & flatulentiâ. Inferioris eſt notæ, uti ſuprà innui, butyrum ſalitum; deterius verò eſt rancidum, quod palato ingratum ſanguinis, & humorum acredinem fovet; adeò ut angue pejus ſit fugiendum. De adipe, lardo, carnium ſuccis percolatis, vulgò *coulis*, &c. ſuprà actum fuit.

Mel (le Miel), olim in re cibariâ uſitatiſſimum, ab invento ſaccharo rariùs uſurpatur. Nonnulli tamen fructus melle condiuntur; atque placentæ, liba, variaque piſtorum dulciariorum opera ex melle parantur; ſed crebrior eſt ejus uſus in medicinâ, uti ex ſuprà adductis colligere licet. Mel ſeligi debet grave, album, dulce & ſuavè odorum, quale eſt hiſpanicum, narbonenſe, &c.; recens & vernum. Initio liquidum, progreſſu temporis craſſum evadit & inferioris notæ; donec tandem vetuſtate amareſcat. Improbatur quod majorem ſpumæ copiam egerit inter coctionem. Ab ſtirpibus, è quibus ab apibus colligitur, vires & qualitates ſuas mutuatur; thymus, roſmarinus, ſatureia, ſerpillum, origanum, affinioreſque plantæ præſtantiores ad hoc opus exiſtimantur. Mel ſtomachum nonnihil refocillat; prodeſt tuſſientibus & aſthmaticis; ſenibus & frigidâ temperie donatis; non ſecùs ac catarrhoſis; urinas ciet, & alvum ſæpiùs movet. Nocet verò juvenibus & bilioſis: tormina demùm & flatus

INDIGENA.

gignit, ni probè ſit deſpumatum. Scire expedit quod è melle, æquè ac è ſaccharo educatur arte chymicâ, ſal quoddam vitriolicum ipſoſmet lapides erodens.

Sapa veterum, quæ reſpicit omnium fructuum ſuccos coctione inſpiſſatos, præſertim intelligitur de muſto ex uvis albis ſelectis, & probè maturis expreſſo, ad ſyrupi conſiſtentiam cocto; donec ſcilicèt tertia ſolummodò pars ſuperſit. *Rob* etiam dicitur, undè Gallo-Provincialium *ru*, quod idem audit; quo non ſecùs ac melle & ſaccharo, condiuntur varii fructus, mala nempè cydonia, pyra, caro cucurbitarum, peponum, &c. Hâc ſimpliciſſimâ arte in regionibus calidis notiſſimâ, ultrà annum ſervantur prædicti fructus, qui ratione ſaporis cæteris bellariis vix cedunt, & pro ſalubrioribus jure habentur: debili enim ſtomacho laborantibus congruit hic cibus. E muſto inſuper ad inſpiſſationem vel extracti conſiſtentiam cocto, paratur illud rob, vel, ut inquiunt, defrutum, quod vulgò dicitur *raiſiné*, ſapore dulci ſubacido gratiſſimum ſub regionibus calidis, ob uvarum præſtantiam; in cæteris verò ad viles cibos amandandum. Notare haud abs re erit, quod è ſapâ & vino, certâ proportione permixtis, vinum concinnant varii nebulones, quod pro cretico, malvatico, &c. ſubſtituunt, venumque exponunt.

Sinapi rapi folio, C. B. pin. Sinapi hortenſe, Cord.
apii folio, C. B. pin. Sinapi alterum ſativum, Adv. Lob.
(*Moutarde*).

E pulvere ſeminum utriuſque ſpeciei, cum vino, muſto & aceto ſubacto paratur illud condimentum, apud gentes ſeptentrionales familiariſſimum, gratiſſimum & ſaluberrimum; atque in re cibariâ ſummè deprædicandum, cùm præclaram opem conferat ſub humorum diatheſi ſcorbuticâ, non ſecùs ac viſcidâ & pituitosâ. Prætereà appetitum, & ciborum concoctionem promovet; quod aliàs dyſuriam haud rarò accerſit.

Dracunculus eſculentus, vel hortenſis, C. B. pin. Abrotanum mas lini folio acriori & odorato, inſt. r. herb. (*Eſtragon*).

Pluris habetur in menſis hæc planta aromatica, & ſuaviſſimo ſapore gaudens; cujus ſummitates teneræ pro acetariis opportunè immiſcentur lactucæ & portulacæ; & ad varios uſus culinares, ceu condimentum præcipuè comparantur. Stomachi vires refocillat dracunculus, & alimentorum coctionem juvat; aliàs inter antiputrida & vermifuga locum obtinet: ſed macilentis, tuſſiculoſis, bilioſis, & ad venerem pronioribus minime convenit.

Allium ſativum, C. B. pin. Allium vulgare & ſativum, J. B. (*Ail*).
ſativum alterum, ſive Allioprasum, caulis ſummo circumvoluto, C. B. pin. (*Rocambole*).

De priore ſpecie, quæ jam traditum alimentorum album ſubiit, nil addimus. Secunda verò quæ inter condimenta duntaxàt recenſeri debet, eaſdem vires obtinet, ſed mitiores. Saporem gratiſſimum conciliat ferculis; appetitum inſtaurat, & cruditates acidas corrigit. Ab Hiſpanis multùm

celebratur ; nec in minori eſt pretio apud noſtros Apicios. Utrâque ſpecie cautè utantur calidâ & biliosâ temperie donati : experientiâ enim multiplici conſtat ejus diuturniorem uſum ſanguinem incendere ; vel ad fervorem ſtimulare : quid hinc ſit pertimeſcendum, nemo non videt.

INDIGENA.

Cepa aſcalonica, Matth. Porrum ſativum juncifolium, C. B. pin. (*Echalotte*).

ſiſſilis, Matth. Lugd. (*Ciboule*).

Utraque ſpecies coquis notiſſima, & ſapore gratiſſima appetitum acuit, & languentis ſtomachi vires refocillat. Acidam colluviem corrigit ; lotio, aliorumque humorum ſecretioni favet ; ſcorbuticis prodeſt, & vermes fugat : ſed vetatur bilioſis, & æſtuante ſanguine laborantibus.

Piperitis, ſive Lepidium vulgare, Park. Lepidium latifolium, C. B. pin. Raphanus ſylveſtris officinarum, Adv. Lob. (*Paſſe-rage*).

A pipere, cujus ſaporem acrem æmulatur, nomen habuit hæc planta, cujus radix cæteris partibus præſtat. Debilem inſtaurat ventriculum, & anorexiæ nonnunquàm medetur. Flatulentis prætereà opitulatur, non ſecùs ac cachecticis. Rarò tamen in culinis urbanorum uſurpatur ; cùm minime deficiant alia condimenta ſuaviora, & probatiora.

Satureia ſativa, J. B. Satureia domeſtica, Hort. eyſtet. (*Sariette*).

Inter condimenta familiariora locum obtinet hæc ſtirps acris & aromatica ; quæ ſaporem gratiſſimum intinctibus conciliat ; appetitum movet, & urinæ ſecretioni fovet. Cautè cum illâ mercari debent juvenes, & præſertim qui de æſtu interaneorum conqueruntur.

Anethum Hortenſe, C.B. pin. (*Aneth*).

Ad multorum ferculorum condituram adhibetur hujuſce plantæ ſemen, odore gratiſſimum : quod appetitum fovet, & digeſtionem alimentorum juvat. Cachecticis & phlegmaticis opem fert : ſingultientibus præſidio eſt ; debilibuſque ſuccurrit. Hoc caveant quorum viſcera æſtuant, non ſecùs ac macilenti & tuſſientes.

Aniſum herbariis ſemine majore (vel minore), C. B. pin. Apium, Aniſum dictum, ſemine ſuavè olente majori (vel minori), inſt. rei herb. (*grand* & *petit Anis*).

Vulgatiſſima ſunt utriuſque plantæ ſemina, non ſolùm apud coquos, ſed etiam apud piſtores dulciarios ; quæ aliàs ſaccharo incruſtantur, & bellaria tralatitia ingrediuntur. Præter peculiarem gratiam, quam in condimentis habent, fœtentem oris halitum emendant, ſtomachum firmant, & flatulentiæ medentur : lactis demùm ſecretionem promovere dicuntur. Sed aliorum aromatum inſtar ſanguinem ſtimulant.

Coriandrum majus (& minus), C. B. pin. (*Coriandre*).

Adhibentur ſemina utriuſque ſpeciei ; ſed præferuntur prioris. Non ſecùs ac aniſum, in culinis & in operibus piſtoriis crebrò recipiuntur hæc ſemina ; quæ etiam ſaccharo obducta pro bellariis afferuntur. Caput roborant, & vertiginoſis ſuccurrunt ; oris fœtorem leniunt ; ſolutionem ali-

INDIGENA.

mentorum juvant; ac flatus diſcutiunt. A coriandro abſtineant qui bilioſâ humorum diatheſi laborant.

Carvi Cæſalp. inſt. rei herb. Cuminum pratenſe, Carvi officinarum, C. B. pin. (*Carvi*).

Inſtar aniſi & anethi ſeminum à coquis, ſed rariùs, ni fallor, uſurpatur hoc ſemen aromaticum, quod ingeſtorum ſolutionem juvat; ſtomachum refocillat, & flatus fugat. Oris graveolentiam etiam corrigit: ſed nocet juvenibus, & temperamento calido præditis. Præterea ſaccharo etiam obducuntur hæc ſemina; & ſecundis menſis cum aliis bellariis apponuntur.

Feniculum vulgare minus, acriori & nigriori ſemine, C. B. pin. (*Fenouil des vignes*).

dulce, majore & albo ſemine, J. B. (*Fenouil doux*).

Semina, inſtar prædictorum, à coquis & piſtoribus dulciariis crebrò uſurpantur; ſaccharo etiam obducuntur, & cum bellariis familiarioribus apponuntur. Concoctionem alimentorum juvant; flatulentis opem ferunt, & ſecretioni lactis favent. Proſunt ſub cachexiâ & infarctu viſcerum; aſthmaticis & vertiginoſis ſuccurrunt; imò & viſum acuere dicuntur. Feniculo, non ſecùs ac cæteris affinibus, cautè utantur ad ſanguinis & humorum incandeſcentiam proni.

Petroſelinum vulgare, Park. Apium hortenſe, ſeu Petroſelinum vulgò, C. B. pin. (*Perſil*).

Nullum olus ipſo petroſelino uſitatius in culinis, propter gratum ſaporem quem cibis conciliat; adeò ut pro condimento plerùmque uſurpetur, ac ſuavitate & ſalubritate celebretur. Appetitum movet; oris fœtorem corrigit; flatulentiæ opitulatur; cachecticis & melancholicis prodeſt: ſed cautè cum illo mercari debent temperie calidâ præditi, hæmorrhagiiſque obnoxii. Fertur demùm immodicum hujuſce plantæ uſum cerebrum lædere, imò & epilepſiam poſt ſe trahere; nùm immeritò? viderint ſolertiores.

Cereſolium Matth. Chærophyllum ſativum, C. B. pin. (*Cerfeuil*).

Suaveolens & ſapida hæc planta familiariſſimè in culinis, ſub condimenti ſpecie uſurpatur; & ori gratiſſima acetariis admiſcetur. Prodeſt debilibus; languenti ſtomacho ſuccurrit, & putredini adverſatur; vires refocillat, & venereos incutit ſtimulos. Hinc intelligitur cur tabidis & bilioſis noceat.

Mentha hortenſis verticillata, ocimi odore, C. B. pin. (*Baume des jardins*).

Odore ſuaviſſima hæc planta condimentorum claſſem ingreditur; & crebrò à coquis uſurpatur, ut ferculis gratiſſimum odorem conciliet. Hùc coincidunt variæ plantæ aromaticæ & affines; uti meliſſa (*la citronelle*); ſerpillum (*le ſerpolet*); ſalvia (*la ſauge*); majorana (*la marjolaine*); ocimum (*le baſilic*); pulegium (*le pouliot*); calamintha (*le calament*); thymus (*le thym*); hyſſopus (*l'hyſope*); roſmarinus (*le romarin*); abrotanum,

(*l'aurone*) ; lauri folia , &c. ; quæ omnia odoratiſſima ſimilibus fermè viribus pollent ; nec abſimili ratione in uſum culinarem trahuntur.

INDIGENA.

Crocus ſativus , C. B. pin. Crocus verus ſativus autumnalis , Park. (*Safran*).

In uſum veniunt flavo-rubentia florum ſtamina , odorem blandum & gratiſſimum ſpirantia. Crocus noſtras vulgò uſurpatur ; ſed præſtantior eſt , nemine diſcrepante , orientalis. Crocus digeſtionem alimentorum juvat , vires refocillat ; tuſſiculoſis & aſthmaticis prodeſt ; ſomnumque conciliat. Non innoxius tamen cenſetur ; hunc enim averſantur plures feminæ : caput nonnunquàm lædit ; imò & mentem perturbare , & quaſi inebriare poteſt , ſi majori , quàm par eſt , copiâ ſumatur. Poſtremò paratur tinctura croci ſpirituoſa , *ſcubac* nomine nota ; quæ primò plurimùm decantata , jam , ni fallor , exolevit.

Capparis ſpinoſa, fructu minore folio rotundo , C. B. pin. (*Caprier*).

Malè habentur à nonnullis cappares (*les capres*) , pro fructibus illius aculeati fruticis ; cùm nil aliud ſint quàm capitula vel rudimenta florum nondùm explicatorum , quæ aceto macerata & ſervata, egregium ciborum , ac præſertim piſcium , audiunt condimentum , & ſalubre ; dummodò nuſquàm adhibeatur ærugo ad ipſis colorem viridem elegantiorem concilian-dum ; quod haud ſemel eveniſſe novi. Appetitum inſtaurant cappares ; & quâcumque obſtructione laborantibus proſunt : diureſim etiam movent ; licèt vi quâdam adſtringente pollere videantur. Notare expedit quod ſimili modo condiantur geniſtæ florum rudimenta adhuc virentia (*la fleur de genêt*) ; flores cardamindi , (*les fleurs de la capucine*) ; cucumeris abortivi , corniculorum inſtar contorti (*les cornichons*) , &c. ; quæ omnia à coquis diverſimodè uſurpantur ; & in acetariis recepta multùm arrident.

Fungus campeſtris albus ſupernè , & infernè rubens , J. B. Fungus vulgatiſſimus eſculentus , Lob. Icon. (*Champignon de couches*).

Fungi verni , odori & eſculenti , J. B. (*Mouſſeron*).

Inter varias ſpecies edules , haſce binas recenſemus , cùm cæteræ ægrè ſæpiùs à venenatis diſtinguantur. Audax omnia experiri humana gula , hanc vilem pſeudo-plantam ſummè expetit : adeò ut inter cupedias celebrentur , à nepotibus Apiciis , fungi præſertim illi qui *Orongas* vocitantur ; etſi inſipidi, alieno ſapore valeant. Pravam, nemine diſcrepante, alimoniam ſubminiſtrant fungi ; præter erroris periculum ; cùm plures occurrant eſculentorum faciem referentes , qui ſummam perniciem , imò & mortem inferunt ; quod varia probant exempla. Hinc ab hocce cibo ancipiti planè abſtineant qui ſuæ ſaluti conſulunt. Fungi veſci innocui judicantur, qui intrà nychthemeri ſpatium creſcunt , & nullâ morâ , vel antequàm explicentur , colliguntur ; vetuſtiores qui fuſcum colorem , ingratumque odorem contrahunt , vel colorem nativum lotione exuunt , pro venenoſis haberi debent : ſtomachum enim ſubvertunt ; ſuffocationem accerſunt , nec rarò paralyſim & apoplexiam poſt ſe trahunt. Scitur demùm variis hiſtoriis , tota convivia hoc nefando cibi genere extincta fuiſſe : nec deſunt fungi adeò venenati , ut vel ſolo olfactu interimant.

Boletus eſculentus, rugoſus, albicans, & quaſi fuligine infeſtus, C. B. pin. (*Morille*).

INDIGENA. Licet boletus facie & formâ diſcrepet à fungo, eâdem tamen, ob ſummam affinitatem, gaudet indole; nec tutior eſt ejus uſus. Huic minime fident cauti; etſi in aliâ ſunt opinione gulæ dediti, qui boletos planè innocuos declarant. Sed refragatur experientia; uti me pluriès obſervaſſe memini; aliique notarunt. Hinc obvium fit, plus mali quàm commodi, in quâvis ætate, & ſub quâlibet corporis conſtitutione, adferre uſum fungorum & boletorum; peſſimo ſanè conſilio in magnatum menſis acceptiſſimorum.

Tubera Matthiol. (*les Truffes*).

In locis ſabuloſis & ſiccis Italiæ & Galliæ meridionalis ubertim naſcuntur tubera; quæ verno tempore potiſſimùm effodiuntur. Inter cibos ſapidiores & exquiſitiores referuntur hæ radices caule & foliis carentes; quæ coctæ gratiſſimum ſpirant odorem; ac principem quaſi locum obtinent inter condimenta; præſertim pro menſis divitum. Cruda vel cocta comeduntur tubera; & à coquis diverſimodè tractantur, ut gulæ blandiantur. Digeſtionum viribus parùm obſequioſa ventriculum ſæpiùs turbant; flatus & tormina creant, venerem proritant; ac ſuccum pravum nutritionique ineptum præbent. Hæc præſertim caveant juvenes, bilioſi & melancholici; præſertim qui ad inſaniam uſque horum cupidine exardent.

Pinus ſativa, C. B. pin. Pinus urbana vel domeſtica, Park. (*Pin*).

In uſum cibarium & medicum veniunt nuces pineæ (*les pignons*), & pro condimento à coquis Italis & Gallo-Provincialibus ſæpiùs adhibentur. Palato & ſtomacho arrident recentes; ſed vetuſtiores rancorem infenſiſſimum contrahunt. Non ſecùs ac amygdalæ ſaccharo incruſtantur, & inter bellaria non infimum gradum tenent. Blandam emaciatis alimoniam ſubminiſtrant, & tuſſientibus nonnihil opitulantur. Suprà traditis condimentis addere licet aquas florum aurantiorum, & roſarum, quæ ferculis immixtæ gratiam ipſis conciliant; præter vires medicas de quibus alibi.

SECTIO IV.

DE POCULENTIS.

NATURALIA.

NUNC ſupereſt ut de uſitatiorum potuum generibus, breviter dicamus; initium ducendo ab aquâ & lacte, quæ omnibus ferè animalibus conceſſit ſupremus parens. Hæc naturalia poculenta excipient liquores fermentati, uti vinum, cereviſia, pomaceum, &c. Agmen claudent nonnulli hauſtus domeſtici è rebus exoticis parati; ſed apud nos familiariſſimi: miſſis potionibus medicis, de quibus ſatis ſuperque in materiâ medicâ; non ſecùs ac carnium juſculis, &c. quæ alimentorum claſſem ingrediuntur.

Aqua (l'eau commune), quidquid obganniant baccho litantes, eſt omnium poculentorum præſtantior, tùm ad ſitim reſtinguendam, tùm ad genuinum alimentorum vehiculum; ſanis & ægris ſummè proficua; quam tanquàm præcipuum vitæ ſuſtentaculum, ad communem uſum paravit ipſamet natura: nec ſine aquâ germinare queunt vegetabilia; adeò ut nil in rerum naturâ utilius & ſalubrius excogitari poſſit. Aqua limpida, levis, inodora & ſaporis expers, quæ igni admota citiùs calefit; & ab eo remota, brevi refrigeratur; quæ demùm cerealia legumina celeriùs coquit, ſaponem faciliùs ſolvit; & ad mundanda lintea magis valet, optima, vel prioris notæ cenſetur. Cæteris præſtant aquæ fluviales, fontanæ ſalientes, vel perpetuò ſcaturientes & pluviales: parvi habentur puteales, vel ſub terrâ fluentes: tanquàm noxiæ deſpiciuntur nivales; ac deteriores jure exiſtimantur aquæ ſtagnantes, paluſtres & lacuſtres. Aquam demùm, quæ per plumbeos canales deducitur, inſalubrem eſſe rectè poſt GALENUM monebat BOERHAAVIUS.

Aqua alimentorum ſuccum egregiè extrahit, & congruum ſucco nutritio vehiculum præbet: craſſos & ſalſos humores diluit, meatuſque patulos ſervat. Prodeſt pueris, juvenibus, temperie calidâ donatis, melancholicis, laboribus & exercitiis deditis: nec ad alendum planè inepta cenſeri debet, cùm conſtet varios homines, ac præſertim melancholicos, ejus ope per viginti vel triginta dies & ultrà vitam protelaſſe. Aqua tamen affatim hauſta, præſertim manè, viſcera debilitat & hydropem nonnunquàm accerſit: crura enim œdematoſa à copioſiori aquæ potu tumidiora evadere docet quotidiana praxis; quod ſanè notatu dignum occurrit. *Aqua gelidiſſima* nive vel glacie parata, pluribus, pectore præſertim laborantibus, noxam infert; aut ſtuporem ſtomacho laborantibus inducit

NATURALIA.

quo ſenſim debilitatur hoc præcipuum digeſtionis organum; etiamſi jure laudetur in Italiâ, Hiſpaniâ, Galliâ meridionali, aliiſque regionibus calidioribus. Aqua inſuper vino cedit, ſi à quâvis cauſâ os amareſcat: ſed valet aqua ſub cruditatibus acidis ſtomachi; quod ſanè apprimè norunt hydropotæ. Variis modis corriguntur aquarum pravæ qualitates 1°. decoctione vel ſimplici calefactione, cujus ope cruditatem, ut inquiunt, deponunt: 2°. infrigidatione, quâ æſtivo tempore ſitientibus magis congruæ cenſentur: 3°. percolatione, cujus beneficio tenuiores & limpidiores evadunt: 4°. demùm reſidentiâ, quâ à materiebus extraneis purgantur; ut hâc depuratione ſalubriores fiant.

Lac (le lait), præſertim vaccinum, ovillum & caprinum, poculentum præſtantiſſimum, inter alimenta blandiora & exquiſitiora, dummodò probatiſſimum ſit, apud omnes gentes celebratur. Genuinum infantum pabulum adultis etiam congruit, qui repueraſcere videntur, ſi hoc ſolo & mero veſcantur. Sic reficiuntur macilentorum & hecticorum corpora; dummodò ab omni aciditate & ſalſedine expers; atque ex animali juveni, non prægnante, vegetis & virentibus herbis enutrito præbeatur. Sub quâ conditione non ſolùm tabidis, ſed etiam arthriticis prodeſt; ac diarrhœæ vel ipſimet dyſenteriæ medetur. Hoc caveant febrientes & bilioſi: vetatur infarctu viſcerum conflictatis, catarrhoſis, pituitoſis & ſenibus. Neminem latet lac coagulari in ſtomacho ſub colluvie acidâ, non ſecùs ac inter æſtum febrilem: ſcitur ejus aceſcentiam in ventriculo præcaveri ab ipſi immixto cerefolii ſucco.

Cogitur, vel inſpiſſatur lac crudum, vel coctum, ope vulgatiſſimi coaguli, quod nihil aliud eſt quàm materia quædam caſeoſa, in fundo ventriculi agnini vel vitulini reperta. Hâc arte inſpiſſatum lac, *coloſtrum* à nonnullis dictum (unde pueri, quibus lac in ventre coagulatur, coloſtrati audiunt); aliàs *lac ſciſſile* apponitur ſecundis menſis, & pro gratiſſimo cibo & ſalubri habetur, dummodò ſtomachi vires ferant. Si adhibeatur lac ovillum vel caprinum dicitur *lait caillé*; quod in uſum familiariſſimum venit apud Italos, Occitanos & Gallo-Provinciales. È lacte vaccino paratum cum cremore dicitur *fromage à la crême*, ſuaviſſimus cibus, & ſanis innoxius; dummodò tamen haud majori copiâ ingeratur. Pinguior lactis pars notiſſimâ arte à reliquis ſubſtantiis ſeparata *butyrum* audit; quod vel per ſe comeditur, vel pro condimento, de quo ſuprà, adhibetur. *Cremor* verò, vel *flos lactis*, eſt ſubſtantia pinguis, oleoſa, lactis ſuperficiei innatans: viribus & qualitatibus cum butyro convenit; à quo differt quia butyrum eſt factitium, vel arte ſeparatum; cremor verò ſponte ſuâ ſupernatat. Palato arridet cremor, quem uberiori copiâ ſuppeditat lac bubulum; qui ſcilicet lactis inſtar in menſis & culinis uſurpatur: haud innoxius tamen, cenſeri debet, ſi majori, quàm par eſt, copia ingeratur.

Lac coagulatum & ſale conditum diù ſervatur & in *caſeum* faceſſit; de quo per tranſennam differere haud abs re fore judicavimus. Caſei variæ ſunt differentiæ ratione lactis indolis, & climatis ubi conficitur. Præſtantior

tior eſt *caſeus* (*le fromage*), è lacte vaccino & ovillo; caprinus verò eſt inferioris notæ. Pro viliori demùm habetur caſeus cui omnis butyracea materia priùs ſubtracta fuit. Caſeus vaccinus probè alit, ſed tardiùs permeat : ovillus parciùs nutrit, ſed facilioris eſt concoctionis : caprinus verò haud difficiliùs ſolvitur ; ſed acriorem ſuccum largitur, parùm nutritioni aptum. Caſeus bonæ notæ, nec recentior, nec vetuſtior & parcè ſumptus haud inſalubris cenſeri debet; imò digeſtioni nonnihil favet, & nutritioni aptus exiſtimatur. Recentior ventriculum gravat, & flatulentiam movet : vetuſtior, durior & aridior, ac ſaporis mordicantis, ſanguinis æſtum fovet; atque ob rancorem, vel acredinem quam contrahit, linguam & fauces nonnunquàm erodit; adeò ut metus ſit ne eamdem labem impertiatur ventriculo & inteſtinis. Fœtidus & putridus ab helluonibus & bibonibus ſummè decantatus, tanquàm gulæ inſanientis irritamentum, omnium peſſimus judicatur. Pinguis & butyroſus, levis & oculatus ſuavior eſt & ſalubrior, quàm durus, ſiccus & compactus, vel cremore & butyro orbatus. A caſeo cujuſvis notæ abſtineant calculoſi, melancholici, & ad infarctum viſcerum proclives; præcipuè quorum alvus eſt adſtricta. Cavendum denique ne majori copiâ ingeratur caſeus cujuſcumque notæ; nam, ut inquiunt, ſolus ille bonus quem dat avara manus. Celebrantur apud noſtros helluones caſei itali, inter quos eminent dicti *le parmeſan* & *le milan*; Hollandi, videlicet amſtelodamenſis & roterodamenſis; helvetii, & præcipuè nuncupati *de Gruiere* & *de Berne*; à quibus parùm diſcrepant qui in Sabaudiâ conficiuntur. Exquiſitiores caſeos etiam ſuppeditat Gallia : quemdam helvetio vix abſimilem proferunt Lotharingia & comitatus Burgundiæ. Magni apud omnes ſunt nominis caſei confecti in Briâ, provinciâ Campaniæ adjectâ, inter quos diſtinguendus qui titulo *Maroles* venit : in Delphinatu circà vicum dictum *de Saſſenages*; in Aquitaniâ circà oppidum *de Roquefort*; in Forenſi agro, circa locum dictum *de Roche*; in Arverniâ, aliiſque tractibus qui, ratione pabuli, victum eximium armentis præbent.

NATURALIA.

Scitur, ut in orbitam revertamus, plures lacticinia averſari ob peculiarem ſtomachi idioſyncraſiam; & ſub hâc conditione, veneni inſtar, ſummam perniciem inferre. Lacte enim vitioſo nil nocentius; nunc enim in acidum acerrimum, & quaſi æruginoſum, vertitur; nunc in coagulum infenſiſſimum abit : aliàs putreſcit & alvum ſolvit : ructibus acidis & nidoroſis patet uterque ſtatus. È lacte demùm, cremore, butyro & caſeo, innumera parantur fercula omnibus fermè gratiſſima. Non ſolùm coqui lacticinia diverſimodè adhibent; ſed etiam matresfamilias plures ex ipſis parant pulticulas, placentas, ſcriblitas, ſpiras, &c. omnibus gratiſſimas. De lactis viribus medicis, de quibus alibi; & de ſero lactis rem medicam reſpiciente, nil addimus.

Fermenta-ta.

FERMENTATA.

Nemo neſcit *Vinum* (*le Vin*), hunc eſſe liquorem qui ex uvis calcatis, vel ſpontè fluit, vel torculari exprimitur; ac dein fermentationi committitur: ac demùm quieti traditur, ut, ſubſidentibus craſſioribus ſubſtantiis, limpidum evadat: ſed peculiarem artem, quâ concinnantur nonnulla vina exquiſitiora, exponere à noſtro inſtituto planè alienum. Vinum generoſum, ab œnopolis minime adulteratum, colore ſcilicèt, nitore, odore & ſapore probatum, neque ventriculum, neque caput, neque pedes offendens, in menſis delicatiſſimum & in culinis perutile, viribus altricibus pollet, & famem ſedat; hinc debilibus & ſenibus ſummè proficuum cenſetur. Inſuper ingenii fomes & animi ſpeculum audit; dummodò tamen modicè hauriatur: ſeverioribus cogitationibus intentorum, vel mœrore confectorum ſolamen, & quaſi hypnoticum ſuaviſſimum. Summis demùm præconiis ab helluonibus & bibonibus extollitur hic liquor nectareus, qui atras abigit curas, frontis rugas delet; facitque diſertos; ac omnibus, ſed præſertim phlegmaticis, moderatè ſumptus congruit. Sub alio tamen conſpectu & fortè magis veritati conſono, liquor audit perniciofiſſimus non ſolùm ob turpem ebrietatem quam inducit; quæ pluribus probrò fuit, & rerum geſtarum gloriam obumbravit; ſed ob labem quam ſenſim corpori infert, ſi largiori, quàm par eſt, quantitate hauriatur. Ab immodico enim vini uſu emergunt ſanguinis æſtus moleſtiſſimus, febres contumaciores, hydrops, phthiſis, lethargus, apoplexia, paralyſis, aliaque familiariſſima infortunia inſignibus potatoribus, & temetum olentibus, qui faciem habent roſaceam, cum oculis rubris & ferventibus. A vino demùm temperent, qui cruditatibus acidis conqueruntur; tuſſiculoſi, & ad traditos morbos proni; ut ſcommata, quibus traducuntur mero ſe proluentes, vel bibaces, ſileamus.

È ſupra habitis colligere licet nunc aquam, nunc vinum, ratione rerum conditionis, ſalubriorem potum præbere: cur minime mirum, ſi ubique occurrant abſtemii, ſecundâ valetudine gaudentes; & nonnulli poculis indulgentes, à quovis morbo immunes, extremum ſenium attigerint; quæ pocula aliàs plures compotatores morti tradiderunt. Aqua vino præſtat ſub ætate puerili; imò haud tutus eſt vini potus pro juvenibus & adoleſcentibus, ni multâ aquâ diluatur. Vinum magis congruit ætate provectis, ſi nil obſtet; adeò ut lac ſenile vulgò audiat. Sub temperie calidâ, ac præſertim æſtivo tempore aqua vino conducibilior jure cenſetur. Si vino aſſueti nil noxæ indè ſentiant; vinum aquæ præferre fas eſt: debiles, infirmo vel frigido ventriculo donati, ſimiliter vino indulgeant. Sed ab illo abſtineant

febrientes, diuturnis capitis doloribus conflictati, arthritici & calculoſi, &c. His addere licet ſummè pertimeſcendas eſſe fraudes popinariorum, quorum vina ſunt mixta, vel adulterata; hinc inſalubria. Vetantur vina vapida, à calore æſtivo confuſa, aliove vitio defœdata, quæ ſummam noxam baccho litantibus inferunt. Inferioris eſt notæ, & ad populum amandatur *lora* vel *poſça*; vinum ſcilicèt ſecundarium, noſtratibus *piquette*, quod paratur à maceratis aquâ vinaceis, rurſùs prælo ſubjectis: nec ultrà hyemem ſervatur illud vinum ſpurium; cùm facilè aceſcat: nonnunquàm aliàs ſtomachum turbat, & tormina excitat: loram præſertim caveant infarctu viſcerum laborantes.

FERMENTATA.

Innumeræ ſunt *vinorum differentiæ* ratione coloris & conſiſtentiæ, ſaporis & odoris, ætatis & loci natalis; quibus addere licet uvarum ſpecies ſeligendas; & conficiendi modum. *Ratione coloris* vina ſunt alba, rubra, vel pallida: alba (*les vins blancs*) parùm aquæ ferunt; promptiùs in corpus diſtribuuntur, & diureſim movent: proficua cenſentur litteratis & capite dolentibus; ſed inferiora digeſtionum organa ſæpiùs lædit horum diuturnus & immodicus uſus. Rubra (*les vins rouges*) caput citiùs petunt & inebriant: ad nutritionem aptiora vires reficiunt: ſed obſtructiones fovent; colluviem ſeroſam & lithiaſim creant; præſertim ſubatra, nec probè defæcata. Rubella, vel helva (*les vins paillets*); pallidè rubra (*les clairets*); medio modo ſe habent: atque ſenibus, pituitoſis, vitamque otioſam ducentibus ſat congruunt: nocent verò bilioſis, labore, inediâ vel mærore confectis: cephalalgiam demùm haud raro pariunt & nervos feriunt. *Ratione conſiſtentiæ* vina ſunt craſſa, tenuia, vel media: craſſa, tartaroque ſcatentia ſtomachum roborant & magis nutriunt; opitulantur debilibus & eſurientibus; atque iis qui arduis laboribus ſe exercent. Tenuia & aquea faciliùs permeant & obſtructionibus medentur; dummodò tamen haud plus æquo linguam feriant; ac demùm litteratos juvant. Vinum mediæ conſiſtentiæ utrarumque virium particeps, cæteris uſitatius; pro vino cibario ubique uſurpari ſolet.

Vina *reſpectu ſaporis* ſunt dulcia, acida, auſtera & inſipida: dulcia, noſtratibus (*vins de liqueur*) temperatiora cenſentur: alvum ſubducunt; optimè alunt; minúſque mentem percellunt: macilentis & tuſſiculoſis proſunt, & expectorationi favent. Tardè verò permeant, ni ſint nonnihil pungentia: hinc nociva exiſtimantur obſtructione viſcerum laborantibus; necnon bilioſis & flatulentis: hæc demùm caveant ad febrem proclives. Acida corporis æſtum leniunt & putredinem arcent; ſed flatulentiam movent; ventrem turbant & tormina creant. Aſpera & acerba ſtomachum roborant & alvum ſiſtunt: tardè penetrantia obſtructiones fovent; pulmoneſque laceſſunt. Vinorum naturam etiam prodit odor: exquiſitiora enim cenſentur odore ſuavia, vel frambæſiam quaſi ſpirantia; cùm vires promptiùs reficiant; & hinc ſenibus congruunt. Inſalubria verò fore malè olentia conſectarium manet.

Fermenta-ta.

Sub *conſpectu ætatis;* recentia, tribus ſcilicèt primis menſibus, quæ muſti dulcedinem ingratam adhuc ſervant; diù in ventre fluctuant; & hinc tardiùs permeant: hypochondria inflant & moleſta poſt ſe trahunt ſomnia; haud depoſito ſedimento, craſſiora & fœculenta, obſtructiones pariunt, & lithiaſim nonnunquàm accerſunt. Tribus aut quatuor ſuperatis menſibus vinum hornum (*vin de l'année*) dicitur; quod rarò in lautiorum menſis propinatur. Vetuſta & edentula, balſamica evadunt & ſtomachum roborant; ſed capiti ſunt moleſta & nervos offendunt, niſi diluta & modicè bibantur. Salubriora ſane quidem cenſeri debent ætate mediâ, bima ſcilicet, trima & quadrima (*vin de deux, trois ou quatre feuilles*); quæ ſcilicet ſanis & morboſis proficua jure exiſtimantur. Annoſiora utplurimùm evaneſcunt, & deteriora evadunt: inſipida ſcilicèt fiunt, quaſi effœta; aliàs quamdam amaritiem contrahunt, vel aceſcunt. Aliter ſe res habebat de vinis perennibus antiquorum, quæ peculiari adhibitâ arte ad mellis conſiſtentiam accedebant; imò & dutitiem cum nonnullâ amatitie aſſequebantur; & ideò ad centum annos, & ultrà ſervabantur. Prædictam craſſitiem contrahebant non ſolùm vetuſtate; ſed etiam à collectis uvis ſemipaſſis; à coctione, & à variâ conditurâ: viciès aquæ capiebant hæc vina. Mirum ſanè quod narratur de quibuſdam vinis arcadicis fumo in utribus ità exſiccatis; ut non, niſi deraſa, & aquâ ægrè diluta, bibetentur.

Si reſpiciatur ſolum, vel *locus natalis*, innumeræ prodeunt vinorum differentiæ, quorum præcipuas breviter indicare expedit. Inter *vina græca* ab antiquis & recentioribus, tanquàm luxurioſæ gulæ humidum blandimentum celebrata, numerantur vinum cyprium (*vin de Chypre*) petenne & balſamicum, aſſuetis gratiſſimum; etſi picem nonnihil reſipit, non verò ſuâ indole, ſed à doliis. Stomachi vires refocillat, debilibuſque prodeſt: cæteris etiam innoxium, dummodò parcè ſumatur: ſed ubique obvium vinum cyprium, rarò merum, vel purum occurrit. Vinum creticùm (*vin de Candie*) inter exquiſitiora ab Apiciis recenſetur; præſertim moſcatellinum (*le vin muſcat*); & malvaticum (*la Malvoiſie*); quod poſtremum nil aliud eſt quàm moſcatellinum coctum: cyprio minime cedit vinum creticum, ſimilibuſque pollet viribus. Vinum coum (*vin de Stancou*) ſubdulce gratiſſimum & odore ſuaviſſimum, vix à prioribus diſcrepat. Chium, *vin de Scio*, moſchatellinum & malvaticum, ſummis laudibus à bibonibus excipitur; ac nobilitate & pretio ipſummet creticum ſuperat. Leſbium, (*vin de Metelin*), cum prioribus bonitate certat: ſed rarò ad nos tranſvehitur illud vinum nulli fortè ſecundum, & quaſi nectareum. His ſubjungere lubet *vina perſica* & *hungarica*: inter prima unum tantummodò nobis innoteſcit, nempè ſchiraſium (*vin de Schiras*) à peregrinatoribus ſummè deprædicatum; quod pro menſis duntaxàt nonnullorum magnatum ad Europam tranſportatur. Familiariora apud noſtrates veniunt vina hungarica, inter quæ prædominium ſanè obtinet, tockavienſe (*le vin de Tokai*) quod ratione ſoli naturæ, non diſcrepantibus Apiciis, vini cana-

fini ſaporem & vires æmulatur : ſed aëris acceſſum minime fert, & brevi turbatur, ni ſit prioris notæ, aut in cacumine alti montis proveniat.

Vinorum italorum agmen ducit albanum (*le vin d'Albe*) ex agro cognomine, ubi prima fuere Romæ primordia, ſic dictum; in conviviis antiquorum celebratiſſimum, vix falerno cedebat : noſtrâ ætate adhuc viget albanum, haud vehemens; ſed ſtomacho gratum; ſapore gaudens ſuavi, non pingui, nec aſpero : capiti innoxium facilè permeat, adeò ut ipſiſmet ægrotantibus concedatur, album vel rubrum. Inter affinia recenſentur faliſcinum (*vin de Monte-Fiaſcone*) in Etruriâ; quod ab albano, cui minime cedit, vix diſcrepat : ſapore gratiſſimum pro innoxio habetur, dummodò moderatè ſumatur. Florentinum (*vin de Florence*) præſertim moſchatellinum, ſummis laudibus excipitur, & cum ipſiſmet vinis græcis bonitate & præſtantiâ certat. Peruſianum (*vin de Perouſe*) florentino proximè accedens, & ex uvis apianis confectum, in lautiorum menſis expectatiſſimum, per totam Europam tranſvehitur. Vicentinum (*vin de Marciminien*) apud Venetos, dulce & pungens, pro eximio & ſalubri habetur; nec vetatur ipſismet arthriticis. Vina neapolitana, inter quæ præſtant *lacryma de galliti*, & *chiarello piquante*, colore rubro elegantiſſimo, & ſuavi odore prædita : tenuia & ſubdulcia viribus temperatis gaudent; facilè permeant, ac cæteris italis fortè præcellunt. Quibus addere licet tarentinum, ſyracuſanum, aliaque innumera quæ ſuas ſane quidem laudes merentur; ſed nuſquàm, ni fallor, apud nos tranſportantur. De maroneo, thaſio, icario & ſmyrnio, falerno, ſetino, cæcubo, maſſico, gaurano, & aliis vinis apud veteres Græcos & Romanos celebratiſſimis, de quibus fusè egit ANDREAS BACCIUS nil addimus; cùm ab uſu planè receſſerint; horumque nomina vix noſtrâ ætate remanſerint; & ideò ad noſtram rem minime pertineant. Addere licet quod vina italica cæteris ſint dulciora, ob uvas maturas ſelectas & in aëre parumper exſiccatas, quibus conficiuntur.

Inter *vina hiſpanica* eminent malacenſe (*vin de Malaga*) opimum & vetuſtatem ferens; quod ſtupendâ copiâ per totam Europam tranſvehitur : languentes vires erigit; hinc debilibus & convaleſcentibus ſummè proficuum. Alonenſe (*le vin d'Alicant*) rubrum & craſſum, haud inſuave; feſſis ſuccurrit, & ad refocillandum ſtomachum nulli ſecundum; à quo minime differt quod vulgò dicitur (*vin de teinte*). Xerenſe (*vin de Xerès*) inter præſtantiora hiſpanica recenſendum, & debilibus apprimè congruum; cui proximè accedit rotanenſe (*vin de Rota*) ad reſtaurandas vires decantatiſſimum. Vinis hiſpanicis ſubjungere lubet canarinum, (*vin des Canaries*), leve, laudatiſſimum & perenne, è muſto uvarum apianarum cocto confectum; quod cætera malvatica antecedere videtur; & ſimilibus viribus pollet. Maderanum (*vin de Madere*) canarino minime cedit, & inter nobiliora, vel exquiſitiora numeratur. Scire expedit quod hæc vina tùm Hiſpaniæ, tùm prædictarum inſularum, præviâ quâdam

FERMENTATA.

coctione, utplurimùm parentur; cur fit ut diù ſervari queant; & ſtomacho gratiſſima, debilium vires inſtaurent. Haud tamen innoxia ſub diatheſi ſanguinis calidâ, vel biliosâ: imò & à diuturniori, vel immodico uſu temperent, qui ſuæ ſaluti conſulunt.

Alterius naturæ ſunt *vina germanica*; inter quæ primatum ducit rhenanum (*le vin du Rhin*) circà ſcilicèt hujuſce fluminis ripas: lene, tenue & ſubacidum, quod ſuavitate & ſalubritate ſe commendans, facilè permeat; ac viribus temperatis gaudet; imò & ſcorbuticis prodeſſe fertur: moſellanum (*vin de la Moſelle*) rhenano minime cedit, iiſdemque fermè viribus inſtruitur. Huic proximè accedit mœnanum, juxtà ſcilicèt Mœnum fluvium naſcens, quod plerumque pro rhenano divenditur. De baccaraco, aliàs laudatiſſimo, nicrino, rinchoviano, aliiſque vinis Germaniæ, quæ nuſquàm, vel rariſſimè in noſtris œnopolis proſtant, nil addimus.

Ad *vina gallica* devenimus; in quorum numero principem locum jure ſibi vindicat burgundiacum (*vin de Bourgogne*) inter vina cibaria uſitatiora recenſendum, firmum & corpulentum, ac gratiſſimum, conſiſtens & ætatem ferens, aquæ immiſceri patitur. Probè nutrit; ſtomachum refocillat; & capiti innoxium ni largiori, quàm par eſt, copiâ ſumatur. Per totam Europam convehitur; & ad ſecundum, tertiumve annum ſervatur. Inter vina burgundiaca ſummis præconiis extollitur belnenſe (*le vin de Beaune*) quod fortè inter affinia ſibi par non habet. Lugdunenſe, & præſertim dictum (*vin de Condrieux*) vehemens & exquiſitiſſimum, burgundiaco minime cedit; magiſque vetuſtatem fert. Campanum (*vin de Champagne*) multi uſûs in conviviis, tenue & fervens in ore, odore præſtantiſſimo; dulce ſubacidum; vix aquæ immiſceri patitur: ſpiritus recreat; urinam ciet; facilè tamen inebriat: in ultimas terras exportatur. Burdigalenſe, ac præſertim dictum *vin de Grave & de Pontac*, nunc fulvum, nunc corpulentum & ſubatrum; nonnihil aſperum, ſtomacho gratum, optimam alimoniam præbet; nec facilè inebriat: notare juvat quod vina burdigalenſia exportatione præſtantiora evadant. Aurelianenſe (*vin d'Orléans*) album & rubrum, vinoſum & mediæ conſiſtentiæ, haud inſuave & facilè inebrians: ſecundo duntaxàt anno probè maturum, diutiùs ſervari poteſt ad quintum ſcilicet vel ſextum annum. Andegavum (*le vin d'Anjou*) utplurimùm album, dulce & vinoſum, ſuas laudes meretur & diù ſervatur. Pictavienſe (*vin de Poitou*) album & languidum, nonnihil acerbum & ſubacidum, ad vina rhenana accedit. Pariſinum (*le vin de Paris*) infirmi ſaporis & inferioris notæ, parùm aquæ fert; haud niſi veteraſcens utile; ad homines tenuioris fortunæ utplurimùm ſervatur. Raro tamen purum deprehenditur, ſed plerúmque mixtum, vel adulteratum, ſub alio titulo venale proſtat in tabernis vinariis.

Sed prædicta gallica longè præcellunt vina quæ præbent *Delphinatus*, *Occitania*, & *Gallo-Provincia*. Inter vina Delphinatûs ſummis præconiis

extollitur, vinum dictum *de l'Hermitage*, ſubrubrum, nonnihil auſterum; aliàs innoxium, ſtomacho gratum & exquiſitiſſimi ſaporis. Nec in minori pretio habetur id quod dicitur *de côte rotie*, à bibonibus expectatiſſimum. Vina haud inferioris notæ ſuppeditat Occitania, inter quæ famigeratiſſimum audit vinum *de Frontignan*, tùm album, tùm moſchatellinum; generoſum & vehemens; & fortè cætera vina gallica antecellens. Nec minori encomio laudatur vinum, dictum *de Lunel*, quod etiam duplicis ſortis ſimilibus pollet viribus: ut de vino dicto *de Tavels*, aliiſque innumeris quæ obſcurus locus recondit, ſileamus. Vitium nobiliorum, & cujuſcumque ſortis, ferax Gallo-Provincia vina præbet vehementia & fervida, rubra, alba, fulva & moſchatellina, quæ aquâ ſane quidem dilui debent, ne caput impetant. Pro ſelectioribus & exquiſitioribus habentur vina dicta *de la Marque* & *de Gemenos*, propè Tolonem; *de Barbantane* & *de Craux*, apud Arelatenſes; *de Ries*, *de Roquevaire*, *d'Aubagne*, & *de Cante-Perdrix*: vina alba *de Caſſis*, *de Marignane* & *de Canes*: moſchatellina *de St. Laurens*, *de la Ciotat* & *de Cuers*; aliaque benè multa ſapore ſuaviſſima, & vires egregiè refocillantia, quæ, neſcio quo fato, debitis laudibus defraudantur; quæ fortè omnibus vinis gallicis, aliiſque ſplendido titulo notis, præcellerent; ſi faciliùs tranſveherentur, & pereniora fuiſſent. Innumera alia vina diverſarum regionum conſultò prætermittimus, cùm immenſi eſſet laboris, & utilitatis perexiguæ, cuncta proſequi. FERMENTATA.

Carenum, vel vinum decoctum, vulgò *vin cuit*, in Italiâ, Gallo-Provinciâ, & Occitaniâ vulgatiſſimum, è muſto uvarum albarum, ſelectarum, & probè maturarum, ad tertiam partem cocto, adeò ut duæ ſcilicet partes tantùm remaneant, ritè deſpumato; & dein adhùc fervente multùm agitato & ventilato, donec frigeſcat, conficitur. Hoc vinum in doliis ſervandum, ac perenne, gratiſſimum potum præbet, debilibus & convaleſcentibus ſummè proficuum, atque omnibus innoxium; dummodò tempeſtivè & moderatè ſumatur. Si ad hoc opus adhibeatur muſtum ex uvis apianis expreſſum, emergit vinum exquiſitiſſimum quod malvaticum audit; & noſtratibus *malvoiſie*; quo titulo etiam gaudent, uti ſuprà innuimus, varia vina exotica celebratiſſima; quibus ſanè minime cedunt malvatica Occitaniæ & Gallo-Provinciæ; quæ ſcilicet, ipſomet Apiciorum judicio, vix paria habent; & ad Lutetias tranſvecta pro vinis exoticis, propolarum arbitrio venales proſtant. Vina poſtremò utriuſque Indiæ è ſucco variorum vegetabilium parata, quæ in Europam nuſquàm, ni fallor, tranſvehuntur, brevitati ſtudentes conſultò prætermittimus. Sed nonnulla addere licet de quodam infuſo vinoſo, quod olim celebratiſſimum hodiè exolevit, & *vinum hippocraticum*, noſtratibus *hippocras* audit. Paratur adhibendo *cinnamomi* craſſiuſculè triti unciam unam; *nucis moſchatæ* ſcrupulum unum; & *ſacchari albi* libram unam: quæ omnia infunduntur in *vini rubri vel albi* generoſi libris ſex per viginti quatuor ho-

FERMENTATA.

ras. Dein bis terve colatur ut ſervetur ad uſum. Nonnullis arridet hoc poculentum quod debilibus & convaleſcentibus congruit; ſtomachi vires refocillat, & digeſtioni favet. Hoc tamen caveant qui de æſtu viſcerum conqueruntur; quibus ſcilicet nocent res calidæ & aromata.

Aqua vitæ, vel ſpiritus vini, noſtratibus *eau-de-vie*, & à plebeculâ, *brandevin*, è vino per organa diſtillatoria, non ſecùs ac è cereviſiâ, pomaceo, pyraceo, hydromelle vinoſo, aliiſque liquoribus fermentatis, elicitur; ac per repetitas diſtillationes ſubtilior redditur. Ea fuit veterum temperantia, ut vel abſtemii viverent, vel meri vim aquâ temperarent: hodiè verò ut meracius bibamus, aquam quam natura vino admiſcuit, arte detrahimus; nec ſine maximo ſanitatis diſpendio. Hunc tamen liquorem calidiſſimum & penetrantiſſimum in deliciis duntaxàt habent ruſtici, bajuli, nautæ, aliique infimæ plebis homines. Sed in uſum veniunt apud lautiores, varii liquores ardentes, quorum baſim præbet aqua vitæ, quique haud minorem perniciem inferunt, & pro ſtygio nectare haberi debent. Suis tamen laudibus minime defraudanda aqua vitæ vulgatiſſima, opportunè & congruâ doſi hauſta: ventriculum enim roborat & flatus diſcutit: vigiliis, inediâ, aliâve causâ exhauſtos ſpiritus promptiſſimè inſtaurat; vires refocillat, & inquinato aëri reſiſtit. Summam verò noxam infert ejus uſus diuturnus & immodicus: præter enim ebrietatem cæteris perículoſiorem; calorem naturalem ſenſim reſtinguit; ventriculi tonum infirmat, & appetitum proſternit; organa exſiccat, & humores, ſi bilem & urinam excipias, cogit: hinc cachexia, obſtructiones, hydrops, tremores, hebetudines, &c. Præter baſim variorum liquorum apud bibones celebratiſſimorum quam præbet aqua vitæ; ad condiendos & ſervandos varios fructus etiam inſervit; nec raro in arte coquinariâ, peſſimo ſanè conſilio, adhibetur.

Cereviſia (*la biere*), eſt liquor ex hordeo, aliove grano frumentaceo, aquâ & lupulo confectus; ac debitâ fermentatione defæcatus, quo vini inſtar utuntur varii populi ſeptentrionales, à quibus ſcilicèt vites deſiderantur. Macerantur prædicta grana, donec turgeant vel germinare incipiant; dein ſole, vel clibano, exſiccantur, ut in farinam craſſam redigi queant; quæ in aquâ coquitur, & poſteà trajicitur. Colatura iterùm igni committitur cum floribus lupuli; dein agitatur & denuò colatur; ac demùm addito cereviſiæ fermento, fermentationi traditur; ut depuratus, vel defæcatus liquor in doliis recondatur. Non ſecùs ac vinum inebriat cereviſia, ſi immoderatiùs potetur; aliàs haud inſalubris apud aſſuetos, qui hunc liquorem pro vino patrio habentes, magnitudine, utplurimùm, & robore corporis alios ſuperant. Hinc nullum eſt dubium quin probè nutriat, imò & pinguefaciat. Inſuper ſitim ſedàt; ſomnum conciliat; æſtumque ſanguinis lenire videtur; adeò ut vel ipſiſmet febrientibus nonnunquàm à ſolertioribus concedatur; dummodò tamen ſit limpida, coloris elegantioris & grati ſaporis; nec recens, nec vetuſtior. Haud tamen innoxia cenſeri debet;

flatulentiam

ſlatulentiam enim ſæpiùs parit; ventrem & hypochondria inflat; tormina creat; ægrè tranſit; ventriculum & nervos offendit; renes & veſicam lædit; gonorrhœamque ſpuriam accerſit: ut de obſtructionibus & lithiaſi ſileamus. Hanc perniciem præſertim affert cereviſia pravæ notæ, acida vel corrupta: varios eſſe cereviſiam parandi modos jam ſuprà innuimus; hinc diverſis viribus pollere obvium fit; quæ etiam pendent à vetuſtatis gradu, à loco & aquis: præſtantior enim exiſtimatur, quæ in regionibus ſeptentrionalibus conficitur.

FERMENTATA.

Hydromel vinoſum, ſic dictum ut diſtinguatur ab extemporaneo & officinali, de quo in materiâ medicâ, eſt mel in aquâ ſolutum, eâ copiâ ut ovum liquori innatens ſuſtineat, coctum & deſpumatum; dein fermentationi commiſſum, atque in doliis vini inſtar ſervandum. Hydromel optimæ notæ parùm, ratione ſaporis & faciei, diſcrepat à vino hiſpanico: hinc minime mirum ſi in deliciis habeatur hic liquor in Lithuaniâ, Poloniâ & Moſcoviâ, ubi ipſimet vino, quantùmvis generoſo, præfertur. Tantâ copiâ à prædictarum regionum incolis, quotannis paratur, ut vix alio potûs genere opus ſit. Nec inſalubre eſt hydromel, ſi parcè & opportunè ſumatur: languentem enim appetitum inſtaurat, alvumque emollit: tabidis etiam & phthiſicis conferre dicitur. Aliàs, præſertim recentius, nauſeam movet, alvumque turbat; &, non ſecùs ac vinum & cereviſia, inebriat.

Pomaceum (*le cidre*), paratur è quibuſdam pomis acerbis, vix edulibus, vel ante perfectam maturitatem collectis, contuſis & prælo ſubjectis. Expreſſus ſuccus fermentationi traditur, & probè defæcatur ut limpidus evadat; hinc potui idoneus, ſubdulcis ſcilicèt cum aliquo ſtimulo redditur; ſapore & viribus vino haud multùm inferior. Pro qualitate & ingenio pomorum, haud diutiùs, quàm par eſt, aſſervatum, plus minúſve celebratur pomaceum; quod probè confectum, præſertim in Normaniâ, per tres, quatuorve annos incorruptum ſervari poteſt: imò & certo vetuſtatis gradu generoſius cenſetur. Vini inſtar inebriat, ſi majori quantitate ſumatur; imò & hæc ebrietas longior fit & periculoſior. Aliàs innoxium cenſetur: nam ſaniores, vegeti & benè colorati videntur homines, ubi vulgò bibitur: nervoſum enim genus minùs tentat quàm vinum; atque melancholicis & ſcorbuticis prodeſſe fertur. Inter poma ad hoc opus congrua, rubro-ſtriatum omnium optimum habetur; quamvis guſtui ingratum ſit, & ad ſylveſtrium naturam proximè accedat. È pomis enim acerbis confectum pomaceum diutiùs ſervatur; dummodò tamen quamdam maturitatem aſſequantur; aliàs pomaceum aceſcit. Si verò fructus æſtivi & fugaces adhibeantur, haud diù in vigore perſtat; ſed citò pervertitur.

Pyraceum (*le poiré*), eſt quoddam vini genus è pyris acerbis confectum: pomaceo confine, magis vinoſum cenſetur. Nec abſimili arte elicitur ſuccus pyrorum, quem quieti & fermentationi tradunt, donec fæces craſſiores ſubſederint; & hinc liquor clarus emergat. Inſtar vini & po-

Fermenta-ta.

macei in cellâ ſervatur; ſed primâ æſtate vapidum evadit pyraceum, & aceſcere ſolet: quò acerbiora ſunt pyra quibus conficitur, eò diutiùs ſervatur; ſed inferioris notæ. Ad vinum album nonnihil accedit pyraceum; ſed ſubdulcius plurium palato minime blanditur; cur fit ut ad pauperculos amandetur hic potus, quo ſæpiùs inebriantur, non ſecus ac à vino, aliiſque liquoribus fermentatis. Pomaceum & pyraceum, cæteris paribus, minorem noxam inferre videntur, quàm vinum. È pyraceo, veluti è pomaceo & cereviſiâ diſtillatione elici liquorem calidum & penetrantiſſimum, qui aquæ vitæ, vel ſpiritûs vini vires æmulatur, jam ſuprà notavimus.

DOMESTICA.

Thea (*le Thé*). Hoc nomine veniunt folia ſubviridia, vel fuſca cujuſdam fruticis ſinenſis & japonenſis, qui annuente Plukenet, evonymi faciem præ ſe fert; & cujus icon elegantiſſima proſtat apud Kœmferum. Torrentur prædicta folia in furno ad emendandam, ut inquiunt, horum deleteriam qualitatem. Neminem fugit ex hiſce foliis, præſertim viridibus convolutis, parari ſorbitionem, nonnullis ſuaviſſimam, & ab encomiaſtis plus æquo celebratam; cùm vix innoteſcant ejus proprietates; ni quidpiam conferat ad refocillandum caput, ebrietatemque fugandam. Nùm cæteræ vires quæ ipſi tribuuntur, aquæ calidæ haud potiùs ſint referendæ? dubitare licet. Ejus tamen immodicus uſus ventriculum debilitat, nervos laceſſit, & tremorem promovet: hinc à nonnullis inter quos eminent Kœmpferus, Trillerus & Tissot, quibus aſſentiri minime gravamur, abdicatur. Haud deſunt inſuper plantæ indigenæ, veronica nempè, meliſſa, ſalvia, &c. è quibus parari poſſunt ſorbitiones palato gratiores, & innoxiæ. Integris foliis, ad pugillum circiter unum, ſuperaffunditur aquæ libra una: & hæc potio, addito ſaccharo, calidè eſt ſorbillanda, nonnulli lac ipſi admiſcent ut ſuavior evadat; quæ inſuper nihil fortè præter ſaccharum ſapit.

Caffetum (*le Caffé*), eſt ſemen craſſiuſculum ovatum, ex utrâque Indiâ ad nos allatum; quod duplex reconditur, nucleorum inſtar, in quodam putamine, vel fructu cujuſdam jaſmini indici; de quo acta Acad. Reg. Scientiarum. Neminem fugit ex hiſce granis torrefactis ad unciam unam pro quâcumque aquæ librâ parari ſorbitionem illam gratiſſimam & cognominem, quæ æquè ac vinum ſua habet thermopolia, & non multis abhinc annis in familiariſſimum uſum apud nos cedit. Vires recreat & coctionem alimentorum nonnihil juvat caffetum, inter hauſtus calidos primatum obtinens: hinc opitulatur cibo confertis; ebrietatem ſolvit; atque alvum, lotium & menſes nonnunquàm movet. Prodeſſe fertur ſenibus, corpulentis

& otioſis; literatis & abſtemiis; catarrhoſis & pituitoſis; vertiginoſis & ſomnolentis: venerem demùm obtundere; rhachitidemque præcavere dicitur. Noxam infert juvenibus & macilentis, bilioſis & melancholicis, ſcorbuticis & cuicumque hæmorrhagiæ obnoxiis. Cautè cum hâc ſorbitione mercari debent mulieres ad abortum proclives; necnon hyſtericæ vel fluore albo laborantes. Nervos poſtremò laceſſit; ſomnum fugat; tremorem, imò & paralyſim in nonnullis concitat; non ſecùs ac eryſipelata, aliaſve efflorescentias cutaneas. De notiſſimo parandi modo quidpiam addere ſuperfluum fore cogitamus: ſed haud abs re erit notare quod è duplici doſi, vel unciis circiter duodecim hujuſce infuſi ad uncias tres coctione redactis; quibus immiſcetur ſucci limonum anatica portio, præſtantiſſimum emergat febrifugum, jam multiplici experientiâ comprobatum, de quo ſuprà. Præhabitis adjicere licet plures ſecale, hordeum, fabam, &c. toſta, inſtar granorum caffeti, adhibere; huncque hauſtum palato nonnihil gratum, ad genuinum caffetum accedere. A quibuſdam demùm celebratur ſorbitio è fabis caffeti crudi confecta, quæ ſic ſe habet. Recipe pulveris caffeti crudi drachmam unam; bulliat per ſemi-quadrantem in aquæ unciis octo; vaſe dein ritè clauſo, ſine ut ſubſidentiâ limpidus evadat liquor, calidè cum ſaccharo ſorbillandus: ſapore & eleganti colore citrino gratiſſimus hic liquor, digeſtioni opitulatur, & caput levat: urinæ acredinem lenit, & tuſſientibus conferre dicitur. Domestica.

Chocolatum ad alimenta, non ſecùs ac ad poculenta referendum, è cacao toſto, vanillâ & ſaccharo, ritè tritis & ſubactis confici nemo neſcit: nec latet hujuſce maſſæ unciam unam in aquæ bullientis unciis ſex diſſolvi; & ligno demùm verſatili, vel rudiculâ agitari, donec ſpumeſcat; ut paretur gratiſſimum poculentum, *le chocolat*, calidè ſorbendum; & apud noſtrates familiariſſimum: ad quod lac recens animalium, vel amygdalinum, vice aquæ etiam adhiberi poteſt: imò & alia interdùm voluptatis gratiâ, adduntur aromata, piper nempè & caryophylli aromatici, aniſum, ambra cineritia, moſchus, &c. quorum acceſſu noxias qualitates haud rarò acquirit hæc paſta; quæ aliàs innocua cenſetur, ſi ſolis cacao & ſaccharo, cum tantillo vanillæ conſletur; & hinc fit ut hoc chocolatum emporeticum ſimplicius, *chocolat de ſanté* vulgò audiat; cui ſcilicèt ineſt vis ſtomachico-tonica & pectoralis. Sic recèns paratum prodeſt ſenibus, debilioribus, convaleſcentibus; atque improbo & diuturno labore confectis; cùm probè nutriat, vires refocillet, & digeſtionem juvet: imò & tuſſiculoſis, tabidiſque proficuum jure cenſetur; ni aromatum copiâ adulteretur. Nocet hypochondriacis; non ſecùs ac literatis, huic ſorbitioni minime aſſuetis; qui etiam caveant ne, ab illius diuturniori uſu, obſtructione lædatur hepar; quod pluriès eveniſſe experientiâ didici. Prætereà crebriùs, quàm par eſt, vel majori copiâ ſumptum, etiam prioris notæ, nauſeam & vomitum movere valet. De virtute cæterarum chocolati compoſitionum, quæ pro ſingulorum arbitrio excogitantur, nil planè conſtat. De quodam chocolato extemporaneo mentio ſubjicitur, uti de caſtaneis.

Domeſtica.

De *hordeato*, *amygdalato*, *limonadâ*, &c. de quibus ſatis ſuperque in materiâ medicâ, nil addimus; ne recoctam crambem apponamus. Suprà traditis duntaxàt ſubnectere licet haud innoxias eſſe has gelidiſſimas potiones, ſi immoderatè ſumantur, cùm ſtuporem ſtomacho inducere valeant, quo ſenſim labefactatur hæc præcipuum digeſtionis organum: minùs tamen ſunt pertimeſcendæ ſi, uti mos eſt, ſorbillatim hauriantur; cujus ratio in promptu eſt. Plura poſtremò eduliorum & poculentorum genera, apud quaſdam gentes familiariſſima, & à noſtro uſu planè aliena, conſultò prætermittimus; ne à congeſtis futilibus & ſupervacaneis, prolixius & tædioſum emergat opus.

FINIS.

INDEX RERUM

TOTIUS OPERIS.

A

Abdomen inflammatum, T. I. p. 124, 248.
tumens in infantibus, I. 574.
à retentis menſibus, I. 547.
Abdominis examen ad prognoſim, I. 5.
morbi externi, I. 432.
interni, I. 232.
vulnera & contuſiones, I. 372.
Abdomini dicata remedia, II. 436.
Abies triplex, I. 65.
Ablactatio, I. 552.
Abortus, I. 521.
Abrotanum mas, II. 176.
fœmina, II. 176, 189.
Abſceſſus interni, I. 125, 129.
externi, I. 335.
hepatis, I. 291.
Abſorbentia, II. 191.
Abſinthium duplex, II. 188.
Acacia vera, II. 128.
noſtras, vel germanica, *ibid.*
Acanthus, II. 324.
Acetoſa, II. 24, 496.
Acetoſella, II. 25.
Acetum, II. 27, 548.
antiſepticum vel prophylacticum, II. 412.
ſaturni officinale, II. 398.
golardianum, II. 399.
ſcilliticum, II. 224.
Achores & favi, I. 589.
Acorus verus, II. 116.
Acouſtica remedia, II. 414.
Acus marina, II. 539.
Adeps ad rem medicamentariam, II. 329.
ad rem cibariam, II. 521.
Adiantum duplex, II. 248.
album & nigrum, II. 36.
Adſtringentia interna, II. 120.
externa, II. 360.
Aduſtio, I. 375.
Ærugo, II. 375.
Æſtus morboſus, I. 57.
Æther chymicum, II. 397.
Æthiops antimonialis, II. 107.
Æthiops martialis, II, 95.
mineralis, II, 107.
Aëtites lapis, I, 523.
Agaricus ſive fungus laricis, II, 163.
pedis equini facie, II, 364.
Ageratum, II, 240.
Agnus ad rem cibariam, II, 518.
caſtus, II, 296.
Agrimonia, II, 35.
Alauda avis, II, 528.
Alaudæ congener, II, 527.
Albugines, I, 399, 401.
Albumen ovorum, II, 404.
Alburnus piſcis, II, 537, 540.
Alce, II, 297.
Alchymilla, II, 136.
Alexiteria, II, 77.
Alica veterum, II, 491.
Alkekengi, II, 213.
Alleluia herba, II, 25.
Alliaria, II, 295.
Allium, II, 469, 501, 550.
Alnus, II, 478.
nigra ſive frangula, II, 474.
Aloë, II, 240.
lota, II, 242.
Aloſa piſcis, II, 532.
Althæa, II, 13.
Alumen, II, 364.
Alvi fluxus, I, 255.
cruentus, I, 258.
infantum, I, 570.
puerperarum, I, 525.
ad prognoſim, I, 6.
Alvus adſtricta, I, 265.
infantum, I, 571.
Alvum comprimentia, II, 197.
Amatus Lusitanus laud. I, 438.
Amauroſis, I, 403.
Ambra cineritia, II, 306.
Ambroſia vel botrys, II, 175.
Ambuſtio, I, 375.
Ammi, II, 179.
Ammoniacum gummi, II, 102.
ſal, II, 50.
Amomum racemoſum, II, 178.

Amygdalæ, II, 15, 511.
Amygdalatum, II, 245.
Anacampſeros ſive telephium, II, 469.
Anacatharſis, I, 214.
Anagallis, II, 257.
aquatica vel beccabunga, II, 65.
Analeptica, II, 109.
Ananas, II, 516.
Anas avis, II, 525.
Anaſarca, I, 108.
Anchuſa, II, 343.
Andry laud. I, 282.
Aneliana methodus, I, 397.
Anethum, II, 179, 551.
Aneuriſma internum, I, 121.
externum, I, 354.
à phlebotomiâ, I, 467.
Angelica, II, 426.
Angina, I, 423.
catarrhalis, I, 425.
convulſiva, I, 427.
gangrænodea, I, 425.
phlogodea, I, 423.
ſkirrhoſa, I, 415.
ſpuria, I, 389, 425.
Anguilla, II, 534.
Anguria, II, 14.
Anhelitus, I, 200.
infantum, I, 567.
Animalia ad rem cibariam, II, 517.
Animalium morſus & punctura, I, 362.
Animi pathemata, I, 25.
deliquium, I, 226.
Aniſum, II, 179, 551.
Ani morbi, I, 451.
prolapſus, I, 458.
infantum, I, 577.
Ano dicata remedia, II, 450.
Ankyloſis, I, 471.
Anodyna interna, II, 276.
externa, II, 332.
Anodynum minerale, II, 286.
Anomalus tumor, I, 358.
Anonis vel ononis, II, 221.
Anſer, II, 526.
Anthelmintica, II, 183.
Antherina piſciculus, II, 540.
Anthia piſciculus, II, 540.
Anthrax, I, 344.
Anti-acida, II, 191.
Anti dyſenterica, II, 197.
Anti-emetica, II, 142.
Anti-epileptica, II, 287.
Anti hecticum Poterii, II, 268.
Anti-hyſterica, II, 287.
Anti-paralytica, II, 300.
Antipathia, I, 231, II, 481.
Anti-putrida interna, II, 20.
ſub febrium curatione, I, 4.
externa, II, 386.
Antiſcorbutica, II, 60.
Antiſeptica interna, II, 20.
externa, II, 386.
Antiſpaſmodica, II, 287.
Antimonium, II, 75.
diaphoreticum, II, 76.
Anxietas, I, 66, 245.
Aper, II, 518.
Aperientia, II, 85.
Aphiæ piſciculi, II, 540.
Aphthæ, I, 415.
infantum, I, 580.
Apium dulce, II, 497.
hortenſe vel petroſelinum, II, 434, 552.
paluſtre, II, 434, 497.
Apoplexia, I, 145.
Apozema quid, II, 3.
adſtringens, II, 124.
alexiterium, II, 78.
analepticum, II, 112.
antiputridum, II, 23.
antiſcorbuticum, II, 62.
antiſpaſmodicum, II, 290.
aperiens, II, 88.
catharticum, II, 155.
cephalicum, II, 302.
comprimens, II, 201.
demulcens, II, 12.
depurans, II, 53.
diureticum in acutis, II, 211.
ſub chronicis, II, 217.
emmenagogum, II, 228.
febrifugum, II, 43.
hepaticum, II, 236.
pectorale demulcens, II, 246.
incidens, II, 263.
vulnerarium, II, 256.
refrigerans, II, 23.
reſolvens, II, 134.
ſtomachicum, II, 172.
temperans, II, 32.
vermifugum, II, 186.
vulnerarium, II, 134.
Apoſtaſis, I, 127.
Apoſtema, I, 127.
Appetitus dejectus, I, 237.
depravatus, I, 509, 520.

Apum punctura, I, 365.
Apyrexia, I, 41, 115.
Aqua vulgatiſſima, II, 555.
Aquæ vires inter curandas febres, I, 14.
Aquæ diſtillatæ officinales, II, 18.
Aquæ *minerales frigidæ*, II, 28.
bononienſes, II, 233.
cranenſes, II, 180.
forgienſes, II, 233.
meinenſes, II, 29.
merienſes, II, 164.
monſerinenſes, II, 29.
paſſiacæ, II, 180.
provinenſes, II, 233.
reginenſes, II, 29.
ſedlicenſes, II, 164.
ſelteranæ, II, 57.
ſpadanæ, II, 57.
vallenſes, II, 29.
veſullenſes, II, 29.
yſallenſes, II, 57.
Aquæ *thermales*, II, 103.
amandinæ, II, 58.
bagnerienſes, II, 347.
balneolenſes, II, 475.
baregienſes, II, 104.
bellilucanæ, II, 181.
bonenſes, II, 268.
borbonienſes arcimbaldicæ, II, 241.
anſelmienſes, II, 49.
cauterienſes, II, 181.
dinienſes, II, 104.
elnonenſes, II, 58.
granenſes, II, 104.
luxovienſes, II, 306.
montis aurei, II, 267.
motenſes, II, 165.
plumberianæ, II, 181.
ſextienſes, II, 233.
tabellicæ, II, 371.
vicienſes, II, 94.
vervonenſes, II, 58.
Aquæ *officinales*.
calcis, II, 468.
cinnamomi, II, 274.
corticum aurantiorum, II, 66.
divina vel mirabilis, II, 275.
divina Fernelii, II, 359.
florum aurantiorum, II, 66.
golardiana, II, 399.
imperialis, II, 275.
liliorum, II, 252.
meliſſæ compoſita, II, 297.
Aquæ *officinales*.
mercurialis vel benedicta eſcarotica, II, 384.
ophthalmica, II, 406.
phagedænica, II, 384.
picea, II, 173, 181.
Rabelii, II, 129.
reginæ hungariæ, II, 412.
roſarum, II, 160.
ſperniolæ, II, 330.
ſtyptica, II, 412.
theriacalis, II, 274.
vitæ, II, 373, 564.
camphorata, II, 273.
vulneraria, II, 348.
Aquæ *magiſtrales*.
acidula, II, 20.
adſtringens ad nares, II, 410.
aluminoſa, II, 362, 365.
anodyna pro potu, II, 279.
anginoſa, II, 422.
antiſpaſmodica, II, 289.
camphorata, II, 289.
cathæretica, II, 380.
chalybeata, II, 87.
comprimens, II, 199.
detergens ad os, II, 422.
diuretica, II, 210.
emetica, II, 143.
hepatica, II, 236.
hordei, II, 11.
hypnotica pro potu, II, 279.
mineralis cathartica, II, 151.
aperiens, II, 87.
pro balneo, II, 475.
nitrata, II, 20.
oryzæ, &c. II. 11.
picea, II, 181.
pulli, II, 11.
rhabarbari, II, 87, 151.
vitæ cathartica, II, 153.
vermifuga, II, 185.
vituli, II, 11.
Aquatilia anomala, II, 541.
Aquila alba, II, 105.
Aquilegia, II, 425.
Araneæ punctura, I, 365.
Arbutus, II, 512.
Arcanum duplicatum, II, 39.
corallinum, II, 108.
Rotrou, II, 108.
Ardea avis, II, 525.
Argentina, II, 47.

Aridura artuum, I, 459.
Ariſtolochia duplex, II, 231.
Armeniaca, II, 506.
Artemiſia, II, 295.
Arteriæ vulnus, I, 372.
Arteriotomia, I, 383, 168.
Arthanita, II, 343.
Arthritis, I, 93.
anomala, I, 97.
nodoſa, I, 94.
vaga, I, 99.
Artuum morbi, I, 429, 458.
vulnera, I, 372.
Artubus dicata, II, 464.
Arum, II, 102.
Arundo, II, 212.
Aſarum, II, 144.
Aſcarides, I, 282.
Aſcites vulgaris, I, 318.
purulenta, I, 291.
Aſclepias ſive vincetoxicum, II, 80.
Aſellus piſcis, II, 536.
Aſelli vel millepedes, II, 93.
Aſinus ad rem eſcariam, II, 520.
Aſparagus duplex, II, 221, 498.
Aſplenium vel ceterac, II, 240.
Aſſa fœtida, II, 449.
Aſtacus marinus, II, 541.
fluviatilis, II, 541.
Aſthma, I, 200.
Astruc laud. I, 88.
Atramentum ſcriptorium, II, 128.
Atheroma, I, 358.
Atreſia, I, 518.
Atrophia, I, 329.
artuum, I, 459.
infantum, I, 558.
Atriplex, II, 497.
Attagena, II, 524.
Avena duplex, II, 249.
Aves ad rem cibariam, II, 522.
Aurantium duplex, II, 66, 490, 509.
Aurata, II, 536.
Aurelianus (Cælius) laud. I, 163.
Aurigo, I, 293.
Aurium morbi, I, 409.
tinnitus ad prognoſim, I, 4.
Auribus dicata, II, 414.
Axungiæ, II, 329.

B.

Baccius laud. II, 561.
Baglivius laud. I, 15, 46, 148, 154, 212, 335, 553.
Balauſtia, II, 204.
Ballonius laud. I, 18.
Balneolum, vulgò balneum mariæ, II, 4.
Balneum multiplex, II, 310, 312.
emolliens, II, 473.
frigidum, II, 311.
vaporarium vel ſudatorium, II, 311.
ad paralyſim, II, 473.
aquarum thermalium, II, 311.
è thermis artificialibus, II, 473.
Balſama dupliçis ſortis, II, 130.
Balſama *naturalia.*
canadenſe, II, 223.
copaiba vel braſilienſe, II, 139.
judaïcum vel opobalſamum, II, 138.
peruvianum, II, 138.
tolutanum, II, 139.
Balſama *officinalia.*
apoplecticum, II, 413.
Arcæi, II, 353.
Commendatoris, II, 182.
Fioraventi, II, 358.
hypnoticum, II, 414.
Lucatelli, II, 258.
nervinum, II, 372.
ſulphuris aniſatum, II, 258.
antimoniatum, I, 97.
terebinthinatum, II, 258.
tranquillans, II, 334.
viride, II, 384.
Balſamum aluminatum magiſtrale, II, 356.
ſamaritanum magiſtrale, II, 356.
vulnerarium magiſtrale, II, 356.
Barbeiracus, laud. I, 511.
Barbus piſcis, II, 536.
Bardana, II, 55.
Bartholinus laud. I, 157, 206.
Battata canadenſis, II, 503.
virginiana, II, 504.
officinarum, II, 504.
Bdellium, II, 449.
Beccabunga, II, 65.
Bedegar, II, 26.
Been album, II, 304.
Belladona, II, 344.
Benedicta laxativa, II, 462.
Benzoinum, II, 267.
Berberis, II, 25, 515.

Betula, II, 65.
Beta, II, 324, 496.
Betonica, II, 304.
Bezoard duplicis ſortis, II, 83.
Bianchi laud. I, 282.
Bilis morboſa, I, 233, 254.
Biſtarda avis, II, 525.
Bitumen judaïcum, II, 347.
Blanc (le) laud. I, 435.
Blaw laud. I, 52.
Blitum, II, 497.
Boerhaavius laud. I, 2, 31, 88, 158, 167, 173, 178, 192, 198, 205, 212, 233, 236, 269, 283, 324, 466, 499, 582, II, 18, 27, 37, 163, 225, 248, 251, 333, 335, 385.
Boletus, II, 554.
Bolus armena, II, 206.
Bolus magiſtralis quid, II, 6.
abſorbens, II, 194.
adſtringens, II, 124.
alexiterius, II, 80.
analepticus, II, 114.
anodynus, II, 281.
antiſpaſmodicus, II, 291.
aperiens, II, 90.
cardiacus, II, 271,
catharticus, II, 156.
cephalicus, II, 303.
comprimens, II, 201.
depurans, II, 54.
diaphoreticus, II, 71.
diureticus in chronicis, II, 220.
emeticus, II, 144.
emmenagogus, II, 230.
febrifugus, II, 44.
hepaticus, II, 238.
hydragogus, II, 156.
hypnoticus, II, 281.
incidens, II, 100.
pectoralis demulcens, II, 247.
incidens, II, 264.
vulnerarius, II, 257.
purgans, II, 156.
reſolvens, II, 135.
ſtomachicus, II, 174.
ſudorificus, II, 71.
vermifugus, II, 187.
vulnerarius, II, 135.
Bombus aurium, I, 412.
Bonus henricus, II, 497.
Boops piſcis, II, 540.
Borax vel chryſocolla, II, 105.
Borborygmi, I, 278.
Bordeu laud. I, 10.
Borrago, II, 35.
Bos ad rem cibariam, II, 517.
Botrys duplex, II, 175.
Boyer med. pariſ. I, 40.
Brachii aneuriſma, I, 467.
Branca urſina vel acanthus, II, 324.
Branchus, I, 183.
Braſſica, II, 248, 496.
marina, II, 160.
Breynius, II. paſſim.
Bronchocele, I, 390.
Brunella, II, 137.
Bruſcus ſive ruſcus, II, 92.
Bryonia alba, II, 93.
nigra ſive tamnus, II, 343.
Bubo, I, 342.
Bubo peſtilentialis, I, 35.
venereus, I, 81.
Bubonocele, I, 433.
Bubulus, II, 517.
Bufo exſiccatus, II, 224.
Bufonis morſus, I, 364.
Bugloſſum, II, 72.
Bugula, II, 137.
Bulimia vel fames canina, I, 244.
Burſa paſtoris, II, 127.
Butua vel pareira brava, II, 212.
Butyrum, II, 329, 549.
antimonii, II, 384.
cacao, II, 178.
Buxus, II, 74.

C.

Cacao, II, 178.
Cachexia, I, 73.
Cacoethes, *vide* ulcus.
Cadmia, vel lapis calaminaris, II, 375.
vel tuthia, II, 406.
Cælius Aurelianus laud. I, 163.
Cæſareus partus, I, 524.
Capo, II, 522.
Caffetum, II, 566.
Calamintha vulgaris, II, 305.
humilior, vel hedera terreſtris, II, 257.
Calamus aromaticus, II, 116.
verus, ſive amarus, II, 175.
Calandra, II, 528.
Calcitrapa, II, 221.
Calculus renum & veſicæ, I, 299.
infantum, I, 576.
Calendula, II, 232.

Calor morboſus, I, 57.
Callac ptiſana, II, 59.
Caltha, II, 232.
Calx, II, 468.
Camelus in re cibariâ, II, 519.
Camphora, II, 182.
Camphorata, II, 266.
Cancer marinus, II, 542.
fluviatilis, II, 541.
Cancer morbus, I, 350.
mammarum, I, 534.
oris, I, 415.
uteri, I, 542.
Cancri fluviatiles, II, 57.
Cancrorum fluviatilium lapilli, II, 195.
Canis ad rem eſcariam, II, 520.
Canes rabidi, I, 357.
à rabido demorſi, *ibidem.*
Canities à mortis formidine, I, 5.
Cannabinum oleum, II, 325.
Cantharides, II, 383.
Cantharus piſcis, II, 538.
Capilli veneris, II, 36.
Capitis dolor, I, 381.
contuſio, I, 386.
examen ad prognoſim, I, 4.
morbi externi, I, 381.
interni, I, 142.
vulnera, I, 372.
Capiti dicata remedia externa, II, 392.
Capo ad rem eſcariam, II, 522.
Capparis, II, 92, 553.
Capra, II, 519.
Capreus & caprea, II, 519.
Carbo foſſilis vel lithanthrax, II, 347.
Carbunculus, I, 344.
Cardamomum triplex, II, 118.
Cardiaca remedia, II, 269.
Cardialgia, I, 245.
Carduus benedictus, II, 73.
ſtellatus vel calcitrapa, II, 221.
Carenum, vinum coctum, II, 563.
Caricæ, II, 352.
Caries oſſium, I, 473.
Carlina, II, 56.
Carminantia, II, 168.
Carotta, II, 502.
Carthamus, II, 160.
Cartheuser laud. II, 72, 80, 364.
Carvi, II, 180, 551.
Carus, ſoporis ſpecies, I, 152.
Caryophyllata, II, 115.
Caryophylli aromatici, II, 177, 545.
Caryophyllus hortenſis, II, 73, 272.
Caſcarilla, II, 48.
Caſeus, II, 556.
Caſſia, II, 161.
cocta, II, 162.
lignea, II, 119.
Caſtanea, II, 510.
Caſtoreum, II, 297.
Catalepſia, I, 172.
Catamenia, I, 511.
Catameniorum vitia, I, 511.
Cataplaſma, quid, II, 313.
anginoſum, II, 429.
anodynum, II, 332.
ophthalmicum, II, 404.
antiputridum, II, 388.
ad ſcrotum, II, 445.
apoplecticum, II, 393.
catharticum, II, 440.
ad diſtorſionem, II, 466.
diureticum, II, 439.
emolliens, II, 323.
iſchiadicum, II, 466.
lactifugum, II, 433.
maturans, II, 350.
pleuriticum, II, 430.
pſoricum, II, 471.
repellens, II, 362.
ad ſcrotum, II, 445.
reſolvens, II, 341.
ad mammas, II, 433.
ad oculos, II, 404.
ad ſcrotum, II, 445.
ſedans, II, 393.
vermifugum, II, 429.
veſicans, II, 380.
Cataputia, II, 161.
Cataracta, I, 401.
Cataria vel nepeta, II, 231.
Catarrhus, I, 70, 184.
infantum, I, 565.
ſuffocans, I, 189, 567.
veſicæ, I, 317.
Catechu, vel terra japonica, II, 205.
Catesbi laud. II, 118.
Catharſis, quid conferat, I, 13.
Cathartica, II, 148.
in febribus continuis, I, 13.
Cathæretica, II, 378.
Catheteriſmus, I, 300.
Catholicum, II, 167.
Cauſus, febris ſpecies, I, 21.

Cauſtica, II, 378.
Cauterium, II, 319, 320.
actuale, I, 363, II, 319, 378.
Celsus laud. I, 121, 255, II, 479.
Centaurium minus, II, 47.
Centinodia, II, 126.
Cepa, II, 416, 500.
Cepa aſcalonica, II, 551.
fiſſilis, II, 551.
Cephalalgia, I, 381.
Cephalica remedia, II, 300.
Cephalus, piſcis, II, 538.
Ceraſus, II, 505.
Ceratum adſtringens magiſtrale, II, 363.
album Galeni, II, 331.
demulcens magiſtrale, II, 328.
de lapide calaminari, II, 377.
ſaturni, II, 357.
Cerealia frumentacea, II, 482, 489.
leguminoſa, II, 482, 493.
Cerebri commotio, I, 386.
Cerebrum animalium ad rem cibariam, II, 521.
Cerefolium, II, 176, 552.
Cereoli, II, 446.
Cereolorum uſus ad iſchuriam, I, 444.
Cereviſia, II, 28, 564.
Cervicalia remedia, II, 428.
Ceruſſa, II, 375.
Cervus, II, 519.
vide os & cornu.
Ceterac, II, 240.
Cevadilla, II, 476.
Chærophyllum, II, 176, 552.
Chalcitis vel vitriolum, II, 406.
Chamædrys, II, 47.
maritima vel marum, II, 176.
Chamæmelum, II, 462.
Chamæpitys, II, 469.
Chelidonium, II, 474.
Chenopodium ambroſioides, II, 175.
China radix, II, 72.
Chirac laud. I, 238.
Chloroſis, I, 510.
Chocolatum, II, 567.
Cholagoga purgantia, II, 148.
Cholera morbus, I, 253.
Chorea ſancti Viti, I, 173.
Chryſocolla ſive borax, II, 105.
Cibus & potus, II, 479.
Cibus albus, II, 113.
Cibi faſtidium, I, 237.
Ciborum digeſtio, II, 480.
Ciborum menſura, II, 485.
Cicer, II, 213, 493.
Cichorium, II, 34, 495.
Cicuta, II, 344.
venenum, I, 138.
remedium, I, 354.
Cimolia cultrariorum, I, 447, II, 448.
Cinara, II, 499.
Cinis clavellatus, II, 386.
geniſtæ, II, 222.
ſarmentorum, II, 469.
Cinnabaris nativa & factitia, II, 107.
antimonii, II, 108.
Cinnamomum, II, 118, 544.
Cirones, I, 479.
Citesius laud. I, 275.
Citreum malum, II, 27, 509.
Citrullus, II, 500.
Claudicatio, I, 586.
Clavus hyſtericus, I, 381, 504.
Clavi pedum, I, 465.
Clyſter, quid, II, 317.
adſtringens, II, 455.
anodynus, II, 455.
anti-putridus, II, 456.
carminans, II, 454.
ad colicam ſaturninam, II, 458.
demulcens, II, 453.
detergens, II, 455.
emolliens, II, 453.
febrifugus, II, 458.
ad hyſterim, II, 458.
laxans, II, 454.
nephriticus, II, 457.
nutriens, II, 458.
refrigerans, II, 453.
ſtimulans, II, 456.
ad teneſmum, II, 456.
vermifugus, II, 457.
Coalitus palpebrarum, I, 393.
Cocchi laud. I, 15.
Coccinilla, II, 224.
Coctio in morbis, I, 10, II, 194.
Cœcitas, I, 403.
Cochlea terreſtris, II, 397.
Cochlearia, II, 64.
Colcothar, II, 366.
Colica bilioſa, I, 267.
flatulenta, I, 268.
hepatica, I, 287.
inteſtinalis, I, 267.
nephritica, I, 296.
pictonum, I, 275.
pictorum vel ſaturnina, I, 269.
ſpaſmodica, I, 269.

Colica ſtomachi, I, 245.
Collutio ad odontalgiam, II, 422.
Colluvies ſeroſa, I, 108.
in abdomine, I, 318.
Collyrium, II, 314.
magiſtralia.
demulcens, II, 401.
detergens, II, 402.
diſcutiens, II, 401.
exſiccans, II, 402.
repercutiens, II, 401.
reſolvens, II, 401.
Collyrium Charas, II, 407.
Lanfranci, II, 358.
Colocynthis, II, 162.
Coloſtrum, I, 555, II, 556.
Coloſtratio, I, 555.
Columba, II, 524.
Coma vigil & ſomnolentum, I, 152.
Commotio cerebri, I, 386.
Compernes. *Vide* diſtorſio oſſium.
Comprimentia alvum, II, 197.
Conchæ oſtreorum, II, 195.
Conchæ præparatæ, II, 196.
Condimenta, II, 485.
exotica, II, 544.
indigena, II, 547.
Condyloma, I, 360.
ani, I, 456.
genitalium, I, 439.
Confectio alkermes, II, 274.
de hyacintho, II, 274.
Hamec, II, 267.
Conſenſus partium, I, 161.
Conſolida major vel ſymphytum, II, 126.
Conſuetudo, altera natura, I, 95.
Contractura artuum, I, 459.
Contrayerva, II, 81.
Contuſio, I, 371.
capitis, I, 386.
Convolvulus maritimus, vel ſoldanella, II, 160.
Convulſio, I, 172.
infantum, I, 578.
ad prognoſim, I, 4.
Corallina, II, 190.
Corallum, II, 195.
Cordis aneuriſma, I, 121.
exfoliatio, I, 132.
inflammatio, I, 192.
palpitatio, I, 221.
hyſterica, I, 504.
tremor, I, 221.
Coriandrum, II, 179, 551.
Corneæ læſiones, I, 407.
Cornua, I, 360.
Cornu cervi, II, 82.
præparatum, II, 196.
Cornus arbor, II, 204, 205.
Corona imperialis, II, 324.
Coronopus, II, 303, 498.
Corpora extranea, I, 134.
Corporis habitus ad prognoſim, I, 8.
Corpulentia, I, 327.
Cortex granatorum, II, 204.
Peruvianus, II, 48.
Winteranus, II, 305.
Coryza, I, 404.
Coſmetica, II, 392.
Coſtus arabicus, II, 116.
Coturnix avis, II, 527.
Coxendicis morbus, I, 586.
Cranium humanum ad rem medicam, II, 297.
Cranii fractura, I, 386.
Cremor lactis, II, 556.
panis, II, 113.
in materiâ medicâ, II, 4.
analepticus, II, 113.
oryzæ & hordei, II, 13.
tartari, II, 38.
Crepitus, I, 278.
uteri, I, 547.
Creta, II, 196.
Crinones, I, 593.
Criſis, I, 9, 19.
Criſtæ ani, I, 456.
genitalium, I, 439.
Crocus ſativus, II, 232, 553.
martis aperiens, II, 94.
adſtringens, II, 129.
antimoniatus, II, 129.
metallorum, II, 148.
Cruditates acidæ & nidoroſæ, I, 233.
Crura œdematoſa, I, 460.
Crurum ſtupor, I, 466.
Cruſta lactea, I, 589.
viſcerum purulenta, I, 194.
ſanguinis refrigerati, I, 227.
Cryſocolla vel borax, II, 105.
Cryſtallus mineralis, II, 286.
Cubebæ, II, 178.
Cuculus avis, II, 528.
piſcis, II, 540.
Cucumis ſativus, II, 499.
ſylveſtris, II, 166, 431.
Cucurbita, II, 500.
Cucurbitulæ ad rem chirurgicam, II, 319.

Cucurbitini: vermes, I, 182.
Culicum tinnulorum punctura, I, 366.
Cultrivori, I, 136.
Cuminum, II, 180.
Cuniculus, II, 519.
Cupreſſus, II, 363.
Curcuma, II, 239.
Cuſcuta minor vel epithymum, II, 56.
Cutis morbi, I, 476, 589.
maculæ & efflorescentiæ, I, 479.
infantum, I, 589.
ariditas ad prognoſim, I, 5.
Cuti dicata remedia, II, 470.
Cyclamen, II, 343.
Cydonia, II, 204, 507.
Cygnus, II, 526.
Cynogloſſum, II, 358.
Cynorrhodos, II, 25.
Cyperus, II, 116.
Cyprinus piſcis, II, 534.
Cyſtis felleæ tumor à bile, I, 287.
Cyſtotomia, I, 302.

D.

Dæmoniaci nothi, I, 173.
Dactyli, II, 250.
Dama, II, 519.
Daucus creticus, II, 180.
Decoctum, quid, I, 4.
abſorbens, II, 193.
album, II, 122.
anti-acidum, II, 193.
comprimens, II, 199.
detergens, II, 356.
diaphoreticum, II, 70.
emeticum, II, 143.
laxans, II, 151.
pectorale demulcens, II, 245.
ſimaroubæ, II, 199.
ſudorificum, II, 70.
vulnerarium externum, II, 356.
Defectus virium, I, 59.
Defluxiones, I, 70.
Degnerus laud. II, 117.
Deglutitio læſa, I, 420.
Dekkers laud. I, 253.
Deleterium in morbis, II, 77.
Delirium febrile, I, 169.
maniacum, I, 167.
melancholicum, I, 164.
ad prognoſim, I, 4.
Delphinus, II, 530.
Demulcentia interna, II, 9.
Demulcentia externa, II, 327.
Dens leonis herba, II, 34.
qui piloſella, II, 357.
Dentellaria, II, 382.
Dentitio infantum, I, 581.
Dentium morbi, I, 417.
ſtridor ad prognoſim, I, 4.
Depilatorium, II, 472.
Depurantia, II, 51.
Detergentia interna, II, 130.
externa, II, 354.
Diabetes, I, 314.
Diacodium vel ſyrupus de papavere albo, II, 284.
Diacrydium, II, 164.
Diæta quantum conferat, I, 11.
lactea, II, 16.
aquea, II, 14.
Diamorum vel ſyr. de moris, II, 425.
Diapalma, emplaſtrum, II, 377.
Diaphœnicum, II, 461.
Diaphoretica, II, 68.
in febrium curatione, I, 14.
Diaphoreticum minerale, II, 76.
Diaprunum duplex, II, 167.
Diarrhœa, I, 255.
colliquativa, I, 256.
cruenta, I, 258.
prægnantium, I, 509.
infantum, I, 570.
ad prognoſim, I, 5.
Diaſcordium, II, 207.
Dictamnus albus vel fraxinella, II, 294.
creticus, II, 117.
Diemerbroekius laud. I, 36, 37, 38.
Dies critici, I, 9.
Digeſtio alimentorum naturalis, I, 232.
læſa, I, 232.
Digeſtiva remedia, II, 349.
Diluentia, II, 9.
inter curandas febres, I, 13.
Diploma, quid, II, 4.
Diſcutientia, II, 336.
Diſtorſio oſſium, I, 470.
pedis, I, 468.
Diuretica in acutis, II, 208.
in chronicis, II, 215.
externa, II, 439.
Dolor, I, 66.
aurium, vel otalgia, I, 409.
capitis, I, 381.
colicus, I, 267.
dentium, I, 417.
hepatis, vel colica hepatica, I, 287.

Dolor inflammatorius, I, 123.
 iſchiadicus, I, 99, 465.
 lumborum, I, 99, 430.
 nephriticus, I, 296.
 pectoris, vel pleuritis, I, 191.
 rheumaticus, I, 99.
 ſtomachi, I, 245.
 ad prognoſim, I, 8.
Dolorum differentiæ, I, 66.
Doſes remediorum, II, 2.
Doſium conſpectus, II, 7.
Draco, piſcis, II, 538.
Dracunculi, vermes, I, 593.
Dracunculus herba, II, 176, 550.
Draſtica purgantia, II, 148.
Dubois laud. I, 274.
Duplex tertiana, I, 50.
 quartana, I, 52.
Duretus laud. I, 193.
Dyſenteria, I, 258.
 epidemica, I, 26.
 incruenta, I, 260.
Dyſpnœa, I, 200.
Dyſuria, I, 309.
 venerea, I, 442.
 ab urethræ coarctatione, I, 444.

E.

Ebrietas, I, 153.
Ebulus, II, 345.
Ebur, II, 75.
Echinus marinus, II, 542.
 terreſtris ad rem cibariam, II, 520.
Echymoſis, I, 480.
 oculorum, vel ſuggillatio, I, 401.
 à venæ ſectione, I, 467.
Efflorèſcentia cutis, I, 479.
Elæoſaccharum, II, 251.
Elaterium, II, 166.
Electuarium de baccis lauri, II, 298.
 lenitivum, II, 167.
Elemi gummi, II, 353.
Elephantiaſis, I, 489.
Elixirium anglicanum, II, 307.
 aureum, II, 307.
 Garuſi, II, 182.
 proprietatis, II, 299.
 Stougton, II, 183.
Emaciatio vel tabes, I, 329.
Embrocatio, II, 312.
 reſolvens, II, 338.
 ſcorbutica, II, 472.
Emetica, I, 13, II, 140.
Emeticorum efficacia, ineunte morbo, I, 13.
Emitritis, vel febris ſemi-tertiana, I, 50.
Emollientia, II, 321.
Emmenagoga, vel menſes moventia, II, 226.
Emphyzema, I, 348.
Emplaſtra *officinalia.*
 abbatis de Graſſe, II, 331.
 antipodagricum, II, 469.
 de betonicâ, II, 396.
 ceroneum, II, 348.
 de ceruſsâ, II, 377.
 de cicutâ, II, 347.
 de meliloto, II, 326.
 de minio, II, 435.
 de mucaginibus, II, 326.
 de ranis, vel de Vigo, II, 448.
 de ſpermate ceti, II, 435.
 diabotanum, II, 347.
 diachylon duplex, II, 353.
 diapalma, II, 377.
 divinum, II, 359.
 epiſpaſticum, II, 384.
 manus Dei, II, 348.
 norimbergenſe, II, 377.
 odontalgicum, II, 398.
 regium ad herniam, II, 443.
 reſolvens ad mammas, II, 433.
 ſaponaceum, II, 468.
 ſtomachicum, II, 441.
 ſtypticum, II, 372.
Emplaſtra *magiſtralia.*
 digeſtivum, II, 351.
 demulcens, II, 328.
 emolliens, II, 323.
 exſiccans, II, 375.
 hyſtericum, II, 440.
 maturans, II, 351.
 odontalgicum, II, 394.
 reſolvens, II, 341.
 ad mammas, II, 433.
 ſtomachicum, II, 439.
 ad tineam, II, 394.
 vermifugum, II, 439.
 veſicatorium, II, 381.
Emproſtotonos, I, 172.
Empyema, I, 212.
Emulſio, quid, II, 5.
 abſorbens, II, 193.
 adſtringens, II, 123.
 alexiteria, II, 78.
 analeptica, II, 111.
 anodyna, II, 286.
 carminans, II, 172.

Emulſio cathartica, II, 152.
demulcens, II, 12.
diaphoretica, II, 70.
diuretica in acutis, II, 211.
febrifuga, II, 42.
hypnotica, II, 280.
pectoralis demulcens, II, 245.
refrigerans, II, 22.
ſtomachica, II, 172.
ſudorifica, II, 76.
Endivia vel cichorium, II, 34, 495.
Enema vel clyſter, II, 317.
Enæorema, *vid.* uroſcopia.
Enterocele, I, 433.
Enula campana, vel helenium, II, 115.
Ephelides, I, 479.
Eperlanus piſcis, II, 540.
Epilepſia, I, 177.
infantum, I, 179, 578.
Epinyctis, I, 346.
Epiphora, I, 396.
Epiplocele, I, 433.
Epithema, quid, II, 313.
repellens, II, 362.
ſedans pro capite, II, 394.
ſtomachicum, II, 437.
veſicans, II, 380.
Epithymum vel cuſcuta minor, II, 56.
Equiſetum, II, 126.
Equus ad rem eſcariam, II, 520.
Eruca duplex, I, 65, 498.
Errhina medicamenta, II, 408.
Eruptiones cutaneæ, I, 8, 481.
Eruptionum retroceſſus, I, 64.
Ervum, II, 494.
Eryngium, II, 92.
Eryſimum, II, 266.
Eryſipelas, I, 491.
puſtuloſum, I, 491.
Erythrinus piſcis, II, 536.
Eſchara à carbunculo, I, 344.
Eſcharotica remedia, II, 378.
Eſſentia anti-hyſterica, II, 299.
corticum citrei, II, 183.
Rabel, II, 129.
Eſſera Arabum, I, 481.
in infantibus, I, 591.
Eſula, II, 158.
Etmullerus laud. I, 14.
Evacuationum ſuppreſſio, I, 64.
Eugalenus laud. I, 76.
Eupatorium cannabinum, II, 239.
Dioſcoridis vel agrimonia, II, 35.
Eupatorium Meſues vel ageratum, II, 240.
Euphorbium, II, 383.
Euphraſia, I, 403, II, 407.
Exacerbatio febris ad prognoſim, I, 5.
Excoriatio, I, 375.
Exfoliatio oſſium, I, 473.
cordis, I, 132.
Exomphalos diverſæ ſortis, I, 437.
Exanthema, I, 480.
Exoſtoſis, I, 471.
Exſiccantia, II, 373.
Extirpatio aneuriſmatis, I, 356.
cancri, I, 353.
tumoris tunicati, I, 359.
vaginæ, I, 544.
Extractum juniperi, II, 177.
martis, II, 95.
opii vel laudanum, II, 284.
ſtorckianum, II, 344.
Exulceratio renum & veſicæ, I, 307.
pulmonum vel phthiſis, I, 209.

F.

Faba, II, 352, 494.
Faba craſſa vel telephium, II, 469.
Faber piſcis, II, 538.
Facies hippocratica, I, 330.
Faciei ambuſtio, I, 377.
puſtulæ & tubercula, I, 391.
examen ad prognoſim, I, 4.
Faciei dicata remedia, II, 392.
Fæculæ ari, II, 102.
bryoniæ, II, 93.
ireos noſtratis, II, 411.
Fagopyrum, II, 492.
Fagus, II, 513.
Falſa ingravidatio, I, 545.
Fames canina, I, 244.
Favi infantum, I, 589.
Febris alba virginum, I, 510.
ardens, I, 21.
caſtrenſis, I, 24.
catarrhalis, I, 70.
continens, I, 15, 54.
continua eſſentialis, I, 2.
ſimplex, I, 15.
putrida, I, 17.
depuratoria, I, 17.
duplex tertiana, I, 50.
quartana, I, 52.
dyſenterica, I, 258.
ephemera vulgaris, I, 15.
peſtilentialis, I, 39.

Febris hectica, I, 119.
hyſterica, I, 505.
infantum, I, 556.
inflammatoria, I, 123.
intermittens, I, 41.
revocanda, I, 47.
lactea, I, 529.
lenta, I, 129.
lipyria, I, 21.
maligna, I, 24.
miliaris, I, 27.
miliaris puerperarum, I, 531.
morbilloſa, I, 481.
peſtilentialis, I, 33.
petechialis, I, 27.
purpurata, I, 27.
quartana, I, 52.
quotidiana, I, 48.
remittens, I, 54.
rheumatica, I, 99.
ſcarlatina, I, 433.
ſemi-tertiana, I, 50.
ſcorbutica, I, 77.
ſubintrans, I, 54.
ſynecha, I, 17, 54.
ſynocha non putrida, I, 15.
tertiana, I, 50.
venerea, I, 82.
verminoſa infantum, I, 572.
ungarica, I, 24.
Febres anomalæ ad ſuum typum reducendæ, I, 51.
atypicæ, I, 3.
complicatæ, I, 3.
continuæ & intermittentes cognatæ, I, 2.
corruptæ, I, 3.
ſymptomaticæ, I, 2.
Febrifuga remedia, II, 40.
Febrium novus conſpectus, I, 1.
Febrium prognoſis, I, 4.
Felis ad rem eſcariam, II, 520.
Feniculum duplex, II, 407, 552.
Fenum græcum, II, 345.
FERNEL laud. II, 294.
Ferrum, II, 94.
Feſtucæ & ſordes oculorum, I, 401.
Ficedula, II, 527.
Ficus arbor, II, 505.
ani, tumor, I, 456.
Fides ægrorum; quid conferat, I, 317.
Filicula duplex, II, 36.
Filipendula, II, 222.
Filix duplex, II, 188.
Fiſſuræ cutis, I, 592.
genitalium, I, 440.
labiorum, I, 413.
mammarum, I, 531.
Fiſtula alexandrina, II, 61.
Fiſtula morbus, I, 338.
ani, I, 457.
lacrymalis, I, 397.
Flatulentia, I, 278.
Flatuum geneſis, II, 168.
Flos lactis vel cremor, II, 556.
Flores benzoini, II, 268.
martiales ſalis ammoniaci, II, 97.
ſulphuris, II, 258.
FLOYERUS laud. I, 200.
Fluor albus, I, 536.
Fluxus cœliacus, I, 255.
hæmorrhoïdalis nimius, I, 453.
ſuppreſſus, I, 454.
hepaticus, I, 259.
lientericus, I, 255.
menſium immodicus, I, 515.
inordinatus, I, 515.
ſuppreſſus, I, 511.
gaſtro-meſentericus, I, 259.
Fluxuum retroceſſus, I, 64.
Fœtor oris, I, 418.
pedum, I, 469, 477.
axillarum, I, 477.
Fœtus mortuus, I, 522.
Folia orientalia, II, 159.
Fonticulus vel fontanella, II, 319, 378.
FORESTUS laud. I, 16.
Fotus, quid, II, 313.
anodynus, II, 332.
ad arthritidem, II, 466.
adſtringens ad podicem, II, 459.
anti-putridus, II, 388.
arthriticus, II, 466.
demulcens ad podicem, II, 459.
diſcutiens abdominalis, II, 440.
emolliens, II, 322.
abdominalis, II, 440.
ad diſtorſionem, II, 466.
ad hydrocelem, II, 445.
maturans, II, 350.
ad œdema ſcroti, II, 445.
crurum, II, 465.
ad paronychiam, II, 465.
ad pruriginem, II, 471.
refrigerans abdominalis, II, 440.
reſolvens, II, 338.
ad ſcrotum, II, 445.
repellens, II, 362.

roborans,

Fotus roborans, II, 369.
ſtomachicus, II, 437.
ad tumorem album, II, 466.
ad tympanitidem, II, 440.
Fractura oſſium, I, 470.
cranii, I, 386.
Fragaria, II, 24, 514.
Frangula, II, 474.
Fraxinella, II, 294.
Fraxinus, II, 416.
Frigus ad prognoſim, I, 8.
extremum, I, 379.
Frobenius laud. II, 397.
Frontale, II, 393.
Fructus edules, II, 482.
Fulica avis, II, 526.
Fuligo, II, 296.
Fuller laud. II, 80.
Fulminis ictus, I, 376.
Fumaria herba, II, 56.
Fumus carbonum noxius, II, 205, 253.
tabaci per podicem, I, 206.
tubularis, II, 423.
Fungi eſculenti, II, 553.
venenoſi, I, 141, II, 553.
Furfur, II, 461.
Furfuratio infantum, I, 589.
Furor uterinus, I, 539.
Furunculus, I, 346.

G.

Galanga, II, 81.
Galbanum, II, 449.
Galenus laud. I, 15, 16, 192.
Galeus canis; piſcis, II, 532.
Galla, II, 128.
Gallinula aquatica, II, 525.
Gallium luteum, II, 295.
Gallus & gallina noſtras, II, 522.
guineenſis, II, 523.
indica, II, 523.
Ganglion, I, 359.
Gangræna interna, I, 132.
externa, I, 378.
ab humorum labe, I, 378.
Gargariſma, II, 314.
adſtringens, II, 420.
antiſcorbuticum, II, 421.
demulcens, II, 420.
detergens, II, 421.
emolliens, II, 420.
refrigerans, II, 420.
repellens, II, 420.
reſolvens, II, 420.
Garidellus laud. I, 443, II, 140.
Garrulus avis, II, 527.
Gelatina è carne, II, 4.
è ſucco plantarum, II, 4.
Gelatina analeptica, II, 112.
comprimens, II, 201.
demulcens, II, 13.
refrigerans, II, 24.
ribeſiorum, II, 24.
Gemella proles, I, 519.
Gemmæ, II, 274.
Geoffroy laud. II, 116, 284.
Genarum examen ad prognoſim, I, 4.
Geniſta, II, 222.
Genitalibus dicata, II, 443.
Genitalium virilium morbi, I, 438.
mulierum morbi, I, 536.
Gentiana, II, 46.
Geranium robertianum, II, 430.
Gingivarum morbi, I, 413.
Ginſeng, II, 116.
Glandes edules, II, 510.
Glandularum tumor, I, 342.
Glanis piſcis, II, 531.
Globulus martialis, II, 359.
ſialogogus, II, 423.
Glycyrrhiza, II, 247.
Gnafolium vel hiſpidula, II, 248.
Gobius piſcis, II, 539.
Gobites piſcis, II, 540.
Gonorrhœa, I, 441.
mulierum, I, 539.
ſpuria, I, 445.
Graculus avis, II, 527.
Gramen officinale duplex, II, 34.
triticeum, II, 489.
Grando, tuberculum palpebrarum, I, 394.
Gratiola, II, 461.
Gravedo, I, 381, 404.
Gravidarum morbi, I, 519.
maculæ faciei, I, 479.
Graviditas notha, I, 545.
Graviditatis ſigna, I, 519.
Groſſularia, II, 515.
Grutum, II, 249.
Guaïacum, II, 73.
Gumma oſſium, I, 471.
Gummi ammoniacum, II, 102.
arabicum, II, 424.
bdellium, II, 449.
elemi, II, 353.
gutta, II, 164.
lacca, II, 426.
taçamahaca, II, 397.

Gummi tragacanthum, II, 251.
Gutta roſacea, I, 391.
ſerena, I, 403.
Guttæ anglicæ, II, 307.
anodynæ Hoffman, II, 286.
Sydenhami, II, 285.
aureæ la Motte, II, 307.

H.

Haen (clar. de) laud. I, 31, 27, 32, 63, 176, 500, 535, 586, 588, II, 66.
Hæmatites lapis, II, 366.
Hæmoptyſis, I, 207.
Hæmorrhagia, I, 332.
ab evulſo dente, I, 418.
narium, I, 405.
ad prognoſim, I, 4.
penis, I, 446.
uteri, I, 521, 524.
Hæmorrhagiæ chronicæ ſuppreſſio, I, 55.
Hæmorrhoïdes, I, 451.
ſuppreſſæ, I, 454.
albæ, I, 455.
infantum, I, 577.
Halec piſcis, II, 539.
Halecula, II, 540.
Hales laud. I, 281, II, 169.
Halitus mineralis noxius, I, 205.
Haller clariſſ. laud. I, 328.
Harengus piſcis, II, 539.
Hauſtus, quid, II, 5.
abſorbens, II, 193.
adſtringens, II, 122.
analepticus, II, 111.
anodynus, II, 280.
anti-acidus, II, 193.
antiſpaſmodicus, II, 289.
cardiacus, II, 271.
carminans, II, 171.
catharticus, II, 153.
cephalicus, II, 302.
comprimens, II, 200.
demulcens, II, 12.
diaphoreticus, II, 70.
diureticus in chronicis, II, 218.
in acutis, II, 211.
emeticus, II, 143.
emmenagogus, II, 228.
febrifugus, II, 42.
hydragogus, II, 43.
hypnoticus, II, 280.
laxans, II, 153.
pectoralis demulcens, II, 244.
Hauſtus pectoralis reſolvens, II, 261.
purgans, II, 153.
reſolvens, II, 134.
ſtomachicus, II, 171.
ſudorificus, II, 70.
vermifugus, II, 185.
vulnerarius, II, 134.
Hebetudo vel mentis ſegnities, I, 159.
Hecquetus laud. I, 197, II, 333.
Hedera terreſtris, II, 257.
Hedus, II, 519.
Helenium vel enula campana, II, 115.
Helleborus niger duplex, II, 145.
Hippocratis, I, 168.
albus, II, 411.
Helmontius laud. I, 372.
Hemicrania, I, 381.
Hemiplegia, I, 156.
Hemitritis febris, I, 50.
Hepar antimonii, II, 148.
Hepatica remedia, II, 234.
terreſtris, II, 240.
trifolia, II, 36.
Hepaticæ maculæ, I, 479.
Hepatis morbi, I, 287.
conſenſus cum cerebro, I, 104.
Hepatitis, I, 290.
Herbæ vulnerariæ, II, 137.
quinque emollientes, II, 321.
capillares, II, 36.
Hermannus laud. II, 116, 159.
Hermodactyli, II, 159.
Hernia in genere, I, 433.
abdominalis, I, 435.
cerebri, I, 390.
cruralis, I, 424.
bubonis inſtar, I, 342, 433.
epiploica, I, 433.
flatulenta, I, 449.
gutturis, I, 390.
inguinalis, I, 433.
infantum, I, 575.
ſtomachi, I, 435.
vaginalis, I, 543.
veſicæ, I, 434, 436.
umbilicalis vera, I, 435.
notha, I, 437.
uteri, I, 437.
Herniaria duplex, II, 212.
Herpes, I, 482.
Hinnuli, II, 519.
Hippocaſtanum, II, 412.
Hippocrates laud. I, 3, 9, 10, 13, 14,

15, 37, 148, 174, 192, 226, 260, 352, 420, II, 486.
Hircus, II, 519.
Hirudines, II, 318.
Hirundo, II, 529.
Hiſpidula, II, 248.
Hoffmannus laud. I, 14, 46, II, 192, 283, 333, 397.
Hordeum multiplex, II, 36, 490.
Hordeolum, tuberculum palpebrarum, I, 394.
Horror & rigor, I, 8, 154.
Hortulanus avis, II, 527.
Huſo piſcis, II, 531.
Huxham laud. I, 2, 304.
Hydatides internæ, I, 319.
externæ, I, 349.
palpebrarum, I, 394.
Hydragoga purgantia, II, 148.
Hydrargyrus, II, 476.
Hydrocele, I, 448.
ſpuria, I, 448.
Hydrocephalos, I, 583.
Hydrogala, II, 17.
Hydromel, quid, II, 252, 565.
laxans, II, 151.
pectorale demulcens, II, 244.
incidens, II, 261.
vulnerarium, II, 255.
vinoſum, II, 565.
Hydromphalos, I, 437.
Hydrophobia, I, 367.
Hydrops in genere, I, 108.
abdominalis, I, 318.
cyſticus, I, 319.
infantum, I, 559.
pectoris, I, 217.
pericardii, I, 217.
ovariorum, I, 548.
tunicatus, I, 323.
uteri, I, 548.
Hydroſaccharum, II, 11.
Hymen, I, 512.
Hyoſcyamus duplex, II, 430.
Hypercatharſis, I, 255.
Hypericum, II, 136.
Hypnotica, II, 276.
Hypochondriaſis, I, 103.
Hypociſtis, II, 205.
Hypogaſtrocele, I, 437.
Hypopyon, I, 399.
Hypoſtaſis, *vid.* uroſcopia.
Hyſſopus, II, 266.
Hyſteris, I, 503.
puerperarum, 532.

I.

Jalapium, II, 159.
Ichor, I, 350.
Icterus, I, 293.
infantum, I, 561.
Idioſyncraſia, I, 232.
Jecur ad rem eſcariam, II, 520.
Ignis volaticus infantum, I, 589.
Ileus, I, 251.
Illacrymatio, I, 396.
Imbertus clariſſ. laud. I, 287.
Imperatoria, II, 64.
Impetigo, I, 487.
Impotentia ad venerem, I, 441.
Imprægnationis ſigna, I, 519.
Inanitas vaſorum ſanguineorum, I, 61.
Inappetentia, I, 237.
Incantatio morborum, II, 278.
Inceſſus, II, 312.
ad teneſmum, II, 473.
Incidentia interna, II, 98.
externa, II, 336.
Incubus, I, 163.
Inedia ad morborum curationem, I, 13.
Inediæ prodigioſæ, I, 422.
Infantis recèns nati regimen, I, 528, 552.
Infantum morbi, I, 551.
Infarctus viſcerum, I, 115.
mammarum, I, 530, 533.
Inflammatio externa, I, 335.
interna, I, 123.
abdominis, I, 124, 248.
hepatis, I, 290.
mammarum, I, 530.
pectoris, I, 191.
teſtium, I, 447.
uteri, I, 541
Inflatio abdominis infantum, I, 574.
Infortunia à venæ ſectione, I, 467.
Infuſum, quid, II, 3.
antiſcorbuticum, II, 62.
carminans, II, 172.
comprimens, II, 199.
depurans, II, 53.
febrifugum, II, 42.
ipecacuanhæ, II, 172.
ſtomachicum, II, 172.
vermifugum, II, 186.
Ingenium tardum, I, 159.

Ingluvies, I, 334.
Injectio, quid, II, 313.
adſtringens uterina, II, 447.
demulcens ad aures, II, 415.
detergens narium, II, 410.
ad aures, II, 415.
uterina, II, 447.
ſedans uterina, 447.
pro ſurditate, II, 415.
ad urethram, II, 446.
Illacrymatio morboſa, I, 396.
Inquietudines nocturnæ, I, 66.
Inſania, I, 167.
Inſecta variarum partium, I, 134.
in aures proſerpentia, I, 409.
Inſitio variolarum, I, 499.
Inſolatio, I, 384.
Intemperantia, II, 487.
Intertrigo, I, 375.
infantum, I, 592.
Inteſtina ad rem cibariam, II, 520.
Intrita panis veterum, II, 113.
Inverſio palpebrarum, I, 394.
Ipecacuanha, II, 135.
Iris florentina, II, 389.
noſtras, II, 411.
Irrigatio ab alto, II, 312.
Iſchias, I, 99, 465.
Iſchuria renalis, I, 311.
veſicaris, I, 311.
infantum, I, 576.
ab urethræ coarctatione, I, 444.
Jujubæ, II, 250.
Julapium, quid, II, 5.
alexiterium, II, 78.
antiſpaſmodicum, II, 289.
antiputridum, II, 22.
cardiacum, II, 271.
cephalicum, II, 302.
comprimens, II, 200.
diureticum in acutis, II, 210.
hypnoticum, II, 280.
pectorale demulcens, II, 244.
incidens, II, 261.
vulnerarium, II, 256.
refrigerans, II, 22.
temperans, II, 32.
Juncker laud. II, 344.
Juniperus duplex, II, 177.
Juſculum, quid, II, 4.
adſtringens, II, 124.
analepticum, II, 112.
antiputridum, II, 23.
Juſculum antiſcorbuticum, II. 63.
antiſpaſmodicum, II, 290.
aperiens, II, 89.
catharticum, II, 155.
cephalicum, II, 303.
demulcens, II, 12.
depurans, II, 53.
diaphoreticum, II, 71.
diureticum in chronicis, II, 219.
emmenagogum, II, 228.
extemporaneum, II, 115.
febrifugum, II, 43.
hepaticum, II, 236.
laxans, II, 155.
pectorale demulcens, II, 246.
incidens, II, 263.
vulnerarium, II, 256.
refrigerans, II, 23.
reſolvens, II, 135.
ſtomachicum, II, 172.
ſudorificum, II, 71.
temperans, II, 33.
vulnerarium, II, 135.

K.

Kali, II, 103.
Karabe, II, 396.
Kœmpferus laud. II, 306, 566.
Kermes, II, 273.
minerale, II, 147.
Kinakina, II, 48.
Kynorrhodon, II, 25.

L.

Labdanum, II, 371.
Labium leporinum, I, 413.
Labiorum morbi, I, 413.
examen ad prognoſim, I, 4.
Lac, in genere, II, 15, 556.
muliebre, II, 17.
aſininum & equinum, II, 17.
caprinum, II, 17.
vaccinum, II, 18.
ovillum, II, 18.
gallinaceum, quid, II, 405.
virgineum, II, 398.
devium puerperarum, I, 64, 530.
ſanguini remixtum, I, 530.
Lactis defectus, I, 529.
uberior proventus, I, 529.
Lacca gummi, II, 426.

Lacrymæ ad prognoſim, I, 4.
Lacrymarum ſtillicidium, I, 396.
Lactuca, II, 25, 495.
Lampetra piſcis, II, 535.
Lana ſuccida, II, 431.
Lapathum, II, 55.
Lapilli cancrorum, II, 195.
Lapis aëtites, II, 523.
bezoardicus, II, 83.
calaminaris, II, 375.
cauſticus, II, 385.
divinus vel ophthalmicus, II, 406.
hæmatites vel ſanguineus, II, 366.
infernalis, II, 386.
lazuli, II, 273.
medicamentoſus ad oculos, II, 406.
nephriticus, I, 299.
Lapides binoſi, I, 288.
pretioſi vel gemmæ, II, 274.
renum & veſicæ, I, 299.
variarum partium, I, 135.
Lappa major vel bardana, II, 55.
Lapſus palpebræ ſuperioris, I, 393.
Laryngotomia, I, 206.
Lavandula, II, 305.
Laudanum, II, 284.
liquidum, II, 285.
Laureola, II, 161.
Laurus, II, 177.
Laxantia, II, 148.
Leclerc laud. I, 182.
Lenitivum electuarium, II, 167.
Lens vulgaris, II, 493.
Lentigines, I, 479.
Lentiſcus, II, 424.
Lepidium, II, 474.
Lepra, I, 488.
Lepus, II, 518.
Lethargus, I, 152.
Leucoma oculorum, I, 401.
Leucophlegmatia, I, 108.
Leuvenoekius laud. I, 593.
Lichen vel pulmonaria, II, 257.
vel hepatica, II, 240.
Lien falsò incuſatus, I, 105.
Lien ad rem cibariam, II, 520.
Lienoſi, *vid.* hypochondriaſis.
Lienteria, I, 255.
Lignum ſanctum vel guaïacum, II, 73.
ſaſſafras, II, 74.
nephriticum, II, 213.
ſandalinum vel ſantalum, II, 118.
Lilium album, II, 252.
convallium, II, 296.
Lilium Paracelſi, II, 275.
Limaces, II, 397, 541.
Limatura ferri, II, 94.
Limon, II, 26, 548.
Linaria, II, 463.
Linctus, II, 5.
Lind clar. laud. I, 76.
Lingua animalium ad rem cibariam, II, 521.
Lingua cervina, II, 239.
Linguæ deglutitio, I, 568.
excoriatio, I, 419.
examen ad prognoſim, I, 4.
Linimentum, quid, II, 313.
ad ani prolapſum, II, 460.
anodynum, II, 332.
anginoſum pro ore, II, 422.
ad cervicem, II, 429.
antiputridum, II, 389.
ad aphthas, II, 422.
arthriticum, II, 466.
catharticum, II, 440.
cathæreticum, II, 381.
demulcens, II, 328.
ad podicem, II, 460.
abdominale, II, 440.
emolliens, II, 323.
emolliens ad nares, II, 411.
exſiccans, II, 374.
diureticum, II, 439.
ad fiſſuras genitalium, II, 446.
ad gangrænam oris, II, 422.
lactifugum, II, 433.
ad perniones, II, 465.
pleuriticum, II, 419.
pſoricum, II, 472.
ad pruriginem, II, 472.
repellens, II, 363.
reſolvens, II, 342.
roborans, II, 369.
ad tineam, II, 394.
vermifugum, II, 439.
Linnæus laud. paſſim.
Linum, II, 14.
Lipoma, I, 358, 431.
Lipothymia, I, 226.
Lippitudo, I, 396.
Liquidambar vel ſtyrax, II, 352.
vel balſamum canadenſe, II, 223.
Liquiritia, ſeu glycyrrhiza, II, 247.
Liquor anodynus mineralis, II, 186.
Listerus laud. I, 324.
Lithanthrax, II, 347.

Lithargyrus, II, 376.
Lithiaſis renum & veſicæ, I, 299.
variarum partium, I, 135.
palpebrarum, I, 394.
infantum I, 576.
Lithontriptica, I, 302.
LITTRE laud. I, 382.
Litus ſeu linimentum, II, 313.
Lixivium diureticum, II, 219.
LOBB clar. laud. I, 15.
Lochia juxtà naturæ normam, I, 527.
ſuppreſſa, I, 527.
ubertim fluentia, I, 528.
Lochia moventia, II, 226.
Loligo piſcis, II, 541.
LOMMIUS laud. I, 16, 192.
Looch, quid, II, 5.
adſtringens, II, 123.
antiputridum, II, 22.
laxans, II, 152.
pectorale adſtringens, II, 256.
demulcens, II, 245.
incidens, II, 261.
reſolvens, II, 134.
vulnerarium, II, 134.
Lora, II, 559.
LORRY clar. laud. I, 103, 165, 241.
Lotio, quid, II, 313.
anodyna, II, 332.
antiputrida, II, 388.
demulcens, II, 328.
exſiccans, II, 374.
ad perniones, II, 465.
reſolvens, II, 338.
roborans, II, 369.
Lucius piſcis, II, 533.
Lues ſcrophuloſa, I, 88.
venerea, I, 81.
infantum, I, 562.
Lumbago, I, 99, 430.
Lumborum morbi, I, 430.
diſtorſio, I, 431.
Lumbrici inteſtinorum, I, 282.
infantum, I, 572.
terreſtres, II, 334.
Lumbricus latus vel tænia, I, 282.
Lunæ phaſes, quid conferant, I, 181.
Lupia, I, 359.
Lupinus, II, 346.
Lupulus, II, 239.
Lupus, ulcus tibiarum, I, 351.
Lupus marinus, II, 535.
LUSITANUS laud. I, 149.
Luxationes, I, 470.
Luxationes oſſis ſeſamoidei, I, 469.
Lycanthropia, I, 165.
Lycoperſicon, II, 515.

M.

MACIES, I, 329.
Macis, II, 82, 118, 545.
Maculæ cutis, I, 479.
oculorum, I, 401.
MAGATUS laud. I, 340.
Magiſterium ſulphuris, II, 259.
Magneſia alba, II, 196.
Maïs, II, 492.
Majorana, II, 411.
Malacia, I, 509.
Malicorium, II, 204.
Malignitatis vocabulum abſurdum, I, 24.
MALOUIN clar. laud. II, 490.
Malva, II, 324.
Malum granatum, II, 509.
renetium, II, 26.
Malus, II, 507.
punica, II, 509.
Mammarum morbi, I, 533.
phlogoſis, I, 530, 533.
moleſta expanſio, I, 529.
Mammæ ſororiantes, I, 533.
Mammis dicata remedia, II, 432.
Manatus piſcis, II, 530.
Mandragora, II, 333.
Mania, I, 167.
Manna, II, 163.
Manus dei, emplaſtrum, II, 348.
Manuum tremor ad prognoſim, I, 5.
Maraſmus, I, 329
infantum, I, 558.
MARCGRAVIUS laud II, 159.
MARQUETUS laud. I, 190.
Maríſcæ, I, 360, 456.
Marrubium, II, 231.
Mars, II, 94.
Martes, II, 520.
Marum, II, 176.
Maſtiche, II, 425.
Matricaria, II, 231.
Maturantia, II, 349.
Mays vel frumentum indicum, II, 492.
MEAD laud. I, 303, II, 333.
Mechoacanna, II, 159.
Medicamina ſimpliciora laudantur, I, 14.
Medulla ad rem cibariam, II, 521.
ad rem medicamentariam, II, 329.
Mel narbonenſe & commune, II, 251, 549.

Mel anthoſatum, II, 462.
mercuriale, II, 462.
roſatum, II, 425.
violatum, II, 461.
vitriolicum, II, 357.
Melampyrum, II, 493.
Melanagoga purgantia, II, 148.
Melancholia, I, 164.
Melanurus piſcis, II, 539.
Melica vel ſorgo, II, 492.
Meliceris, II, 359.
Melilotus, II, 462.
Melis, II, 520.
Meliſſa hortenſis, II, 295.
Tragi, II, 212.
Melo, II, 499.
Melo pepo, II, 500.
Melongena, II, 515.
Membrada piſciculus, II, 540.
Memoriæ ſegnities, I, 159.
Menſes devii, I, 514.
difficiles, I, 514.
nimii, I, 515.
ſuppreſſi, I, 511.
à causâ externâ, I, 512.
ſpurii, I, 515.
Menſium vitia, I, 511.
fluxus immodicus, I, 515.
inordinatus, I, 515.
retentio in utero, I, 547.
ſubitanea ſuppreſſio, I, 512.
Menſes moventia, I, 528, II, 226.
Mentha hortenſis, II, 434, 552.
aquatica, vel pulegium, II, 305.
cataria vel nepeta, II, 231.
Mentis ſegnities, I, 159.
perturbatio ad prognoſim, I, 4.
Mercurialis duplex, II, 461.
Mercurius vel hydrargyrus, II, 476.
dulcis, II, 105.
vitæ, vel pulvis Algaroth, II, 147.
Mergus avis, II, 526.
Merlucius piſcis, II, 538.
Merula avis, II, 527.
Meſpilus, II, 205, 512.
Metaſtaſis, quid, I, 10.
in arthritide, I, 97.
purulenta, I, 129.
Meteoriſmus hypochondriorum, I, 278.
Meum, II, 435.
Mictus cruentus, I, 305.
involuntarius, I, 316.
purulentus, I, 307.
Milium, II, 492.
Millefolium, II, 137.
Millepedes vel aſelli, II, 93.
Milvus piſcis, II, 538.
Mingendi difficultas, I, 309.
Minium, II, 375.
Miſerere, morbus, I, 251.
Mithridatium, II, 298.
Mitulus piſcis, II, 542.
Mixtura, quid, II, 5.
anti-epileptica, II, 290.
cephalica, II, 302.
coſmetica, II, 394.
tubularis, II, 423.
Mochlica purgantia, II, 148.
Mœna piſcis, II, 540.
Mœror ſummè noxius, I, 25.
Mola carnoſa, I, 545.
ventoſa, I, 547.
veſicularis, I, 546.
Moleſtia ſtomachi, I, 245.
Mollities oſſium, I, 475.
Monro clar. laud. I, 113, 325.
Montanus, laud. I, 108.
Mora domeſtica, II, 425.
Morbi abdominis externi, I, 432.
interni, I, 232.
ani, I, 45.
artuum, I, 429, 458.
aurium, I, 409.
capitis externi, I, 381.
capitis interni, I, 142.
à catameniis, I, 511.
cutis, I, 476, 589.
infantum, I, 589.
faciei, I, 391.
genitalium virilium, I, 438.
muliebrium, I, 536.
hæreditarii, I, 553.
hepatis, I, 287.
infantum, I, 551.
lumborum, I, 430.
mammarum, I, 533.
narium, I, 404.
oculorum, I, 393.
oris, I, 413.
oſſium, I, 470.
pectoris interni, I, 181.
externi, I, 428.
prægnantium, I, 519.
puerperarum, I, 524.
ſtomachi, I, 232.
trunci, I, 428.
virginum & mulierum, I, 503.

Morbilli, I, 494.
infantum, I, 557.
Morbus coxaris, I, 586.
idiopathicus, I, 143.
niger, I, 260.
pedicularis, I, 478.
regius vel icterus, I, 293.
ſympathicus, I, 143.
Morgagnus clar. laud. I, 149, 190.
Morhua piſcis, II, 535.
Morinus laud. I, 80.
Moroſis, I, 159.
Mors repentina, I, 228.
Morſus animalium venenatorum, I, 362.
rabidorum, I, 363.
diaboli vel ſucciſa, II, 72.
Mortis formido lethalis, I, 4.
indicia, I, 228.
Morton laud. I, 212.
Morum tuberculum palpebrarum, I, 394.
Morus arbor, II, 188, 505.
Moſchata, nux, II, 118, 545.
Moſchus, II, 417.
Motus convulſivi, I, 172.
Moxa, quædam lanugo, I, 96, II, 319, 378.
Mucilago, II, 253, 328.
Mucus hæmorrhoïdalis, I, 455.
Mugil piſcis, II, 538.
Mullus piſcis, II, 538.
Muræna piſcis, II, 535.
Muschenbroekius laud. I, 206.
Muſices vires medicæ, II, 277.
ad tarantiſmum, I, 367.
Muſtella piſcis, II, 537.
Muſti effervescentia noxia, I, 205.
Myrobalani, II, 205.
Myrrha, II, 390.
Myrtilli, II, 128.

N.

Nævi materni, I, 360, 479, 593.
Naphtha vel petroleum, II, 442.
Napus, II, 247, 502.
Narcotica, II, 276.
in febrium curatione, I, 14.
externa, II, 332.
Nardus celtica, II, 81.
indica, II, 272.
Narium morbi, I, 404.
hæmorrhagia, I, 4, 405.
Naribus dicata, II, 408.
Naſo piſcis, II, 537.
Naſturtium hortenſe, II, 411, 498.
aquaticum, II, 65, 498.
Natatilia, II, 484.
Natta tumor cyſticus, I, 358.
Natura morborum medicatrix, I, 10.
Nauſea, I, 238.
Necroſis, I, 378.
Nepeta vulgaris vel calamintha, II, 231.
Nephritis, I, 296.
Nephrotomia, I, 302.
Nervorum vulnus, I, 372.
Nicotiana, II, 441.
Nidus hirundinis, II, 431.
Nitrum, II, 214.
Noctes inſomnes, I, 161.
Nodulus hyſtericus narium, II, 411.
ſialogogus, II, 423.
Nodus oſſium, I, 471.
penis, I, 439.
Noli me tangere, morbus, I, 351.
Noſtalgia, I, 165.
Nubecula, *vid.* uroſcopia.
Nubeculæ oculorum, I, 401.
Nuclei perſici, II, 47.
pinei, II, 249.
Nummularia, II, 127.
Nutricis examen, I, 551.
Nutritum unguentum, II, 331.
Nux avellana, II, 511.
cupreſſi, II, 363.
juglans, II, 82, 511.
moſchata, II, 118, 545.
piſtacia, II, 250, 512.
Nymphæa, II, 282.

O.

Obesitas, I, 327.
Oblivifcentia, I, 159.
Obſtructio laryngis, I, 204.
œſophagi, I, 420.
viſcerum, I, 115.
Obtundentia, II, 9.
Ocimum, II, 370.
Oculi cancrorum, II, 95.
Oculis dicata, II, 399.
Oculorum morbi, I, 393.
ambuſtio, I, 377.
nubeculæ, I, 401.
feſtucæ & ſordes, I, 401.
examen ad prognoſim, I, 4.
Œdema, I, 348.
crurum, I, 109, 460.
Œnanthe avis, II, 527.

Œſophagi

Œſophagi obſtructio, I, 420.
reſolutio, I, 421.
Odontalgia, I, 417.
Odontalgica remedia, II, 418.
Olea arbor, II, 512.
Olera, II, 482, 495.
Oleum amygdalarum dulcium, II, 19.
amararum, II, 418.
ben, II, 304.
buxi, II, 74.
camphoræ, II, 391.
cannabinum, II, 325.
caryophyllorum, II, 427.
catellorum, II, 372.
chamæmeli, II, 326.
cinnamomi, II, 275.
croci, II, 442.
formicarum, II, 441.
guaiaci, II, 427.
hyoſcyami, II, 430.
hyperici, II, 358.
juniperi, II, 140.
lavandulæ, II, 307.
laurinum, II, 417.
liliorum, II, 326.
lini, II, 330.
lumbricorum, II, 431.
myrrhæ per deliquium, II, 391.
nucum, II, 352, 549.
olivarum, II, 325, 548.
ovorum, II, 330.
roſatum, II, 347.
rutæ, II, 449.
ſcorpionum, II, 441.
ſuccini, II, 449.
tartari per deliquium, II, 474.
thymi, II, 427.
terebinthinæ, II, 391.
terræ, II, 442.
vitrioli vel ſpiritus, II, 30.
Olibanum, II, 196.
Omphacium, II, 27, 548.
Omphalocele, I, 436.
Ononis, II, 221.
Ophthalmia, I, 398.
Ophthalmica, II, 399.
Opiata, quid, II, 6.
abſorbens, II, 194.
adſtringens, II, 124.
analeptica, II, 114.
anodyna, II, 281.
anti-acida, II, 194.
antiſcorbutica, II, 63.
antiſpaſmodica, II, 292.
Opiata aperiens, II, 90.
cathartica, II, 156.
cephalica, II, 303.
comprimens, II, 202.
depurans, II, 54.
emmenagoga, II, 230.
febrifuga, II, 44.
hepatica, II, 238.
hypnotica, II, 281.
incidens, II, 100.
pectoralis demulcens, II, 247.
incidens, II, 264.
purgans, II, 156.
reſolvens, II, 136.
Salomonis, II, 182.
ſtomachica, II, 174.
temperans, II, 33.
vermifuga, II, 188.
vulneraria, II, 136.
Opiſthotonos, I, 172.
Opium orientale, II, 333.
noſtras, II, 284.
Opobalſamum, II, 138.
Oppreſſio cardiaca, I, 223.
Oriolus avis, II, 528.
Oris morbi, I, 413.
amarities, I, 233.
fœtor, I, 418.
mucoſitas, I, 233.
puſtulæ ad prognoſim, I, 8.
tortura, I, 172, 413.
examen ad prognoſim, I, 4.
Ori dicata remedia, II, 418.
Origanum, II, 371.
Orobus, II, 352.
Orthopnœa, I, 200.
Orvietanum, II, 84.
Oryza, II, 37, 490.
Os de corde cervi, II, 83.
ſepiæ, II, 398.
Os ſordidum, I, 233.
Oſcitatio, I, 172.
Oſſis ſeſamoidei luxatio, I, 463.
Oſſium morbi, I, 470.
Oſteocolla, II, 372.
Oſtreum, II, 542.
Oſtreorum conchæ, II, 195.
Otalgia, I, 409.
Otis avis, II, 525.
Ovis ad rem cibariam, II, 517.
Ovum gallinaceum, II, 404, 522.
Ovariorum hydrops, I, 548.
Oxalis herba, II, 24, 496.
Oxyacantha vel berberis, II, 25, 515.

Oxycratum, II, 27.
Oxymel ſimplex, II, 425.
Oxymel ſcilliticum, II, 224.
Oxytriphyllum, II, 25.
Ozæna, I, 407.

P.

PÆDARTHROCACE vel ſpina ventoſa, I, 89, 474.
Pæonia, II, 294.
Pagrus piſcis, II, 536.
Palatum perforatum, I, 416.
Paliurus, II, 213.
Palma, II, 510.
  Chriſti, II, 161.
Palpebrarum morbi, I, 393.
PALMARIUS laud. I, 369.
Palpitatio cordis, I, 221.
Palumba, II, 524.
Panacea, II, 106.
  pauperum, II, 115.
Pandiculatio, I, 172.
Panicum, II, 492.
Panis, II, 489.
  cremor, II, 113.
Papaver album, II, 282.
  rhœas, II, 248.
Paracenteſis, I, 282, 324.
Paralyſis, I, 156.
  à colicâ, I, 274.
Paraphimoſis, I, 438.
Paraphrenitis, I, 170, 191.
Pareira brava, II, 212.
Parietaria, II, 212.
PARKINSONUS laud. II, 37.
Paronychia, I, 462.
Parotis, I, 388.
  ſpuria, I, 388.
Paroxyſmus intermittentium, I, 41.
  arthriticus, I, 93.
Partus, I, 522.
  difficilis, I, 523.
  cæſareus, I, 524.
Partum moventia, II, 226.
Paſſer vulgaris, II, 528.
  arundinaceus, II, 527.
  marinus, II, 539.
  montanus, II, 529.
  troglodytes, II, 529.
Paſſio iliaca, I, 251.
Paſſulæ, II, 250.
Paſtilli mercuriales, II, 477.
Paſtinaca hortenſis, II, 502.
Paſtinaca piſcis, II, 533.
Pavo, II, 523.
Pavores hyſtericarum, I, 504.
  nocturni infantum, I, 578.
PECHLINUS laud. I, 205.
Pectoralia demulcentia, II, 242.
  reſolventia & incidentia, II, 259.
  vulneraria & adſtringentia, II, 254.
Pectoris morbi interni, I, 181.
  externi, I, 428.
  hydrops, I, 217.
  vulnera & contuſiones, I, 372.
  examen ad prognoſim, I, 5.
Pediculi vulgares, I, 478.
  inguinales, I, 478.
Pediluvium, quid, II, 312.
  hypnoticum, II, 466.
  roborans, II, 466.
Pedis diſtorſio, I, 468.
Pedum ſudor, I, 469.
Penidia, II, 253.
Penis hæmorrhagia, I, 446.
  tumor œdematoſus, I, 448.
Pentaphylloïdes vel argentina, II, 47.
Pentaphyllum, II, 46.
Pepo, II, 500.
Perca piſcis, II, 535.
Perdix, II, 523.
Pericardii inflammatio, I, 192.
  hydrops, I, 217.
Peripneumonia vera, I, 191.
  notha, I, 198.
Peritonei hydrops, I, 319.
Perniones, I, 464.
Perſica, II, 189, 507.
Perſicaria duplex, II, 102.
Perſpiratio impedita, I, 64.
Pervigilium, I, 161.
Pervinca, II, 424.
Pes cati vel hiſpidula, II, 248.
Peſſarium, II, 314.
  emmenagogum, II, 448.
Petechiæ, I, 27.
PETITUS laud.
Peſtis, I, 33.
Petroleum, II, 442.
Petroſelinum, II, 434, 552.
Phænomena febrilia, I, 9.
Phagedænica remedia, II, 378.
Phalangii ictus, I, 366.
Pharyngis morbi, I, 421.
Pharyngitis, I, 425.
Phaſianus, II, 523.

Phaſeolus, II, 494.
Philonium romanum, II, 463.
Phimoſis, I, 438.
Phlegmone, I, 335.
Phlogoſis interna, I, 123.
externa, I, 335.
mammarum, I, 530, 533.
teſtium & ſcroti, I, 447.
uteri, I, 541.
Phlebotomia, II, 317.
Phlegmagoga purgantia, II, 148.
Phlyctænæ, I, 378, 438.
Pholas, II, 542.
Phrenitis, I, 169.
Phthiriaſis, I, 478.
Phthiſis, I, 209.
Phu vel valeriana, II, 294.
Phycis piſcis, II, 539.
Pica, morbus, I, 509.
Pica avis, II, 526.
glandaria, II, 527.
Pictonum colica, I, 275.
Picus avis, II, 528.
Piloſella, II, 357.
Pilulæ, quid, II, 6.
officinales.
angelicæ, II, 96.
balſamicæ Morton, II, 268.
benedictæ Fulleri, II, 298.
de cynogloſſo, II, 285.
hydragogæ Bontii, II, 95, 168.
hydropicæ, II, 95.
Starkii, II, 105.
mercuriales, II, 59.
ſcilliticæ edimburgenſes, II, 223.
magiſtrales.
antiſpaſmodicæ, II, 293.
adſtringentes, II, 126.
aperientes, II, 91.
cephalicæ, II, 304.
catharticæ, II, 156.
comprimentes, II, 202.
depurantes, II, 54.
diaphoreticæ, II, 71.
diureticæ in chronicis, II, 220.
emmenagogæ, II, 230.
febrifugæ, II, 46.
hepaticæ, II, 238.
hydragogæ, II, 156.
pectorales incidentes, II, 265.
ſaponaceæ, II, 101.
ſtephenſianæ, II, 215.
ſtomachicæ, II, 175.
Pilulæ ſudorificæ, II, 71.
Pimpinella, II, 35, 498.
Pinguedines, II, 329.
Pinus hortenſis, II, 554.
Piper, II, 426, 545.
Piperitis, II, II, 551.
Piſces, II, 530.
Piso (Carol.) laud. II, 139.
Piſtaciæ nuces, II, 250, 512.
Piſum, II, 493.
Pituita, pars ſanguinis glutinoſa, I, 184.
Pix duplex, II, 353.
Placenta, *vid* ſecundinæ.
Plantago, II, 405.
Plethora, I, 55.
à numeroſis venæ ſection. I, 332.
Pleuritis vera, I, 191.
ſpuria, I, 99, 429.
Plinius laud. I, 283, II, 489.
Plumbago vel dentellaria, II, 382.
Plumbum, II, 375.
uſtum, *ibid.*
Plumier laud. II, 118.
Pluvialis avis, II, 524.
Pneumatocele, I, 449.
Pneumatoſis vel emphyzema, I, 348.
Poculenta, II, 487, 555.
Poculum emeticum, II, 76.
Pollutio involuntaria, I, 446.
Polygonatum, II, 442.
Polygonum vel centinodia, 126.
Polypodium, II, 158.
Polypoſæ concretiones, I, 20.
Polypus piſcis, II, 541.
cordis commentitius, I, 227.
narium, I, 407.
vaginæ, I, 544.
Polytrichum, II, 240.
Pomaceum, II, 26, 565.
Pomum vel malum, II, 26.
Pomatum album, II, 398.
rubrum, II, 398.
coſmeticum, II, 395.
demulcens, II, 328.
ad mammas, II, 433.
detergens, II, 357.
ſaturninum, II, 471.
Pondera & menſuræ officinarum, II, 6.
Porcellus, II, 518.
Porrum, olus, II, 501.
Porri genitalium, I, 439.
Porrigo infantum, I, 589.
Portulaca duplex, II, 424.

Poſca, II, 559.
Potentilla vel argentina, II, 47.
Potio, quid, II, 4.
abſorbens, II, 193.
adſtringens, II, 123.
alexiteria, II, 78.
anodyna, II, 280.
antiſpaſmodica, II, 290.
cardiaca, II, 171.
carminans, II, 171.
cathartica, II, 154.
cephalica, II, 302.
comprimens, II, 200.
demulcens, II, 12.
diuretica in acutis, II, 211.
in chronicis, II, 218.
emetica, II, 144.
emmenagoga, II, 228.
hydragoga, II, 154.
hypnotica, II, 280.
laxans, II, 154.
ſtomachica, II, 171.
temperans, II, 32.
vermifuga, II, 186.
Pott clar. laud. II, 307.
Potus, II, 487.
Potûs abſtinentia, I, 112.
Præcipitatus albus, II, 385.
flavus, II, 159.
ruber, II, 385.
Prægnantium morbi, II, 519.
Prava digeſtio, I, 232.
Priapiſmus, I, 440.
Primula veris, II, 296.
Pringle clar. laud. I, 20, 30, II, 225, 417.
Profluvium hæmorrhoïdale, I, 453.
Prognoſis febrium, I, 4.
Prolapſus ani, I, 458.
vaginæ, I, 543.
veſicæ, I, 434, 436.
uteri, I, 437.
uvulæ, I, 419.
Prosper Alpinus laud. I, 3.
Prunus, II, 506.
Pruna damaſcena, II, 250.
Pruritus, I, 482.
Pſeudo-dæmoniaci, I, 173.
Pſeudo-lapides bilioſi, I, 288.
Pſorica remedia, II, 470.
Pſyllium, II, 249.
Ptarmica vel errhina, II, 408.
Pterygium, I, 395.
Ptiſana, quid, II, 3.
Ptiſana adſtringens, II, 122.
alexiteria, II, 78.
analeptica, II, 111.
anodyna, II, 279.
antiputrida, II, 22.
antiſcorbutica, II, 60.
antiſpaſmodica, II, 289.
aperiens, II, 87.
Callac, II, 59.
cathartica, II, 151.
comprimens, II, 199.
demulcens, II, 11.
depurans, II, 52.
diaphoretica, II, 69.
diluens, II, 11.
diuretica in acutis, II, 210.
in chronicis, II, 217.
emmenagoga, II, 228.
febrifuga, II, 42.
hepatica, II, 236.
hypnotica, II, 279.
pectoralis demulcens, II, 244.
incidens, II, 261.
vulneraria, II, 255.
refrigerans, II, 22.
regia, II, 151.
ſudorifica, II, 70.
temperans, II, 32.
vermifuga, II, 185.
Vinache, II, 59.
vulneraria, II, 134.
Ptyaliſmus, I, 416.
ad prognoſim, I, 4.
Puerperarum morbi, I, 524.
Pulegium, II, 305.
Pullus, II, 15, 522.
Pulmones animalium ad rem cibariam, II, 521.
Pulmonaria arborea, II, 257.
Italorum, II, 248.
Pulſatio in abdomine, I, 104.
Pulſus ad prognoſim, I, 5.
Pulvis, quid, II, 5.
officinales.
Algaroth, II, 147.
antiſpaſmodicus, II, 298.
cometiſſæ, II, 83.
contra vermes, II, 191.
Cornachini vel de tribus, II, 166.
de guttetâ, II, 298.
è kelis cancrorum, II, 83.
è ligno carioſo, II, 375.
lumbricorum, II, 334.
Palmarii, II, 83.

Pulvis temperans, II, 38.
viperinus, II, 76.
magiſtrales.
abſorbens, II, 193.
adſtringens, II, 124.
alexiterius, II, 78.
analepticus, II, 114.
anodynus, II, 281.
antiſpaſmodicus, II, 291.
magiſtrales interni.
aperiens, II, 90.
catharticus, II, 155.
cephalicus, II, 303.
comprimens, II, 201.
depurans, II, 54.
diaphoreticus, II, 71.
diureticus in chronicis, II, 219.
emeticus, II, 144.
emmenagogus, II, 218.
exſiccans, II, 375.
febrifugus, II, 44.
helvetianus, II, 124.
hepaticus, II, 236.
hydragogus, II, 155.
hypnoticus, II, 281.
incidens, II, 99.
pectoralis incidens, II, 264.
vulnerarius, II, 257.
purgans, II, 155.
reſolvens, II, 135.
ſtomachicus, II, 173.
ſudorificus, II, 71.
temperans, II, 33.
vermifugus, II, 186.
viperinus, II, 75.
vulnerarius, II, 135.
magiſtrales externi.
adſtringens, II, 363.
ad nares, II, 410.
ad podicem, II, 460.
cathæreticus, II, 382.
cephalicus, II, 410.
exſiccans, II, 403.
& detergens ad oculos, II, 403.
pedicularis, II, 473.
ſaturni, II, 334.
ſternutatorius, II, 410.
uvularis, II, 423.
Punica duplex, II, 204.
Punctura animalium, I, 362.
tendinis à phlebotomo, I, 467.
nervi, I, 468.
Purgantia vel cathartica, II, 148.
Purpura rubra, I, 27.
alba, I, 27, 481.
rubra & urticata, I, 481.
Purulentia interna, I, 127.
cruſtæ inſtar, I, 194.
aurium in infantibus, I, 591.
Puris ſtagnatio, I, 113.
legitimi notæ, I, 307.
Puſtulæ labiorum, I, 413.
cutaneæ à ſordibus, I, 592.
phlogodeæ crurum, I, 464.
venereæ, I, 481.
Putamina ovorum, II, 404.
Putredo alkalina in primis viis, I, 334.
Putriditas febrium, I, 17.
Pyraceum, II, 565.
Pyrethrum, II, 427.
Pyrola, II, 137.
Pyrus, II, 507.

Q.

Quadrupedes edules, II, 483, 517.
Quartana febris, I, 52.
Querquedula avis, II, 525.
Quercus, *vid.* Galla.
Quesnai clar. laud. I, 380.
Quinquefolium, II, 46.
Quinta eſſentia abſinthii, II, 183.
Quotidiana febris, I, 48.

R.

Rabeli eſſentia, II, 129.
Rabies vel hydrophobia, I, 367.
animalium, I, 363.
canum, I, 367.
Radix braſilienſis, II, 145.
Radices aperientes majores, II, 86.
minores, *ibid.*
Raia piſcis, II, 533.
Raius laud. II, paſſim.
Ramazzini laud. I, 38.
Rana, II, 15, 543.
piſcatrix, II, 537.
Ranula, morbus, I, 414.
Rapa duplex, II, 247, 502.
Raphanus hortenſis, II, 221, 503.
ruſticanus, II, 64, 503.
ſylveſtris vel lepidium, II, 474.
Rapunculus, II, 503.
Raucedo, I, 183.

Redi laud. I, 15.
Refrigerantia, II, 20.
 in febrium curatione, I, 14.
Rega laud. I, 6, 8, 300.
Regimen aqueum, II, 262.
 infantum, I, 551.
Regulus antimonii, II, 75.
Remittens febris, I, 54.
Remedium bovilianum, II, 226.
 Rotrou, II, 108.
 ſtephenſianum, I, 303, II, 225.
Renum infarctus, I, 299.
 inflammatio, I, 296.
 ulcus, I, 307.
Repellentia, II, 360.
Reſina guaiaci, II, 76.
 jalapæ, II, 168.
 ſcammonii, II, 168.
Reſolventia interna, II, 130.
 externa, II, 336.
Reſolutio nervorum, vel paralyſis, I, 156.
Reſpiratio difficilis, I, 200.
 ad prognoſim, I, 5.
Retroceſſus eruptionum, I, 64.
 fluxuum, I, 64.
Rhabarbarum verum, II, 158.
 monachorum, II, 203.
Rhachitis, I, 584.
Rhagades mammarum, I, 531.
 genitalium, I, 440.
 ani, I, 458.
Rhamnus catharticus, II, 161.
Rhaponticum, II, 203.
Rheum, II, 158.
Rheumatiſmus, I, 98.
 lumborum, I, 99, 430.
Rhombus, II, 532.
Rhus vel ſumach, II, 127.
Ribes vulgaris, II, 26, 515.
 nigrum, II, 26.
Ricinus vel palma Chriſti, II, 161.
Rigor febrium ad prognoſim, I, 8.
Rimæ, *vid.* fiſſuræ.
Riſus ſardonicus, I, 172, 413.
Riverius laud. I, 76, 196, 198, 462.
Rob vel ſapa, II, 550.
Roborantia interna, II, 109.
 externa, II, 367.
Roſæ pallidæ, II, 160.
 rubræ, II, 203.
Roſalia eryſipelatis ſpecies, I, 491.
Roſeolæ ſaltantes, I, 464.
Ros calabrinus vel manna, II, 163.
Ros vitrioli vel ſpiritus, II, 30.
Roſmarinus, II, 370.
Rubecula avis, II, 528.
Rubefacientia, II, 378.
Rubia tinctorum, II, 92.
Rubor ſcarlatinus, I, 493.
Rubus vulgari, II, 425.
 idæus, II, 514.
Ructus, I, 278.
Ruyschius laud. I, 273.
Rupicapra, II, 519.
Ruſcus vel bruſcus, II, 92.
Ruſticula major & minor, II, 525.
Ruta duplex, II, 405.
 muraria, II, 266.
Ruticilla avis, II, 528.

S.

Sabina, II, 232.
Saccharum, II, 251, 445.
 cryſtallinum, II, 253.
 hordeatum, II, 253.
 lactis, II, 253.
 roſatum rubrum, II, 463.
 ſaturni, vel ſal, II, 335.
 vermifugum, II, 190.
Sacculus, quid, II, 313.
 anti-apoplecticus, II, 406.
 ſtomachicus, II, 437.
Saguſium, II, 37.
Salia plantarum, II, 96.
Sal abſinthii, II, 188.
 ammoniacum, II, 50.
 anglicanum, II, 413.
 catharticum amarum, II, 165.
 centaurii minoris, II, 47.
 de duobus, II, 39.
 ebſonienſe, II, 165.
 egranum, II, 165.
 eſſentiale plantarum, II, 96.
 eſteranum, II, 165.
 gemmeum, II, 435.
 geniſtæ, II, 96.
 Glauberi, II, 39.
 lixiviale plantarum, II, 96.
 marinum, II, 547.
 martis Riverii, II, 129.
 nitrum, II, 214.
 polychreſtum, II, 168.
 prunellæ, II, 186.
 rupellanum, II, 168.
 ſaturni, II, 335.

Sal ſedativum, II, 286.
ſedlicenſe, II, 165.
tamariſci, II, 223.
tartari, II, 196.
thermarum carolinarum, II, 165.
vegetabile vel tartarus ſolubilis, II, 97.
volatile cornu cervi, II, 413.
ſuccini, II, 299.
viperæ, II, 84.
widbadenſe, II, 165.
Salacitas, *vid.* ſatyriaſis.
Salep, II, 117.
Salivæ vires, II, 486.
Salmo, II, 530.
Salpa, II, 537.
Salſaparilla, II, 72.
Saltatio ad tarantiſmum, I, 366.
Salvia duplex, II, 116.
vitæ, vel ruta muraria, II, 266.
Sambucus, II, 223.
Sanctorius laud. I, 15, 38, II, 483, 517.
Sanguinis mictus, I, 305.
dejectio, I, 258.
inopia, I, 61.
fluxus cohibitus, I, 64.
ſputum, I, 207.
ſtagnatio in variis partibus, I, 113.
in oculis, I, 401.
in utero, I, 547.
vomitus, I, 241.
miſſio, quid conferat, II, 317.
in febrium curatione, I, 12.
Sanguis venæ ſectione eductus, I, 12.
columbæ, II, 404.
hirci præparatus, II, 267.
draconis, II, 364.
Sanicula, II, 136.
Santalum, II, 118.
Santolina, II, 189.
Santorinus laud. I, 403.
Sapa vel rob, II, 550.
Sapo, II, 102.
Sarcocele, I, 360, 450.
Sarcocolla, II, 371.
Sarcoma, I, 360, 593.
oculorum, I, 395.
oris, I, 413.
ani, I, 360.
gingivarum, I, 413.
palpebrarum, I, 395.
uteri, I, 544.
Sardina, II, 539.
Sargus piſcis, II, 539.
Sarſaparilla, II, 72.
Saſſafras, II, 74.
Satureia, II, 370, 551.
Satyriaſis, I, 440, 489, 539.
Sauvages clar. laud. I, 173.
Saxifraga, II, 222.
Scabies, I, 485.
capitis infantum, I, 589.
Scabioſa officinarum, II, 82.
folio integro, vel ſucciſa, II, 72.
Scammonium, II, 164.
Scarificationes in gangrænâ, I, 379.
ad morſum venenatorum, I, 363.
Scarlatina febris, I, 493.
Schenkius laud. I, 275.
Schurigius laud. I, 423.
Scilla, II, 222.
Sciurus ad rem cibariam, II, 520.
Sclarea, II, 232.
Scolopendrium, II, 239.
Scombrus piſcis, II, 536.
Scorbutus, I, 76.
infantum, I, 563.
Scordium, II, 389.
Scorpionis punctura, I, 365.
Scorpius piſcis, II, 537.
Scorzonera, II, 80, 502.
Scrophulæ, I, 88.
infantum, I, 564.
Scrophularia, II, 345.
Scroti inflammatio, I, 447.
Scutum vel epithema, II, 213.
ſtomachicum, II, 437.
Seba laud. II, 116.
Sebeſtena, II, 250.
Sebum, *vid.* axungia, II, 329.
Secale, II, 345, 490.
Sectio cæſarea, I, 524.
Secundinarum retentio, I, 526.
Sedantia vel anodyna, II, 276, 332.
Sedimentum urinæ, *vid.* uroſcopia.
Sedum majus, II, 397.
Semen retentum, I, 449.
Semen contra, vel ſantonicum, II, 189.
Semen lini, II, 14.
Semicupium, II, 312.
Semina frigida, majora & minora, II, 14.
Semi-tertiana febris, I, 50.
Senacus clar. laud. I, 33, 221, 274.
Senecio, II, 324.
Seneka, II, 81.

Senna, II, 159.
Sentinelli pulvis, II, 196.
Sepia, II, 541.
Sepiæ os, II, 398.
Sepiolæ, II, 542.
Serpens, II, 57.
Serpentaria virginiana, II, 46.
Serpigo, I, 482.
Serpillum, II, 370.
Serum lactis, II, 37.
adſtringens, II, 122.
antiſcorbuticum, II, 62.
aperiens, II, 88.
depurans, II, 52.
diureticum in chronicis, II, 217.
hepaticum, II, 236.
laxans, II, 152.
temperans, II, 32.
Setaceum, II, 320.
SEVERINUS laud. I, 464.
SHAW laud. II, 214.
Sialagoga, II, 418.
Sibilus aurium, I, 412.
Sideratio interna, I, 132.
Sigillum Salomonis vel polygonatum, II, 442.
Siliqua dulcis, II, 250, 515.
ægyptia vel caſſia, II, 161.
Simarouba, II, 215.
Sinapi, II, 382, 550.
Sinapiſmus, II, 378, 467.
Singultus, I, 230
ad prognoſim, I, 5.
Siſarum, II, 503.
Siſymbrium aquaticum, II, 65, 498.
vel ſophia, II, 127.
Sitis morboſa, I, 419.
ad prognoſim, I, 4.
Sium ſive berula, I, 65.
Skirrhus internus, I, 115.
externus, I, 350.
mammarum, I, 534.
uteri, I, 542.
SLOANE laud. II, 213.
Soda, morbus, I, 245.
Solanum, II, 333.
Soldanella, II, 160.
Solea, II, 535.
Solium vel tænia, I, 28.
Somni defectus vel pervigilium, I, 161.
Somnolentia, I, 152.
Somnus ad menſes protractus, 153.
Sophia chirurgorum, II, 127.
Soporoſi affectus, I, 152.
Sorbus, II, 204, 512.
Spaſmus cynicus, I, 172, 413.
Sparadrapum, II, 354.
eſcharoticum, II, 384.
Sparus, piſcis, II, 536.
Specillorum uſus ad iſchuriam, I, 313.
Sperma ceti, II, 330.
Sperniola, II, 330.
Sphacelus internus, I, 132.
SPIGELIUS laud I, 418.
Spina bifida, I, 560.
ventoſa, I, 89, 474.
Spinacia, II, 495.
Spirandi difficultas, I, 200.
Spiritus animales ad digeſtionem, II, 481.
Spiritus cochleariæ, II, 426.
cephalicus ad nates, II, 410.
florum ſambuci, II, 348.
juniperi, II, 119.
Mindereri, II, 225.
nitri dulcis, II, 30.
ſalis, II, 391.
dulcis, II, 30.
ammoniaci, II, 413.
ſuccinatus, II, *ibid.*
ſuccini, II, 225.
ſulphuris, II, 30.
terebenthinæ, II, 391.
vini, II, 273.
camphoratus, II, 390.
vitrioli, II, 30.
volatilis cornu cervi, II, 308.
viperarum, II, 84.
Spodium, II, 196.
Spongia præparata, I, 341.
Sputa cohibita, I, 64.
cruenta, I, 207.
purulenta, I, 209.
Squilla, piſcis, II, 541.
Stagnatio ſanguinis, I, 113.
puris, I, 113.
STAHL laud. I, 15, II, 40, 242, 286, 333.
crocus martis, II, 129.
Staphiſagria, II, 476.
Staphyloma, I, 399.
Stephenſianum remedium, I, 302.
Steatoma, I, 359.
Sterilitas, I, 518.
Sternutatio, I, 405.
Sternutatoria, II, 408.
Stertor ad prognoſim, I, 4.
Stibium, II, 75.
Stœchas arabica, II, 305.

Stomachi morbi, I, 232.
dolor vel moleſtia, I, 245.
colica, I, 245.
dilaceratio à gangrenâ, I, 133.
hernia, I, 435.
Stomachica, II, 168.
Stork clar. laud. I, 354, II, 276.
Stramonium, II, 333.
Stranguria, I, 309.
Strepitus oſſium, I, 475.
aurium, I, 412.
Stridor dentium ad prognoſim, I, 4.
Stultitia, I, 167.
Stupor generalis, I, 157.
crurum ſpaſmodicus, I, 466.
dentium, I, 418.
Sturio piſcis, II, 530.
Sturnus avis, II, 527.
Styptica interna, II, 120.
externa, II, 360.
Styrax alba vel balſamum peruvianum, II, 138.
calamita, II, 267.
liquida, II, 352.
Subintrans febris, I, 54.
Sublimatus corroſivus, II, 385.
Submerſio in aquam, I, 204.
Subſidentia urinæ, *vid.* uroſcopia.
Subſultus tendinum, I, 5.
Succinum vel karabe, II, 396.
Succiſa, II, 72.
Succus plantarum, II, 4.
adſtringens, II, 123.
antiſcorbuticus, II, 61.
aperiens, II, 88.
detergens ophthalmicus, II, 403.
laxans, II, 153.
reſolvens ad oculos, II, 403.
Sudamina, I, 481.
Sudor anglicus, I, 39.
morboſus, II, 476.
fœtidus, I, 477.
hæmorrhoïdalis, I, 455.
pedum, I, 469.
ad prognoſim, I, 5.
Sudoris retroceſſus, I, 476.
Sudorifica, II, 68.
Suffitus vel ſuffimentum, II, 310.
ad ani prolapſum, II, 460.
mercurialis, II, 473.
reſolvens, II, 343.
ad genitalia, II, 445.
uterinus, II, 447.
Suffocatio, I, 204.
Suffocatio hyſterica, I, 504.
infantum, I, 567.
Suffuſio, I, 401.
Suggillatio, I, 480.
oculorum, I, 401.
Sulphur, II, 475.
Sumach, II, 127.
Superfœtatio, I, 519.
Suppoſitorium, II, 317.
adſtringens, II, 459.
anodynum, II, 459.
ſtimulans, II, 458.
vermifugum, II, 459.
Suppuratio interna, I, 127.
externa, I, 335.
Surditas, I, 410.
ad prognoſim, I, 4.
Surditati dicata, II, 415.
Sus ad rem cibariam, II, 518.
Sutura vulnerum, I, 374.
Swieten, *vid.* Van Swieten.
Sycomorus, II, 505.
Sydenhamus laud. I, 17, 24, 27, 30, 45, 47, 53, 95, 96, 99, 192, 196, 198, 352, 481, 500, 508, 582, II, 285, 333.
Syderatio, I, 132, 378.
Sylvius de Leboe, I, 36, II, 27.
Sympathia ergà cibos, II, 481.
Symphytum, II, 126.
Syncope, I, 226.
cardiaca, I, 189.
Synecha febris, I, 17, 54.
Synocha febris, I, 15.
Syphilis vel lues venerea, I, 81.
Syrupus de abſinthio, II, 190.
de althæâ, II, 252.
antiſcorbuticus, II, 67.
de artemiſiâ, II, 234.
berberis, II, 30.
de betonicâ, II, 307.
capillorum Veneris, II, 252.
caryophyllorum, II, 274.
de cichorio ſimplex, II, 38.
compoſitus, II, 166.
de cochleariâ, II, 67.
de cydoniis, II, 206.
emeticus, II, 146.
de eryſimo, II, 268.
florum aurantiorum, II, 66.
florum perſicorum, II, 190.
de gentianâ, vel mercurialis, II, 241.
glauberianus, II, 146.

Syrupus granatorum, II, 128.
de karabe, II, 284.
de kinakinâ, II, 50.
de limonibus, II, 29.
magiſtralis adſtringens, II, 207.
mercurialis, II, 241.
de moris, II, 425.
myrtinus compoſitus, II, 206.
de nymphæâ, II, 284.
papaveris rhœados, II, 76.
de papavere albo, II, 284.
de pede cati, II, 253.
de pomis, II, 166.
de quinque radicibus, II, 94.
de rhamno carthartico, II, 166.
ribeſiorum, II, 30.
roſatus compoſitus, II, 166.
de roſis pallidis, II, 166.
ſiccis, II, 206.
de ſtœchade, II, 306.
de ſymphyto, II, 258.
de tunicis, II, 274.
de tuſſilagine, II, 252.
violaceus, II, 253.
vini aduſti, II, 263.

T.

TABELLÆ de althæâ, II, 253.
bechicæ, II, 253.
cibariæ, II, 115.
comprimentes magiſtrales, II, 202.
de ſulphure, II, 268.
Tabes, I, 329.
infantum, I, 558.
Tacamahaca, II, 397.
Tænia vel lumbricus latus, I, 282.
Talpa tumor, I, 358, 390.
Tamarindi, II, 162.
Tamariſcus, II, 223.
Tamnus, II, 343.
Tanacetum, II, 189.
Tarantiſmus, I, 366.
Taraxacum, II, 34.
Tartarus, II, 223.
chalybeatus, II, 97.
ſtibiatus, II, 146.
ſolubilis vel ſal vegetabile, II, 97.
vitriolatus, II, 40.
Taurus, ad rem cibariam, II, 517.
Telephium, II, 469.
Tellinæ, II, 542.
Temperantia, II, 31.
Temperantia inter curandas febres, I, 13.
Temulentia, I, 153.
Tendinum ſubſultus, I, 5.
Teneſmus, I, 264.
Terebinthina vulgaris, II, 346.
chia, II, 213.
Terminthus, I, 346.
Terra cimolia cultrariorum, I, 447, II, 448.
foliata tartari, II, 97.
japonica, vel catechu, II, 205.
merita, vel curcuma, II, 239.
ſigillata, vel lemnia, II, 366.
Terroris effectus, I, 25.
Tertiana febris, I, 50.
Teſtacea, vel conchæ præparatæ, II, 196.
Teſtæ ovorum, II, 404.
Teſtium inflammatio, I, 447.
Teſtudo, ex animalibus, II, 15, 543.
tumor, I, 358.
Tetanos, I, 172.
Thea, II, 566.
Theriaca, I, 84.
germanorum, vel extractum juniperi, II, 177.
ruſticorum, vel allium, II, 469.
Thermæ artificiales, II, 473.
naturales, II, 103.
Thoracica externa, II, 428.
interna, II, 242.
Thrombus à venæ ſectione, I, 467.
Thunnus, piſcis, II, 530.
Thus, vel olibanum, II, 396.
Thymallus piſcis, II, 532.
Thymelea foliis lini, II, 382.
laurifolia, II, 161.
Thymus, II, 371.
Tibiarum tumor œdematoſus, I, 348.
ulcus phagedænicum, I, 351.
Tilia arbor, II, 295.
Tinea, piſcis, II, 534.
Tinea infantum, I, 589.
Tincturæ *officinales.*
anodyna, II, 285.
abſinthii, II, 191.
aloes, II, 390.
caryophyllorum, II, 275.
caſtorei, II, 298.
croci, II, 234.
martis tartariſata, II, 95.
myrrhæ, II, 390.
ſennæ, II, 160.
ſtomachica, II, 173.
ſuccini, II, 298.

Tincturæ *magiſtrales.*
rosarum adſtringens, II, 122.
comprimens, II, 199.
analeptica, II, 111.
ſtomachica, II, 173.
Tinnitus aurium, I, 4, 412.
TISSOT clar. laud., I, 12, 197, 259, 500, II, 483, 566.
Tithymalus, vel eſula, II, 158.
vel cataputia, II, 161.
Tonica remedia, II, 109.
Tonſillarum morbi, I, 415.
Tormentilla, II, 203.
Tormina infantum, I, 569.
puerperarum, I, 525.
Torpedo, piſcis, II, 533.
Torquilla, avis, II, 528.
Tortura oris, I, 172, 413.
Toxica medicamina, II, 77.
Tragopogum, II, 503.
Tragacanthum gummi, II, 251.
TRALLES laud. II, 284, 333.
Tranſudationum receſſus, I, 65.
Tremor, I, 154.
manuum ad prognoſim, I, 5.
cordis, I, 221.
TREW laud. II, 116.
Tribades, I, 540.
Tricomanes, vel polythricum, II, 240.
Trifolium acetoſum, II, 25.
hepaticum, II, 36.
TRILLERUS laud. II, 160, 207, 335, 556.
Triſmus, I, 172.
Triplex quartana, I, 52.
Triticum, II, 325, 489.
Trochiſci albi Rhaſis, II, 407.
alhandal, II, 167.
de agarico, II, 167.
de karabe, II, 129.
de minio, II, 384.
Gordoni, II, 130.
ſtomachici magiſtrales, II, 175.
TRONCHIN clar. laud., I, 276, 277.
Trumbus, à venæ ſectione, I, 467.
Trunci affectus, I, 429.
Trutta, piſcis, II, 532.
Tubercula ani, I, 456.
palpebrarum, I, 393.
Tubera, II, 554.
TULPIUS laud., I, 50, 283.
Tumor abdominis in infantibus, I, 574.
adipoſus lumborum, I, 431.
œdematoſus crurum, I, 109, 460.
ab infarctu veſiculæ felleæ, I, 287.
Tumor ſpinalis aqueus recèns natorum, I, 559.
Tumores adipoſi externi, I, 358.
albi artuum, I, 461.
cyſtici interni, I, 120.
externi, I, 358.
flatulenti artuum, I, 462.
lymphatici, I, 359.
à venæ ſectione, I, 467.
oris, I, 413.
skirrhoſi interni, I, 120.
ſcrophuloſi, I, 564.
externi, I, 358.
interni, I, 120.
Tunica, ſeu caryophyllus, II, 73.
Turdus avis, II, 527.
piſcis, II, 535.
Turpethum, II, 159.
minerale, II, 106.
Turtur, II, 524.
Tuſſilago, II, 248.
Tuſſis, I, 184.
infantum, I, 565.
Tuthia, II, 406.
Tympanites, I, 278.
Typus vel acceſſionum febrilium ordo, I, 43.

V.

VACCA ad rem cibariam, II, 517.
Vaccinia nigra, vel myrtilli, II, 128.
Vaginæ prolapſus, I, 543.
Valeriana hortenſis, II, 294.
ſylveſtris, II, *ibid.*
Valerianella, II, 498.
Valgi vel vari, *vid.* diſtorſio.
VALISNIERI laud. I, 282.
VALLERIOLA laud. I, 157.
Vanellus, II, 525.
Vanilla, II, 118.
VAN SWIETEN clar. laud., I, 18, 23, 30, 33, 351, 354, II, 385.
Vapor demulcens ad podicem, II, 459.
adſtringens ad podicem, II, 459.
roborans, II, 369.
ad ſurditatem, II, 416.
Vari, faciei tubercula, I, 392.
Varicocele, I, 449.
Varices, I, 354.
Variolæ, I, 497.
infantum, I, 557.
nothæ, I, 501.
VEDELIUS laud. I, 525.

Venæ ſectio, I, 12, II, 317.
Venæ ſectionis infortunia, I, 467.
Venena, I, 137.
Ventriculi morbi, I, 232.
Ventris intumeſcentia, I, 432.
Ventris ſegnities, I, 265.
infantum, I, 571.
Veratrum vel helleborus albus, II, 411.
Verbaſcum, II, 463.
Verbena, II, 397.
Vermifuga interna, II, 183.
externa, II, 439.
Vermes inteſtinorum, I, 282.
variarum partium, I, 134.
aurium, I, 409.
infantum, I, 572.
Vermium ſigna, I, 282, II, 184.
Veronica mas, II, 56.
aquatica vel becabunga, II, 65.
Verrucæ, I, 360.
ani, I, 456.
genitalium, I, 439.
palpebrarum, I, 395.
Vertigo, I, 142.
Vervex, II, 517.
Vesalius laud. I, 548.
Veſicæ catarrhus, I, 317.
inverſio, I, 436.
prolapſus, I, 434, 436.
purulentia, I, 307.
ſegnities, I, 311.
Veſicantia, topica, II, 378.
Veſicatorium emplaſtrum, II, 381.
Veſiculæ felleæ tumor, I, 287.
Veſparum punctura, I, 365.
Vicia, II, 494.
Victûs ratio, II, 482.
Vigiliæ morboſæ, I, 161.
Vinacea, II, 371.
Vinache ptiſana, II, 59.
Vinca pervinca, II, 424.
Vincetoxicum, II, 80.
Vinum generoſum, II, 272, 488, 558.
Vina græca, II, 560.
gallica, II, 562.
germanica, II, 562.
hiſpanica, II, 561.
hungarica, II, 558.
itala, II, 561.
perſica, II, 558.
Vina *officinalia.*
abſinthites, II, 190.
emeticum, II, 146.
enulatum, II, 175.
Vina febrifugum, II, 43.
hippocraticum, II, 563.
Mouret ad ſcorbutum, II, 66.
ſcilliticum, II, 222.
Vina *magiſtralia.*
analepticum, II, 113.
adſtringens, II, 459.
aduſtum pectorale, II, 263.
antiſcorbuticum, II, 65.
aperiens, II, 89.
detergens, II, 356.
diureticum in chronicis, II, 219.
emmenagogum, II, 228.
febrifugum, II, 43.
pectorale incidens, II, 263.
ſtomachicum, II, 172.
vermifugum, II, 186.
vulnerarium externum, II, 356.
Viola, II, 325.
Viola marina piſcis, II, 540.
Vipera, II, 57.
Viperæ morſus, I, 363.
Viperina, II, 46.
Virga aurea, II, 93.
Virgulæ plumbeæ ad dyſuriam, I, 444.
Viride æris, II, 375.
Virium exolutio, I, 59.
Viſcum quercinum, II, 296.
Vitellus ovi, II, 404.
Vitex vel agnus caſtus, II, 298.
Vitis, II, 513.
alba, vel bryonia, II, 93.
Vitriolum album, II, 406.
cæruleum, II, 406.
viride, II, 366.
Vitrum antimonii, II, 148.
ceratum, II, 207.
Vitulus, II, 517.
Ulcus internum, I, 129.
externum, I, 338.
cancroſum, I, 350.
genitalium, I, 439.
mammarum, I, 534.
narium, I, 407.
oris, I, 415, 580.
renum & veſicæ, I, 307.
tibiarum phagedænicum, I, 351.
uteri, I, 542.
Ulcera exhauſta, I, 65.
Ulmaria, I, 73.
Umbilici prominentia in infantibus, I, 575.
Umbla piſcis, II, 537.
Umbra piſcis, II, 532, 537.

Unguenta *officinalia.*
ægyptiacum, II, 358.
album Rhaſis, II, 476.
baſilicum, II, 353.
de althæâ, II, 431.
de arthanitâ, II, 441.
de ſtyrace, II, 391.
diapompholygos, II, 331.
fuſcum, II, 353.
martiatum, II, 372.
neapolitanum, II, 477.
nutritum, II, 331.
populeum, II, 335.
roſatum, II, 331.
rubrum exſiccans, II, 377.
Unguenta *magiſtralia.*
ad ambuſtionem, II, 472.
cathæreticum, II, 381.
ad nares, II, 411.
ad genitalia, II, 446.
depilatorium, II, 472.
detergens, II, 357.
digeſtivum, II, 351.
emolliens, II, 323.
exſiccans, II, 375.
maturans, II, 351.
mercuriale, II, 473.
ad ſcabiem, II, 471.
Unguis, ſarcoma oculorum, I, 395.
Ungulæ alces, II, 297.
Volatilia ad rem cibariam, II, 484.
Volvulus, I, 251.
Vomica, I, 212.
Vomitoria, II, 140.
Vomitus, I, 238.
ad prognoſim, I, 6.
cruentus, I, 241.
infantum, I, 568.
prægnantium, I, 519.
Voracitas, I, 244.
Vox tremula ad prognoſim, I, 5.
Upupa avis, II, 528.
Urethræ anguſtia, I, 444.
Urethræ ſectio, I, 302.
Urina, ceu medicamentum, II, 346.
cruenta, I, 305.
Urinæ difficultas, I, 309.
examen ad prognoſim, I, 6.
incontinentia, I, 316.
inſolitum profluvium, I, 314.
ſuppreſſio, I, 64, 311.
Urogallus avis, II, 523.
Uroſcopia, I, 6.
Urſus, II, 519.
Urtica, II, 127.
Uteri cancer, I, 542.
hernia, I, 437.
hydrops, I, 548.
inverſio, I, 543.
phlogoſis, I, 541.
Uva urſi, I, 302.
Uvæ paſſæ, II, 250.
Vulneraria interna, II, 130.
externa, II, 354.
pectoralia, II, 254.
Vulnus, I, 371.
à morſu rabidorum, I, 365.
Vulpes ad rem cibariam, II, 520.
Vulvaria, II, 463.
Uvulæ prolapſus, I, 419.
WEDELIUS laud. II, 333.
WEPFERUS laud. I, 138.
WILLISIUS laud. I, 39, 324.

X.

XIPHIAS piſcis, II, 532.

Z.

ZACUTUS luſit. laud. I, 462.
Zea hordei ſpecies, II, 490.
Zedoaria, II, 81.
Zibethum, II, 297.
Zingiber, II, 119, 544.
Ziziphus, II, 510.
Zoſter, I, 491.

Finis Indicis Latini.

TABLE FRANÇOISE.

A.

ABEILLE : ſa piquûre, I, 362.
Abſcès interne, I, 125, 129.
externe, I, 335.
au foie, I, 291.
au ſein, I, 530, 533.
Abricotier, II, 506.
Abſorbans, II, 191.
Abſinthe, II, 188.
Acacia commun & d'Egypte, II, 128.
Acanthe, II, 324.
Accouchement : ſon terme, I, 522.
difficile, I, 523.
Accouchées : leurs maladies, I, 524.
Ache, II, 434, 497.
Acidité des premieres voies, I, 233.
Adiante, II, 248.
Adouciſſans internes, II, 9.
externes, II, 327.
Adſtringens internes, II, 120.
externes, II, 160.
Agaric de deux ſortes, II, 163.
Agacement des dents, I, 418.
Agneau : ſa chair, II, 518.
Affection hypochondriaque, I, 103.
hyſtérique, I, 503.
des accouchées, I, 532.
Aigremoine, II, 35.
Aiguille, poiſſon, II, 539.
Ail, II, 469, 501, 550.
Albettes, poiſſons, II, 540.
Alexiteres, II, 77.
Alkékenge, II, 213.
Alleluya, plante, II, 25.
Alliaire, II, 295.
Aloës de trois ſortes, II, 140.
Aloſe, II, 532.
Alouette, II, 528.
Aloyau, II, 517.
Aluine, II, 188.
Alun, II, 364.
Amadou, II, 364.
Amande, II, 511.
Amandes douces & ameres, II, 15.
Ambre gris, II, 306.
jaune, II, 396.
Ambroiſie, II, 175.
Amertume de la bouche, I, 233.
Ammi de Crete, II, 179.
Ammoniac, gomme, II, 102.
ſel, II, 50.
Amome en grappe, II, 178.
Amygdales : leurs maladies, I, 415.
Ananas, II, 516.
Anaſarque, I, 108.
Anchois, II, 540.
Ancolie, II, 425.
Ane : ſa chair, II, 520.
Aneth, II, 179, 551.
Anevriſme interne, I, 121.
externe, I, 354.
par la ſaignée, I, 467.
Angélique, II, 426.
Angine, I, 423.
catarrhale, I, 425.
convulſive, I, 427.
gangreneuſe, I, 425.
ſquirrheuſe, I, 415.
Anguille, II, 534.
Anis, II, 179, 551.
Ankyloſe, I, 471.
Ankoues, I, 423.
Anus : ſes maladies, I, 451.
ſa chûte, I, 458, 577.
ſes remedes, II, 450.
Anodyns internes, II, 276.
externes, II, 332.
Anodyn minéral, II, 286.
Antimoine crud, II, 75.
diaphorétique, II, 76.
Anti-acides, II, 191.
Anti-dyſenteriques, II, 197.
Anti-émétiques, II, 142.
Anti-épileptiques, II, 287.
Anti-hectique de Poterius, II, 268.
Anti-hyſtériques, II, 287.
Anti-paralytiques, II, 300.
Antipathie, I, 232, II, 481.
Anti-putrides internes, II, 14, 20.
externes, II, 386.
Anti-ſcorbutiques, II, 60.
Antiſpaſmodiques, II, 287.
Anxiété, I, 66, 245.
Apéritifs, II, 85.
Aphthes, I, 415, 580.
Apoplexie, I, 145.

Apozeme, *voyez* la table latine.
Appetit dépravé, I, 509, 520.
perdu, I, 237.
Araignée : ſa piquûre, I, 365.
Arbouſier, II, 512.
Arcane corallin, II, 108.
Ardeur d'eſtomac, I, 245.
d'urine, I, 309.
Argent vif, II, 476.
Argentine, II, 47.
Ariſtoloche ronde & longue, II, 231.
Armoiſe, II, 295.
Arrête-bœuf, II, 221.
Arriere-faix, I, 526.
Arroche, II, 497.
Artichaut, II, 499.
Artifi, II, 503.
Aſcarides, I, 282.
Aſcite, I, 318.
purulente, I, 291.
Aſperge, II, 221, 498.
Aſpic, II, 305.
Aſſoupiſſement, I, 152.
Aſthme, I, 20.
Atrophie générale, I, 329.
des extrêmités, I, 459.
des enfans, I, 558.
Aveine, II, 249.
Avelines, II, 511.
Aune, II, 478.
Aunée, II, 115.
Avoine, II, 249, 491.
Avortement, I, 521.
Aurado, II, 536.
Auriol, II, 528.
Aurifique minéral, II, 147.
Aurone, II, 176.
Aurucou, II, 536.
Auſen, poiſſon, II, 531.
Azerolier, II, 512.

B.

BAINS, II, 310, 312.
pour la paralyſie, II, 473.
artificiels, II, 473.
de vapeurs, II, 311.
Baleine (blanc de), II, 330.
Barbotine, graine, II, 189.
Barbeau, II, 538.
Barbue, II, 536.
Bardane, II, 55.
Baſilic, onguent, II, 353.
plante, II, 370.
Bas-ventre : ſes maladies, I, 232, 432.
ſes topiques, II, 436.
tuméfié des enfans, I, 574.
Batate d'Eſpagne, II, 504.
Baudroie, II, 537.
Baumes *naturels.*
de Copahu, II, 139.
de Judée ou de la Mecque, II, 138.
du Canada, II, 223.
du Pérou, II, 138.
de Tolu, II, 139.
Baumes *officinaux.*
apoplectique, II, 413.
d'Arceus, II, 353.
du commandeur, II, 182.
de Fioraventi, II, 358.
hypnotique, II, 414.
de Lucatel, II, 358.
nervin, II, 372.
de ſoufre aniſé, II, 258.
térébenthiné, *ibid.*
tranquille, II, 334.
verd, II, 384.
univerſel, II, 182.
Baumes *magiſtraux.*
d'alun, II, 356.
ſamaritain, II, 356.
Baume des jardins, II, 552.
Baies de geniévre, II, 177.
de laurier, II, 177.
de nerprun, II, 161.
Bdellium, gomme, II, 449.
Bec de grue, herbe, II, 430.
de liévre : maladie, I, 413.
Bécaſſe, II, 525.
Bécaſſine, II, 525.
Béchiques, II, 242.
Bedouido, II, 528.
Been blanc, II, 304.
Bel eſprit ; ce qu'on en doit craindre, I, 167.
Bélier, II, 517.
Belladone, II, 344.
Benjoin, II, 267.
Benoite, II, 115.
Beque-figue, II, 527.
Berle, I, 65.
Berlue, I, 403.
Bete, II, 324, 496.
Beterave, II, 496.
Bétoine, II, 304.
Beurre ordinaire, II, 549, 329.
de cacao, II, 178.
d'antimoine, II, 384.

Bézoard animal & minéral, II, 83.
Biche, II, 519.
Biere, II, 28, 564.
Bigarotier, eſpece de ceriſier, II, 505.
Bigarrade, ou orange amere, II, 509.
Bile : ſes vices, I, 233, 254.
Bijon, II, 346.
Bitume de Judée, II, 347.
Blanc de baleine, II, 330.
d'œuf, II, 404.
de plomb, ou céruſe, II, 375.
Blanc-manger, II, 113.
Blanc-raiſin, onguent, II, 476.
Bled commun, II, 489.
barbu, ou ſargo, II, 492.
noir, ou de vache, II, 493.
ſarraſin, ou fagopyrum, II, 492.
de Turquie, ou maïs, II, 492.
Bléreau : ſa chair, II, 520.
Bœuf : ſa chair, II, 517.
Blette, II, 497.
Bois de gaïac, II, 73.
de lentiſque, II, 424.
néphrétique, II, 213.
Boiſſon, II, 555.
Bogue, poiſſon, II, 540.
Bol d'Arménie, II, 206.
magiſtral, II, 206.
abſorbant, II, 194.
aſtringent, II, 124.
alexitere, II, 80.
analeptique, II, 114.
anodyn, II, 181.
antiſpaſmodique, II, 291.
apéritif, II, 90.
utérin, II, 230.
calmant, II, 181.
céphalique, II, 303.
comprimant, II, 201.
cordial, II, 271.
dépurant, II, 54.
diaphorétique, II, 71.
émétique, II, 144.
fébrifuge, II, 44.
hépatique, II, 238.
hydragogue, II, 156.
inciſif, II, 100.
pectoral béchique, II, 247.
fondant, II, 264.
vulnéraire, II, 257.
purgatif, II, 156.
réſolutif, II, 135.
ſtomachique, II, 174.
vermifuge, II, 187.
Bol vulnéraire, II, 135.
Bon-henry, plante, II, 497.
Bonne-dame, plante, II, 497.
Borax, II, 105.
Bouc : ſa chair, II, 519.
Bouche : ſes maladies, I, 413.
ſes remedes, II, 418.
Bouffiſſure, I, 348.
Boufron, poiſſon, II, 541.
Bougies, II, 446.
Bouillon-blanc, plante, II, 463.
Bouillon ; ce que c'eſt, II, 4.
adouciſſant, II, 12.
antiſcorbutique, II, 63.
antiſpaſmodique, II, 290.
apéritif, II, 89.
utérin, II, 228.
aſtringent, II, 124.
céphalique, II, 303.
dépurant, II, 53.
diaphorétique, II, 71.
diurétique dans les maladies chroniques, II, 219.
fébrifuge, II, 43.
fortifiant, II, 112.
hépatique, II, 236.
laxatif, II, 155.
pectoral béchique, II, 246.
inciſif, II, 263.
vulnéraire, II, 256.
rafraîchiſſant, II, 23.
ſtomachique, II, 172.
ſudorifique, II, 71.
tempérant, II, 33.
vulnéraire, II, 135.
Boule de mars, II, 359.
Boulimie, I, 244.
Bouquetin (ſang de), II, 267.
Bourbillon des furoncles, I, 346.
Bourdelais, raiſin, II, 513.
Bourgene, arbre, II, 474.
Bourgeons du viſage, I, 391.
Bourgepine, II, 161.
Bourrache, II, 35.
Bourſe à berger, II, 127.
Bourſes : ſes maladies, I, 447.
Bourſoufflure, I, 348.
Bouſcallo, II, 527.
Boutons du viſage, I, 391.
Brandevin, II, 564.
Brame, poiſſon, II, 534, 536.
Brancurſine, II, 324.
Brebis, II, 517.
Brochet, II, 533.

Brocoli, II, 496.
Broncocele, I, 390.
Brouiſſement d'oreille, I, 412.
Brûlure, I, 375.
Brunelle, II, 137.
Bryone, II, 93.
Bubon, I, 342.
pestilentiel, I, 33.
vénérien, I, 81.
Bubonocele, I, 433.
Buffle : ſa chair, II, 517.
Bugle, II, 137.
Bugloſſe, II, 72.
Buis, II, 74.

C.

CABARET, plante, II, 145.
Cacao, II, 178.
Cachet eſcarotique, II, 384.
Cachou, II, 205.
Cachexie, I, 73.
Cadmie, ou pierre calaminaire, II, 375.
ou tuthie, II, 406.
Caffé, II, 556.
Cagareou, poiſſon, II, 540.
Cagneux, *voyez* diſtorſio oſſium.
Caille, oiſeau, II, 527.
Caillé, ou lait caillé, II, 556.
Caille-lait, herbe, II, 295.
Calament, herbe, II, 305.
Calamine, pierre, II, 375.
Calandro, II, 528.
Calcul des reins & de la veſſie, I, 299.
Calebaſſe, II, 500.
Calemar, poiſſon, II, 541.
Calmans anodyns, II, 276.
antiſpaſmodiques, II, 287.
Camomille, II, 462.
Camphre, II, 282.
Camphrée, II, 266.
Canard, II, 525.
Canari, oiſeau, II, 519.
Cancer, maladie, I, 350.
de la bouche, I, 415.
des mammelles, I, 534.
de la matrice, I, 542.
Cannelle ordinaire, II, 118, 544.
blanche, II, 305.
Cantharides, II, 383.
Cantheno, poiſſon, II, 538.
Capillaires, herbes, II, 36.
Capillaire blanc, ou filicula, *ibid.*
Capillaire de Montpellier, ou adiantum, II, 248.
commun, ou filicula, II, 36.
de Canada, ou adiantum, II, 248.
Caprier, II, 92, 553.
Cardamome, II, 118.
Cardialgie, I, 245.
Cardons, II, 499.
Carie des os, I, 473.
Carline, II, 56.
Carminatif, II, 168.
Carnoſité prétendue de l'urethre, I, 444.
Carote, II, 501.
Carouge, II, 250, 512.
Carreau, maladie des enfans, I, 574.
Carpe, II, 534.
Cartame, II, 160.
Caſcarille, II, 48.
Carvi, II, 180, 552.
Caſſave de l'Amérique, II, 490.
Caſſe, II, 161.
Caſſis, II, 26.
Caſtoreum, II, 297.
Catalepſie, I, 172.
Cataplaſme, *voyez* la table latine.
Catapuce, II, 161.
Cataracte, I, 401.
Catarrhe commun, I, 70, 184.
ſuffocant, I, 189, 567.
de la veſſie, I, 317.
des enfans, I, 565.
CATESBI laud. II, 49.
Cathérétiques, II, 378.
Catholicon, électuaire, II, 167.
Cavillo, poiſſon, II, 538.
Cauquirado, II, 528.
Cautere, II, 319, 320.
actuel, I, 363, II, 319, 378.
Cédrat, II, 509.
Celeri, II, 497.
Cendres gravelées, II, 386.
Centaurée (petite), II, 47.
Centinode, II, 126.
Céphaliques, II, 300.
Cérat adouciſſant magiſtral, II, 328.
aſtringent magiſtral, II, 363.
blanc de Galien, II, 331.
de pierre calaminaire, II, 377.
Cercifi, II, 80, 501.
Cerf, II, 518.
Cerfeuil, II, 176, 552.
Ceriſes, II, 505.

Cerneaux, II, 511.
Céruſe, II, 375.
Ceterac, II, 240.
Cévadille, II, 476.
Chacril, II, 48.
Chaleur; maladie, I, 57.
Chameau; ſa chair, II, 519.
Chamois; ſa chair, II, 519.
Champignons, II, 553.
Chancre; maladie, I, 350.
de la bouche, I, 415.
des mammelles, I, 534.
de la matrice, I, 542.
Chanvre; ſon huile, II, 325.
Chapon, II, 522.
Charbon de terre, II, 347.
Charbon; tumeur, I, 344.
Chardon bénit, II, 73.
roland, II, 92.
Chardonneret, oiſeau, II, 529.
Chartre; maladie, I, 584.
Chaſſelas, raiſin, II, 513.
Chaſſie, I, 396.
Chataignier, II, 510.
Chataigne de mer, II, 542.
Chat; ſa chair, II, 520.
Chatouillement, I, 67.
Chaude-piſſe des hommes, I, 441.
des femmes, I, 539.
Chauſſe-trape, II, 221.
Chaux, II, 468.
Chelidoine, II, 474.
Chervi, ou racine ſucrée, II, 503.
Cheval; ſa chair, II, 520.
Chevre, II, 519.
Chevrette de mer, II, 542.
Chevreuil & chevrette, II, 519.
Chicorée, II, 34, 495.
Chien; ſa chair, II, 520.
de mer, II, 532.
Chiendent, plante, II, 34.
Chipardris, oiſeau, II, 527.
Chocolat, II, 566.
Cholera morbus, I, 253.
Chou, II, 496.
rouge pommé, II, 248.
marin, ou ſoldanelle, II, 160.
Chûte de l'anus, I, 458, 577.
de la luette, I, 419.
du vagin & de la matrice, I, 543.
Ciboule, II, 551.
Cidre, II, 26, 565.
Ciguë, poiſon, I, 138.
Ciguë, remede, II, 344.
Cimolée, terre des couteliers, I, 447, II, 448.
Cinnabre naturel & artificiel, II, 107.
d'antimoine, II, 108.
Cinogloſſe, II, 358.
Cire a cacheter, II, 426.
Ciroene, emplâtre, II, 348.
Cirons, I, 479.
Citron, II, 509.
Citronelle, ou méliſſe, II, 295.
Citrouille, II, 500.
Civette, II, 297.
Clavelado, II, 533.
Clauviſſo, II, 542.
Clyſtere, II, 317.
Cloportes, II, 93.
Clou, tumeur, I, 346.
hyſtérique, douleur, I, 381, 504.
Clou de girofle, II, 177, 545.
Cochemar, I, 163.
Cochenille, II, 224.
Cochon; ſa chair, II, 518.
de lait, II, 518.
Cocq commun, II, 522.
d'inde, II, 523.
Coene du ſang, I, 227.
Coignaſſier, II, 204, 508.
Colique bilieuſe, I, 267.
inteſtinale, I, 267.
d'eſtomac, I, 245.
hépatique, I, 287.
néphrétique, I, 296.
des peintres, I, 269.
de Poitou, I, 275.
venteuſe, I, 268.
Collyre, ce que c'eſt, II, 314.
Collyres *officinaux*.
de Charras, II, 407.
de Lanfranc, II, 358.
Collyres *magiſtraux*.
adouciſſant, II, 401.
deſſiccatif & déterſif, II, 402.
diſcuſſif, II, 401.
répercuſſif, II, 401.
réſolutif, II, 401.
Coloquinte, II, 162.
Commotion du cerveau, I, 386.
Concombre des jardins, II, 499.
ſauvage, II, 166, 431.
Concrétions polypeuſes, I, 20.
Condylome, I, 360, 439, 450.
Confection alkermes, II, 274.

Confection d'hyacinthe, II, 274.
Hamec, II, 267.
Conſomption, I, 329, 558.
Conſoude (grande), II, 126.
Conſtipation, I, 265.
des enfans, I, 571.
Contorſion de la bouche, I, 172, 413.
Contraction des membres, I, 459.
Contuſion, I, 480.
Contre-venins, II, 77.
Contre-vers, II, 183.
Convulſion, I, 4, 172, 578.
Convulſionnaires, I, 173.
Coq, II, 522.
d'inde, II, 523.
Coquelicot, II, 249.
Coqueluche, I, 184, 565.
Coqueret, II, 213.
Coquillages, II, 196.
Corail, II, 195.
Coralline, II, 190.
Cordiaux, II, 269.
Coriandre, II, 177, 551.
Cormes, II, 204, 512.
Corne de cerf, II, 82.
préparée, II, 196.
plante, II, 363, 498.
Cornichons, II, 499.
Cornouillier, II, 204, 512.
Corps étrangers, I, 134.
Cors aux pieds, I, 465.
Coſmétiques, II, 392.
Coucou, II, 528.
Couleuvre, II, 57.
Couleuvrée, ou bryone, II, 93.
Coulis des cuiſines, II, 485, 549.
Coup de ſoleil, I, 384.
de ſang, I, 147.
à la tête, I, 386.
Couperoſe, maladie, I, 391.
Courbature, I, 15, 57.
Couronne impériale, II, 324.
Courge, II, 500.
Cournudos *vernaculè*, I, 389.
Cours de ventre, I, 255.
Couſins, leur piquure, I, 366.
Cram, eſpece de raifort, II, 64, 503.
Crachement de ſang, I, 207.
Crampe, I, 66, 466.
Crâne, ſa fracture, I, 286.
remede, II, 297.
Crapaud, ſa morſure, I, 354.
remede, II, 224.
Craie, II, 196.
Crême de lait, II, 556.
de pain, II, 113.
de riz, d'orge, &c, II, 13.
de tartre, II, 38.
Creſſon alénois, II, 411, 498.
d'eau, II, 65, 498.
Crêtes de l'anus, &c, I, 439, 456.
Criſes, I, 9, 19.
Croûte de lait des enfants, I, 589.
Crudités des premieres voies, I, 233.
Cryſtal minéral, II, 286.
Cryſtalline, maladie, I, 348, 438.
Cubebes, II, 178.
Cucurbitins, vers, I, 282.
Cumin, II, 180.
Curage, ou perſicaria, II, 102.
Cuſcute, II, 56.
Cynogloſſe, II, 358.
Cygne, II, 526.

D.

Daim, II, 519.
Dattes, II, 250, 510.
de mer, II, 542.
Danſe de S. Vit, I, 173.
Darnagas, II, 529.
Dartre, I, 482.
Dauphin, II, 530.
Décoction, II, 4. *voy.* la Table latine.
blanche, II, 122.
Défaillance, I, 226.
Déglutition difficile, I, 420.
Dégoût, I, 237.
Délire fébrile, I, 4, 169.
mélancholique, I, 164, 167.
Délayants, II, 9.
Démangeaiſon, I, 482.
Dent de lion, II, 34.
Dentelaire, II, 282.
Dents, leurs maladies, I, 412.
Dentition des enfants, I, 581.
Dépilatoire, II, 472.
Dépôt, I, 127.
Dépurants, II, 51.
Deſcente, ou hernie, I, 433.
Deſſiccatifs, II, 373.
Déterſifs internes, II, 130.
externes, II, 354.
Dévoiement, I, 255.
Diabete, I, 314.
Diacode, ou ſyrop de pavot, II, 284.
Diagrede, II, 164.
Diapalme, emplâtre, II, 377.

Diaphénic, II, 461.
Diaphorétiques, II, 68.
Diaphorétique minéral, II, 76.
Diaprun, II, 167.
Diaſcordium, II, 207.
Diarrhée, I, 255.
des femmes groſſes, I, 509.
des enfants, I, 570.
Dictame blanc, ou fraxinelle, II, 294.
de Crete, II, 117.
Diete, ſes avantages, I, 11, 14.
Difficulté d'avaler, I, 420.
d'uriner, I, 309.
de reſpirer, I, 200.
Digeſtion naturelle, I, 232.
ſes vices, I, 232.
Digeſtifs, II, 349.
Diſcuſſifs, II, 336.
Diurétiques dans les maladies aiguës, II, 208.
dans les chroniques, II, 215.
externes, II, 439.
Dompte-venin, II, 80.
Dorade, poiſſon, II, 536.
Dorée, poiſſon, II, 538.
Doſes, maniere de les déterminer, II, 2.
leur tableau, II, 7.
Douche, II, 312.
Douleur, I, 66; *voy.* la Table latine.
de dents, I, 417.
Dourmillouſo, poiſſon, II. 533.
Dyſenterie, I, 258.
épidémique, I, 26.
blanche, I, 260.
Dyſurie, I, 309, 442, 444.

E.

Eau commune, II, 555.
diſtillée, II, 18.
Eaux *minérales froides*, II, 28.
de Boulogne, II, 233.
de Cranſac, II, 180.
de Forges, II, 233.
de Meine, II, 29.
de Miers, II, 164.
de Monfrin, II, 29.
de Paſſy, II, 180.
de Provins, II, 233.
de Sedlitz, II, 164.
de Sainte-Reine, II, 29.
de Seltz, II, 57.
Eaux de Spa, II, 57.
de Vals, II, 29.
de Veſoul, II, 29.
d'Youſet, II, 57.
Eaux *thermales*, II, 103.
d'Aix en Provence, II, 135.
la Chapelle, II, 104.
de S. Amant, II, 58.
de Bagnieres, II, 347.
de Bagnols, II, 475.
de Barège, II, 104.
de Balaruc, II, 181.
de Bones, II, 268.
de Bourbon-l'Archambaut, II, 241.
Lanci, II, 49.
de Bourbonne, II, 58.
de Coterets, II, 181.
de Dax, II, 371.
de Digne, II, 104.
de Luxeuil, II, 306.
du Mont d'Or, II, 267.
de la Motte, II, 165.
de Plombiere, II, 181.
de Vichi, II, 94.
Eaux *officinales*.
de chaux, II, 468.
de cannelle, II, 274.
des carmes, II, 297.
divine, cordiale, II, 275.
de Fernel, déterſive, II, 359.
impériale, II, 275.
de Luce, II, 413.
de fleur d'orange, II, 66.
de frai de grenouilles, II, 330.
mercurielle ou eſcarotique, II, 384.
des trois noix, II, 82.
ophthalmique, II, 466.
phagedenique, II, 384.
de Rabel, II, 129.
de la reine de Hongrie, II, 412.
de roſes, II, 160.
ſtiptique, II, 412.
theriacale, II, 274.
de vie, II, 273, 564.
vulnéraire, II, 348.
Eaux *magiſtrales*.
acidule, II, 20.
aſtringente, II, 410.
alumineuſe, II, 362, 365.
antiſpaſmodique, ou camphrée, II, 289.
calmante, II, 279.
ferrée, II, 87.
hépatique, II, 236.

Eau de goudron, II, 181.
de Goulard, II, 398.
de riz, d'orge, &c, II, 11.
minérale purgative, II, 151.
artificielle, II, 87, 473.
nitrée, II, 20.
de poulet, de veau, &c, II, 11.
de rhubarbe, II, 87, 151.
ſcarotique, II, 380.
vermifuge, II, 183.
de vie allemande, II, 153.
Eblouiſſement, I, 142.
Ebullition, maladie de la peau, I, 481.
Ecaille d'huitre, II, 542.
Echalotte, II, 551.
Echauboulure, I, 481.
Echauffement, I, 57.
Echymoſe, I, 467, 480.
des yeux, I, 401.
Eclaire, II, 474.
Ecorce de grenade, II, 204.
Ecorchure, I, 592.
Ecreviſſe de mer, II, 541.
de riviere, II, 541.
Ecrouelles, I, 88.
Ecureuil, ſa chair, II, 520.
Edême général, I, 348.
des extrêmités, I, 109, 460.
Eglantier, II, 25.
Elan, ſon pied, II, 297.
Elemi, gomme, II, 353.
Elixir de Garus, II, 182.
de propriété, II, 299.
de Stougton, II, 183.
Ellébore noir, II, 145.
Embonpoint exceſſif, I, 327.
Embrocation, ce que c'eſt, II, 312.
réſolutive, II, 338.
ſcorbutique, II, 472.
Emétiques, I, 13, II, 140.
Emolliens, II, 321.
Empereur, poiſſon, II, 531.
Emphyſême, I, 348.
Emplâtre, *voy.* la Table latine.
de l'abbé de Graſſe, II, 331.
ciroene, II, 348.
contre la goute, II, 469.
du prieur de Cabrieres, II, 443.
de blanc de baleine, II, 435.
de Nuremberg, II, 377.
Empyeme, I, 212.
Emulſion, *voy.* la Table latine.
Encens, II, 396.
Enchifrenement, I, 404.
Enchois, II, 540.
Endive, II, 495.
Enfants, leurs maladies, I, 551.
Enflure des jambes, I, 348.
Engelures, I, 464.
Engorgements internes, I, 115.
des mammelles, I, 530, 533.
Engourdiſſement, I, 157.
des jambes, I, 466.
Entouement, I, 183.
Enterocele, I, 433.
Entorſe, I, 468.
Envie des femmes groſſes, I, 520, 593.
Epanchement, I, 113, *voy.* Hydrops.
Epeautre, II, 491.
Eperlan, poiſſon, II, 540.
Epices, II, 485.
Epilepſie, I, 177.
des enfants, I, 179, 578.
Epinars, II, 495.
Epine-vinette, II, 25, 515.
Epiplocele & épiplomphale, I, 433.
Epithême, *voy.* la Table latine.
Epithyme, II, 56.
Eponge d'églantier, II, 26.
Epreintes, I, 264.
Epuiſement, I, 59.
Epurge, II, 161.
Eréſipele, I, 491.
boutonné, I, 491.
Ergot, ſorte de ſeigle,
Ers, plante, II, 352, 494.
Eruptions, I, 8, 481.
rentrées, I, 64.
Eſcargot, II, 542.
Eſpadon, poiſſon, II, 531.
Eſpeautre, II, 490.
Eſprit, *voy.* la Table latine.
Eſquinancie, I, 423.
Eſquine, II, 72.
Eſquirre, I, 115.
externe, I, 350.
des mammelles, I, 534.
de la matrice, I, 542.
Eſſence, *voy.* la Table latine.
Eſſence de girofle, II, 427.
Eſſence de thym, II, 427.
Eſtomac, ſes maladies, I, 232.
Eſtomachiques, II, 168.
Eſtragon, II, 176, 550.
Eſule, II, 158.
Eternuement, I, 405.
Etourneau, II, 527.

Eturgeon, II, 530.
Etuves, II, 311.
Eupatoire d'Avicenne, II, 239.
de Meſué, II, 240.
des Grecs, II, 35.
Evacuations ſupprimées, I, 64.
Evanouiſſement, I, 226.
Euphorbe, II, 383.
Euphraiſe, I, 403, II, 407.
Exanthême, I, 480.
Excoriation, I, 375.
Excroiſſance, *voy.* Sarcoma.
Exfoliation des os, I, 473.
du cœur, I, 132.
Exoſtoſe, I, 471.
Extrait, *voy.* la Table latine.
Extrêmités, leurs maladies, I, 358, 429, 458.
leurs remedes, II, 464.

F.

Face hippocratique, I, 330.
Faim canine, I, 244.
Faiſan, II, 523.
de montagne, II, 523.
de mer, II, 532.
Faon, II, 519.
Farlouſe, II, 528.
Fauſſe angine, I, 389, 425.
couche, I, 521.
groſſeſſe, I, 545.
hydrocele, I, 448.
pleuréſie, I, 99.
péripneumonle, I, 198.
Favouillo, II, 542.
Faux germe, I, 521.
Fébrifuges, II, 40.
Fecules, II, 93, 102, 411.
Fenouil, II, 552.
Fenugrec, II, 345.
Fer, ou mars, II, 94.
Fer chaud, maladie, I, 245.
Fétus mort, I, 522.
Feu volage des enfants, I, 589.
Féve de marais, II, 352, 494.
Féverole, II, 494.
Fics à l'anus, I, 456.
Fievre, *voy.* la Table latine.
Filipendule, II, 222.
Figues, II, 505.
graſſes, II, 352.
Fiſtule, I, 338.
lacrymale, I, 397.
Fiſtule à l'anus, I, 457.
Flatuoſités, I, 278.
Fleur de muſcade, II, 82.
de benjoin, II, 268.
martiales de ſel ammoniac, II, 97.
de ſoufre, II, 258.
Fleurs blanches, I, 536.
Flions; coquilles, II, 542.
Flux céliaque, I, 255.
dyſenterique, I, 255.
hémorrhoïdal immodéré, I, 453.
ſupprimé, I, 454.
hépatique, I, 259.
lientérique, I, 255.
menſtruel; ſes vices, I, 511.
méſentérique, I, 259.
de ſang, I, 258.
de ventre, I, 255.
Flux ſupprimés, I, 64.
Fluxions, I, 70.
Follete, I, 184.
Fomentation, *voyez* fotus dans la table latine.
Fortifians, II, 109.
Fougere, II, 188.
Foulque, II, 526.
Foye; ſes maladies, I, 287.
ſes remedes, II, 234.
Foye des animaux, aliment, II, 520.
Foye d'antimoine, II, 148.
Fracture des os, I, 470.
du crâne, I, 386.
Frai de grenouille, II, 330.
Fraiſier, II, 24, 514.
Framboiſe, II, 514.
Francolin, II, 524.
Frauco, II, 526.
Fraxinelle, II, 294.
Frêne, II, 416.
Friction, *voyez* linimentum.
Friſſon, I, 8, 154.
Fromage, II, 556.
à la crême, II, 556.
Froment, II, 325, 489.
Fumeterre, II, 56.
Fumigation, II, 310.
mercurielle, II, 473.
réſolutive, II, 343.
Furoncle, I, 346.

G.

Gagé, *oiſeau*, II, 527.
Galanga, II, 81.

Galbanum, II, 449.
Gale ; maladie, I, 485.
des enfans, I, 591.
Galès, *vernaculè*, I, 389.
Galino, oiſeau, II, 522.
poiſſon, II, 538.
Galineto, poiſſon, II, 540.
Galles, II, 128.
Ganglion (tumeur, I, 359.
Gangrene interne, I, 132.
externe, I, 378.
Garance, II, 92.
Gargariſme, *voyez* la table latine.
Garou, arbriſſeau, II, 382.
Gayac, bois, II, 73.
Geai, II, 527.
Gelée, *voyez* la table latine.
Gelinote des bois, II, 524.
Gencives, leurs maladies, I, 413.
Genet, II, 222.
Genepi, eſpece d'abſinthe, II, 189.
Geniévre, II, 177.
Gentiane, II, 46.
Germandrée, II, 47.
Gerofles, II, 177, 545.
Gerſure des levres, I, 413.
Gingembre, II, 119, 544.
Glaires de l'eſtomac, I, 233.
de la veſſie, I, 317.
Glande au ſein, I, 534.
Glands bons à manger, II, 510.
Glayeul, II, 411.
Glouteron, II, 55.
Glu, II, 296.
Gobelet émétique, II, 76.
Gomme, *voyez* la table latine.
Gonorrhée, I, 441.
des femmes, I, 539.
Goudron, II, 353.
Gorge-rouge, oiſeau, II, 528.
Gouêtre, I, 89, 390.
Goujon, poiſſon, II, 539.
Goût dépravé, I, 509, 520.
perdu, I, 337.
Goute ; maladie, I, 93.
remontée, I, 97.
Goute-roſe ; maladie, I, 391.
ſereine, I, 403.
Gouttes d'Angleterre, II, 307.
— anodynes d'Hoffman, II, 286.
de Sydenham, II, 285.
du général la Mothe, II, 307.
Gouteto, I, 578.
Graine barbotine, II, 189.
Graine d'écarlate, II, 273.
de lin, II, 14.
de paradis, II, 118.
de perroquet, II, 160.
Grains de vie, II, 168.
Graïo, oiſeau, II, 527.
Graiſſes, II, 329.
Grandoulo, oiſeau, II, 524.
Grand raifort, II, 64, 503.
Grande conſoude, II, 126.
Grande éclaire, II, 474.
Gratecul, II, 25.
Gratiole, II, 461.
Gravelle des reins, I, 299.
des paupieres, I, 394.
Grêle des paupieres, I, 394.
Grenade, II, 204, 509.
Grenouille, II, 542.
Grenouillette ; tumeur, I, 414.
Grincement des dents, I, 4.
Griotier, II, 505.
Grippe, I, 184.
Grive, II, 527.
Groſeilles rouges, II, 26, 515.
blanches ou perlées, II, 515.
Groſſeſſe ; ſes ſignes, I, 519.
ſes maladies, I, 519.
Gruau, II, 36, 492.
Guepes ; leur piquûre, I, 365.
Gui de chêne, II, 296.
Guimauve, II, 13.

H.

Hale (le) I, 480.
Haleine puante, I, 418.
Hareng II, 539.
Haricot, II, 494.
Haut-mal, ou épilepſie, I, 177.
des enfans, I, 179.
Hellebore blanc, II, 411.
Hématite, pierre, II, 366.
Hémiplégie, I, 156.
Hémoptyſie, I, 207.
Hémorrhagie, I, 332.
Hémorrhoïdes, I, 451, 577.
blanches, I, 455.
Hépatique, plante, II, 240.
Hépatiques, remedes, II, 234.
Hépatite, maladie, I, 290.
Herbe aux charpentiers, II, 137.
aux chats, II, 231.
aux cuillers, II, 64.

Herbe dorée, II, 240.
à pauvre homme, II, 461.
aux poux, II, 476.
aux puces, II, 249.
à Robert, II, 430.
vulnéraires, II, 137.
Hériſſon de terre, II, 520.
de mer, II, 542.
Hernie, I, 433, *voyez* la table latine.
venteuſe, I, 449.
Herniole, II, 212.
Héron, oiſeau, II, 525.
Hêtre, II, 513.
Hirondelle, II, 529.
ſon nid, II, 431.
Hippocras, II, 563.
Homar, poiſſon, II, 542.
Hoquet, I, 5, 230.
Houblon, II, 239.
Huile, *voyez* la table latine.
d'olive, II, 548.
de noix, II, 352, 549.
de petits chiens, II, 372.
de tartre par défaillance, II, 474.
Huitres, II, 542.
Humeurs froides, I, 89.
Hupe, oiſeau, II, 528.
Hydatides, I, 319, 349.
des paupieres, I, 394.
Hydragogues, II, 148.
Hydrocele, I, 448.
fauſſe, *ibidem.*
Hydrocephale, I, 583.
Hydromel, II, 252.
vineux, II, 565.
pectoral béchique, II, 244.
inciſif, II, 261.
vulnéraire, II, 255.
purgatif, II, 151.
Hydromphale, I, 437.
Hydrophobie, I, 367.
Hydropiſie, I, 108.
du bas-ventre, I, 318.
des enfans, I, 559.
enkiſtée, I, 319, 323.
de la matrice, I, 548.
des ovaires, *ibidem.*
du péricarde, I, 217.
de la poitrine, *ibidem.*
Hypociſte, II, 205.
Hypochondrie, I, 103.
Hypogaſtrocele, I, 437.
Hypopyon, I, 399.
Hyſope, II, 266.
Hyſteric, I, 503.
des accouchées, I, 534.
Hyſtériques, remedes, II, 287.

I.

Jalap, II, 159.
Jambons, II, 518.
Jaune d'œuf, II, 404.
Jauniſſe, I, 293.
des enfans, I, 561.
Impératoire, II, 64.
Impuiſſance, I, 441.
Inciſifs, remedes, II, 98.
Incontinence d'urine, I, 316.
du ventre, I, 255.
Incraſſans, II, 9.
Incube, I, 163.
Indigeſtion, I, 232.
Infiltration, I, 348.
Inflammation, I, 123; *voyez* la table lat.
Infuſion, II, 3; *voyez* la table latine.
Injection, II, 313; *voyez* la table latine.
Inquiétudes nocturnes, I, 66.
Inſectes de différentes parties, I, 134, 409.
Inſomnie, I, 161.
Joubarbe, II, 397.
Ipecacuanha, II, 135.
Iris commune, II, 389.
de Florence, II, 389.
Iſchurie, I, 311, 444.
des enfans, I, 576.
Ivette, herbe, II, 469.
Jujubes, II, 250, 510.
Julep, II, 5; *voyez* la table latine.
Ivoire, II, 75.
Juſquiame, II, 430.

K.

Kali, ou ſoude, II, 103.
Karabé, ou ambre jaune, II, 396.
Kermès, ou graine d'écarlate, II, 273.
minéral, II, 147.
Kynorrhodon, II, 25.

L.

Labdanum, II, 371.
Lacque, gomme, II, 426.
Laie, II, 518.
Laine graſſe, II, 431.
Lait; ſes eſpeces, II, 15, 556; *voyez* la table latine.

Lait épanché ; maladie, I, 530.
Lait de poule, II, 405.
virginal, II, 398.
Laitue, II, 495.
Lamantin, poiſſon, II, 531.
Lamproie, II, 535.
Langue ; ſon examen dans les maladies, I, 4.
avalée, I, 568.
Langue de cerf, plante, II, 239.
de chien, plante, II, 358.
Langouto, II, 542.
Lapin, II, 346, 519.
Larmoyement, I, 396.
Lavande, II, 305.
Lavement ; *voyez* clyſter.
Laudanum, II, 284.
liquide, II, 285.
Lauréole, II, 161.
Laurier, II, 177.
ceriſe, II, 177.
Laxatifs, II, 148.
Laye ; ſa chair, II, 518.
Lénitif, électuaire, II, 167.
Lentille, II, 493.
Lentiſque, II, 424.
Lépre, I, 488.
Léthargie, I, 152.
Leucophlegmatie, I, 108.
Lévres ; leurs maladies, I, 413.
leur examen, I, 4.
Lienterie, I, 255.
Lierre terreſtre, II, 257.
Liévre, II, 518.
Limaçon, II, 397, 542.
Limande, II, 539.
Limaille de fer, II, 94.
Limon, II, 548.
Limonade, II, 548.
Lin, plante, II, 14.
Linaire, II, 463.
Lingoumbaou, écreviſſe, II, 541.
Liniment ; *voyez* la table latine.
Linotte, oiſeau, II, 529.
Liqueur anodyne minérale, II, 286.
Liquidambar, II, 352, 223.
Litharge, II, 376.
Loche, poiſſon, II, 540.
Lochies, I, 527.
ſupprimées, I, 527.
abondantes, I, 528.
Lombrils, I, 282.
Longo-lengo, oiſeau, II, 528.
Looch, ce que c'eſt, II, 5.
antiputride, II, 22.
Looch aſtringent, II, 123.
pectoral béchique, II, 245.
inciſif, II, 261.
purgatif, II, 152.
réſolutif, II, 134.
vulnéraire, *ibidem.*
Lorry, clar. laud. I, 165.
Lotion, II, 313.
Loup, ulcere aux jambes, I, 351.
Loup marin, II, 535.
Loupe, tumeur, I, 359.
Luette relâchée, I, 419.
Lupin, II, 346.
Luxation, I, 469, 470.
Lycanthropie, I, 165.
Lys, II, 252.
des vallées, II, 296.

M.

Macaron, II, 511.
Mache, II, 498.
Macis, II, 545.
Macreuſe, II, 526.
Magiſtere de ſoufre, II, 259.
Magnéſie blanche, II, 196.
Maigre, poiſſon, II, 531.
Maigreur, I, 329.
Mal d'aventure, I, 462.
aux dents, I, 417.
caduc, I, 177.
des enfans, I, 179, 578.
de gorge, I, 425.
gangreneux, I, 426.
Maladie du pays, I, 165.
pédiculaire, I, 478.
des hanches, I, 586.
Maladies des accouchées, I, 524.
de l'anus, I, 45.
de la bouche, I, 413.
des enfans, I, 551.
de l'eſtomac, I, 232.
externes du bas-ventre, I, 432.
de la poitrine, I, 428.
des extrêmités, I, 429, 458.
des femmes, I, 503.
groſſes, I, 519.
internes du bas-ventre, I, 232.
de la poitrine, I, 181.
des lombes, I, 430.
du nez, I, 404.
des oreilles, I, 409.
des os, I, 470.
des parties génitales, I, 438, 536.

Maladies de la peau, I, 476, 589.
du ſein, I, 533.
du tronc, I, 428.
des yeux, I, 393.
MALOUIN clar. laud. II, 490.
Malvoiſie, II, 562.
Mammelles, leurs maladies, I, 533.
leurs remedes, II, 432.
Mandragore, II, 333.
Manie, I, 167.
Maniot de l'Amérique, II, 490.
Manne, II, 163.
Manus Dei, emplâtre, II, 348.
Maquereau, poiſſon, II, 536.
Maraſme, I, 329.
des enfans, I, 558.
Marc des raiſins, II, 371.
Marcaſſin, II, 518.
Marjolaine, II, 412.
Marlus, II, 536.
Maronier, II, 510.
d'inde, II, 412.
Marque de naiſſance, I, 479.
Marroquin, raiſin, II, 513.
Mars, ou le fer, II, 94.
Marrube, II, 231.
Marſouin, poiſſon, II, 530.
Martre; ſa chair, II, 520.
Maſſepain, II, 511.
Maſtic, II, 425.
Matricaire, II, 231.
Mauve, II, 324.
Mauviette, II, 528.
Maturatifs, II, 349.
Mayenne fruit, II, 515.
Mecoacan, II, 159.
Mélancholie, I, 164.
Meleto, poiſſon, II, 540.
Melilot, II, 462.
Méliſſe des jardins, II, 295.
ſauvage, II, 212.
Melon, II, 499.
Mémoire; ſes léſions, I, 569.
Menſtrues; leurs maladies, I, 511.
dérangées, I, 515.
immodérées, I, 515.
irrégulieres, I, 515.
laborieuſes, I, 514.
retenues dans la matrice, I, 547.
ſupprimées, I, 511, 512.
Mente, II, 434, 552.
Mercure, II, 476.
doux, II, 105.
Mercure précipité, II, 385.
de vie, II, 147.
Mercuriale, II, 461.
Mériſier, II, 505.
Merlan, II, 536.
Merle, II, 527.
Merluche, II, 535, 537.
Méſange, II, 529.
Meurier, II, 188, 505.
Meure de renard, II, 515.
Meure, tubercule des paupieres, I, 394.
Meurtriſſure, I, 480.
Miel commun, II, 251, 549.
anthoſat, II, 462.
mercuriel, II, 462.
roſat, II, 425.
violat, II, 461.
vitriolé, II, 357.
Migraine, I, 381.
Milan de mer, II, 538.
Mille-feuille, II, 137.
pertuis, II, 136.
Millet, II, 492.
Minium, II, 375.
Miſerere, maladie, I, 251.
Mithridate; confection, II, 298.
Mixtion, ce que c'eſt, II, 5.
céphalique, II, 302.
à fumer, II, 423.
anti-épileptique, II, 290.
Moëlle, II 329, 521.
Moineau, II, 528.
Mole; ſes eſpeces, I, 545.
Morelle, ou ſolanum, II, 333.
Morille, eſpece de champignon, II, 554.
Morpions, I, 478.
Mors du diable, plante, II, 72.
Morſure des animaux venimeux, I, 362.
enragés, I, 363.
Morue, II, 535, 538.
Mouches cantharides, II, 383.
Moule, ou moucle, II, 542.
Moulé, poiſſon, II, 539.
Mourfondamen, I, 15, 57.
Mouron, plante, II, 257.
Mouſſe marine, II, 190.
Mouſſerons, II, 553.
Mouſt; ſa vapeur, I, 205.
Moutarde, II, 382, 550.
Mouton, II, 517.
Mouvemens convulſifs, I, 172.
Moxa, duvet de la Chine, I, 96.
Mucilages, II, 253, 328.
Mucoſité hémorrhoïdale, I, 455.

Muge, ou mulet, poiſſon, II, 538.
Muguet, II, 296.
Mules, I, 464.
Muſc, II, 417.
Muſcade, II, 118, 545.
Muſcat, raiſin, II, 514.
Myrobolans, II, 205.
Myrrhe, II, 390.
Myrtille, II, 128.

N.

Narcotiques, II, 276.
Nard celtique, II, 81.
des Indes, II, 272.
Navet, II, 247, 501.
Nauſée, I, 238.
Néflier, II, 205, 512.
Négres avalent leur langue, I, 568.
Nénuphar, II, 282.
Néphréſie, I, 296.
Nerprun, II, 161.
Nez; ſes maladies, I, 404.
ſes remedes, II, 408.
Nicotiane, II, 441.
Nid d'hirondelle, II, 431.
Nigeil, poiſſon, II, 539.
Nitre, II, 214.
Nodus, tumeur des os, I, 471.
tumeur de la verge, I, 439.
Noiſetier, II, 511.
Noix, II, 82, 511.
de ben, II, 304.
de cyprès, II, 363.
de galle, II, 128.
muſcade, II, 118, 545.
Nombril tuméfié des enfans, I, 575.
Nouet hyſtérique, II, 411.
à mâcher, II, 423.
Noueure des enfans, I, 584.
Nourrices; leur examen, I, 551.
Noyaux de pêche, II, 47.
de pignon, II, 249.
Noyés; leur traitement, I, 204.
Nummulaire, II, 127.
Nutritum; onguent, II, 331.

O.

Obésité, I, 327.
Oblado, poiſſon, II, 539.
Obſtructions, I, 115.
Odontalgie, I, 417.
Œdeme, I, 348.
Œdeme des jambes, I, 109, 460.
Œil; ſes maladies, I, 393; *voyez* la table latine.
ſes remedes, II, 399.
éraillé, I, 394.
Œillet, II, 73, 272.
Œuf, II, 522.
Oie, oiſeau, II, 526.
Oignon, II, 416, 501.
Oliban, II, 396.
Olivier, II, 512.
Ombre, poiſſon, II, 532, 537.
Ombrino, poiſſon, II, 531.
Ongle d'élan, II, 297.
Onglet, I, 395.
Onguent; *voyez* la table latine.
Opération de la bubonocele, I, 435.
céſarienne, I, 524.
de la cataracte, I, 401.
Ophthalmie, I, 398.
Ophthalmiques, II, 399.
Opiate; *voyez* la table latine.
de Salomon, II, 182.
Opium, II, 284, 333.
Oranges douces & aigres, II, 66, 509.
Orcanette, II, 343.
Oreille d'homme, II, 145.
Oreilles; leurs maladies, I, 409.
leurs remedes, II, 414.
Oreillons, I, 388.
Orge, II, 36, 491.
perlé & mondé, II, 36.
Orgeat, II, 37.
Orgeolet des paupieres, I, 394.
Origan, II, 371.
Orobe, II, 494.
Oronges, champignons, II, 553.
Orpin, II, 469.
Orſin, II, 542.
Ortie (grande & petite), II, 127.
Ortolan, II, 527.
Orvale, II, 232.
Orviétan, II, 84.
Os; leurs maladies, I, 470.
Os de ſeche, II, 398.
Oſeille, II, 24, 496.
Oſtéocolle, II, 372.
Oumbrino, poiſſon, II, 531.
Ours; ſa chair, II, 519.
ſa graiſſe, II, 329.
Ourſin, II, 542.
Outarde, oiſeau, II, 525.
Oxycrat, II, 27.
Oxymel commun, II, 425.

Oxymel ſcillitique, II, 224.
Oye, II, 526.
Ozene, ulcere, I, 407.

P.

Pageou, poiſſon, II, 536.
Pain, II, 489.
à coucou, II, 25.
de pourceau, II, 343.
Pal, poiſſon, I, 532.
Palais; ſes maladies, I, 413.
percé, I, 416.
Pâles couleurs, I, 510.
Paliure, II, 213.
Palmier, II, 510.
Palpitation du cœur, I, 221.
Panacée, II, 106, 115.
Panais, II, 501.
Panaris, I, 462.
Panicaut, II, 92.
Panis, II, 492.
Paon, II, 523.
Paralyſie, I, 165.
ſuite de la colique, I, 274.
Paraphrénéſie, I, 170, 191.
Paraphimoſis, I, 438.
Pareira brava, II, 212.
Parfum; *voyez* ſuffitus.
Pariétaire, II, 212.
Parotides, I, 388.
Parties génitales; leurs maladies, I, 438, 536.
leurs remedes, II, 443.
Pas d'âne, II, 248.
Paſſe-rage, II, 474, 551.
Paſſeron, II, 528.
Paſſion hyſtérique, I, 503, 532.
iliaque, I, 251.
Paſtenaque, poiſſon, II, 533.
Paſteque, II, 500.
Paſtilles mercurielles, II, 477.
Pâte de guimauve, II, 254.
d'amande, II, 19.
Patiſſerie, II, 490.
Patience, II, 55.
Pavie, II, 507.
Paumoulo, II, 37.
Pavot blanc, II, 282.
rouge, II, 248.
Paupieres; leurs maladies, I, 393.
Peau; ſes maladies, I, 476, 589.
ſes taches, I, 479.
ſes remedes, II, 470.
Peau de poule, I, 482.
Pécher, II, 189, 507.
Pédiculaire, maladie, I, 478.
Pei argentin, poiſſon, II, 540.
eſpaſo, II, 531.
Peintade, II, 523.
Perche, II, 533.
Perdrix, II, 523.
Péripneumonie, I, 191.
fauſſe, I, 198.
Perſicaire, II, 102.
Perſil, II, 434, 552.
Perte de mémoire, I, 159.
de ſang, I, 521, 524.
Pervenche, II, 424.
Peſſe, arbre, II, 65.
Peſte, I, 33.
Petit chêne, II, 47.
houx, II, 92.
Petit-lait, II, 37; *voyez* ſerum lactis.
Petite centaurée, II, 47.
abſinthe, II, 188.
Petite vérole, I, 497.
des enfans, I, 557.
volante, I, 502.
Petoue, oiſeau, II, 529.
Petre, poiſſon, II, 540.
Pétrole, II, 442.
Petugo, oiſeau, II, 528.
Phimoſis, I, 438.
Phlegmon, I, 335.
Phlogoſe, I, 123; *voyez* la table latine.
Phlyctenes, I, 378, 438.
Phrénéſie, I, 169.
Phthiſie, I, 209.
Picholine, olive, II, 512.
Pie, oiſeau, II, 526.
Pied, ou ongle d'élan, II, 297.
Pied de chat, plante, II, 248.
de lion, plante, II, 136.
de poule, plante.
de veau, plante, II, 102.
Pierre d'azur, II, 273.
Pierre à cautere, II, 385.
à chaux, II, 468.
calaminaire, II, 375.
d'écreviſſe, II, 195.
divine, ou ophthalmique, II, 406.
hématite, II, 366.
médicamenteuſe, II, 406.
néphrétique, I, 299.
infernale, II, 386.
de porc, II, 83.
Pierres des reins & de la veſſie, I, 299.

Pierres dans les enfans, I, 576.
des paupieres, I, 394.
bilieuſes, I, 288.
de différentes parties, I, 135.
précieuſes, II, 274.
Pigeon; ſa chair, II, 524.
ſon ſang, II, 404.
ramier, II, 524.
Pignons, II, 554.
d'inde, II, 161.
Pilau des Turcs, II, 490.
Piloſelle, II, 357.
Pilules, *voyez* la table latine.
Piment, ou botrys, II, 175.
Pimprenelle, II, 35, 498.
Pin, II, 554.
Pinçon, oiſeau, II, 529.
Pintade, II, 523.
Piquette, II, 559.
Piqûre des animaux venimeux, I, 462.
à l'artere, I, 467.
au tendon, I, 467.
au nerf, I, 468.
Piſgurn, poiſſon, II, 537.
Piſſement de ſang, I, 305.
involontaire, I, 316.
purulent, I, 307.
Piſſenlit, II, 34.
Piſtache, II, 250, 512.
Pivert, oiſeau, II, 528.
Pivo, oiſeau, II, 528.
Pivoine, II, 294.
Plantain, II, 405.
Plaie, I, 371.
Pléthore, I, 55, 332.
Pleuréſie, I, 191.
fauſſe, I, 99, 429.
Plie, poiſſon, II, 539.
Plomb, II, 375.
Plongeon, oiſeau, II, 526.
Pluvier, II, 524.
Pneumatocele, I, 449.
Poil (le), maladie, I, 530, 533.
Point de côté, I, 104, 429.
Poiré, II, 565.
Poires, II, 507.
de terre, II, 503.
Poireau, plante, II, 501.
Poireau, tubercule, I, 361.
de la verge, I, 439.
Poirée, plante, II, 424, 496.
Pois de pluſieurs ſortes, II, 493.
Pois-chiche, II, 213, 493.
Poiſons, I, 137.
Poivre, II, 545.
d'eau, II, 102.
Poix, II, 353.
Pollution nocturne, I, 446.
Polype, poiſſon, II, 541.
Polype du nez, tumeur, I, 407.
du cœur ſuppoſé, I, 227.
de la matrice, I, 544.
Polypode, II, 158.
Polytric, II, 240.
Pomme, II, 506.
de renette, II, 26.
d'amour, II, 515.
de coloquinte, II, 162.
épineuſe, II, 333.
de pin, II, 554.
de terre, II, 503.
Pommade; *voyez* pomatum & unguentum.
Poncyre, fruit, II, 509.
Porc; ſa chair, II, 518.
ſa graiſſe, II, 329.
Porcelaine, éruption, I, 481.
Porreau, II, 501.
Potion; *voyez* hauſtus & potio.
Potiron, II, 500.
Poudre; *voyez* la table latine.
des Chartreux, II, 147.
de Santinelli, II, 197.
Poulain; ſa chair, II, 520.
Poulain, bubon, I, 81.
Poule; ſa chair, II, 522.
ſa graiſſe, II, 329.
d'inde, II, 523.
Poulet, II, 522.
Poulette d'eau, II, 525.
Pouliot, II, 305.
Pouls, ſon examen, I, 5.
Pourcelets, ou cloportes, II, 95.
Pourpier, II, 424, 497.
Pourpre rouge dans les fiévres, I, 27.
blanc, I, 27, 481.
Pourpré, poiſſon, II, 541.
Poutargue, II, 535, 538.
Poux, I, 478.
Pralines, II, 511.
Précipité blanc, II, 385.
rouge, II, 385.
jaune, II, 159.
Prêle, II, 126.
Priapiſme, I, 440.
Primevere, II, 296.
Prognoſtic des fiévres, I, 4.
Prunes, II, 506.
Pruneaux, II, 250.

Prurit, I, 482.
Ptyaliſme, I, 4, 416.
Puanteur de la bouche, I, 418.
de la ſueur, I, 477.
des pieds, I, 469, 477.
Pulmonaire, II, 248.
de chêne, II, 257.
Pulmonie, I, 209.
Purgatifs, II, 148.
Pus; ſa formation, I, 127.
épanché, I, 113.
Putridité des fiévres, I, 17.
des premieres voies, I, 233.
Pyrethre, II, 427.
Pyrole, II, 137.

Q.

Quarrelet, poiſſon, II, 539.
Queou blanc, oiſeau, II, 527.
rouge, oiſeau, II, 528.
Queue de cheval, ou prêle, II, 126.
Quinquina, II, 48.
Quinte de toux, I, 184, 565.
Quintefeuille, II, 46.
Quinteſſence d'abſinthe, II, 183.

R.

Rache des enfans, I, 589.
Racine ſucrée, II, 503.
vierge, II, 343.
Radis, II, 221, 503.
Rage, ou hydrophobie, I, 367.
des animaux, I, 363.
des chiens, I, 367.
Raie, poiſſon, II, 533.
Raifort, II, 221, 503.
(le grand), II, 64, 503.
Raiſin; ſes eſpeces, II, 513.
Raiſin ſec, II, 250.
Raiſiné, II, 550.
Raiponce, II, 503.
Rapontic, II, 203.
Raſcaſſo, poiſſon, II, 537.
Rate des animaux, aliment, II, 520.
Rauchau, poiſſon, II, 539.
Rave commune, II, 247, 501.
des Pariſiens, II, 503.
Régime, I, 11, 14.
des enfans, I, 528, 552.
Régliſſe, II, 247.
Régule, II, 75.
Rei de cajo, II, 527.
Reine des prés, II, 73.
Reineto, ou *grenouille*, II, 543.
Regles; *voyez* menſes.
Remede de M. Baville, II, 226.
de Goulard, II, 399.
de Mouret, II, 66.
du Prieur de Cabrieres, II, 30.
de Stephens, II, 225.
de Rotrou, II, 108.
Renard; ſa chair, II, 520.
Renouée, II, 126.
Rentrée des éruptions, I, 64.
Renverſement de la matrice, I, 543.
de la veſſie, I, 436.
Repercuſſifs, II, 360.
Réſine de gaïac, II, 76.
de jalap, II, 168.
de ſcammonée, II, 168.
Réſolutifs internes, II, 130.
externes, II, 336.
Rétention d'urine, I, 64, 311.
des regles, I, 511.
de l'arriere-faix, I, 526.
Rhagades des parties génitales, I, 440.
de l'anus, I, 458.
Rhubarbe, II, 158.
des Moines, II, 203.
Rhumatiſme, I, 98.
gouteux, I, 98.
des lombes, I, 99, 430.
Rhume du cerveau, I, 404.
de la poitrine, I, 70, 184.
des enfans, I, 565.
Ricin, II, 161.
Rigaou, oiſeau, II, 528.
Ris commun, II, 37, 470.
Ris ſardonien, maladie, I, 172, 413.
Rob, II, 550.
Rocamboles, II, 501, 550.
Rognon de coq, raiſin, II, 513.
Roitelet, oiſeau, II, 529.
Romarin, II, 370.
Ronce, II, 515.
Roquette, II, 65, 498.
Roſes pâles, II, 160.
de Provins, II, 203.
Roſeau, II, 212.
Roſſignol, II, 529.
Rotrou; ſon remede, II, 108.
Rouget, poiſſon, II, 536.
Rougeole, I, 494.
Rouſſeurs de la peau, I, 479.
Ru, ou *rob*, II, 550.
Rubefians, II, 378.

Rue, plante, II, 405.
Rupture, ou hernie, I, 433.

S.

Sabine, II, 232.
Sachet anti-apopleƈtique, II, 406.
ſtomachique, II, 437.
Safran ordinaire, II, 232, 553.
bâtard, ou cartame, II, 160.
des Indes, ou curcuma, II, 239.
Sagou, II, 37.
Saignée, I, 12.
ſes accidens, I, 467.
Saignement du nez, I, 405,
Salep, II, 117.
Salivation, I, 416.
Salſe-pareille, II, 72.
Salpêtre, II, 214.
Sang épuiſé, I, 61.
épanché, I, 113.
Sang de bouquetin, II, 267.
de dragon, II, 364.
de pigeon, II, 404.
Sanglier, II, 518.
Sangſue, II, 318.
Sanguine, pierre, II, 366.
Sanicle, II, 136.
Santal, II, 118.
Santoline, II, 189.
Saphirs, puſtules du viſage, I, 392.
Sapin, II, 65.
Sapinette, II, 66, 223.
Sapotille, I, 298.
Salſe-pareille, II, 72.
Sanglier, II, 518.
Sarcelle, oiſeau, II, 525.
Sarcocele, I, 360, 450.
Sarcocolle, II, 371.
Sarcome, I, 360.
de la bouche, I, 413.
des yeux, I, 395.
de l'anus, I, 360.
de la matrice, I, 544.
Sardine, II, 539.
Sargué, II, 539.
Sarriette, II, 370, 551.
Saſſafras, II, 74.
Sauciſſon, II, 518.
Sauge, II, 117.
Saumon, II, 530.
Saumoulo, II, 490.
Savon, II, 102.
Sautaire, II, 542.
Sauve-vie, herbe, II, 266.
Saxifrage, II, 222.
Scabieuſe ordinaire, II, 82.
ou mors du diable, II, 72.
Scammonée, II, 164.
Scarlatine, fiévre, I, 493.
Scargot, ou limaçon, II, 542.
Scaragoou, II, 543.
Sceau de Notre-Dame, plante, II, 343.
de Salomon, II, 442.
Sciatique, I, 465.
Scille, II, 222.
Scolopendre, II, 239.
Scorbut, I, 76.
des enfans, I, 563.
Scordium, II, 389.
Scorpion; ſa piquûre, I, 365.
ſon huile, II, 441.
de mer, II, 537.
Scorſonère, II, 80, 502.
Scrophulaire, II, 345.
Scrotum; ſes maladies, I, 447.
Scubac, II, 234.
Sebeſtes, II, 250.
Séche; ſa chair, II, 541.
Son os, II, 398.
Segle, II, 345, 491.
Sels; *voyez* la table latine.
Sel commun, II, 547.
d'Angleterre, II, 413.
de Carlsbad, II, 165.
d'Ebſon, II, 165.
d'Égra, II, 165.
d'Eſter, II, 165.
de la Garraie, II, 96.
de Glauber, II, 39.
de mars de Riviere, II, 129.
polychreſte, II, 168.
purgatif amer, II, 165.
de la Rochelle, ou de Seignette, II, 168.
de Sedlitz, ou de Bohême, II, 165.
de Wisbad, II, 165.
Semence retenue, I, 449.
Semence contre vers, II, 189.
Semences froides, II, 14.
Semoule, II, 490.
Seneçon, II, 324.
Sené, II, 159.
Seouclé, II, 540.
Serin, oiſeau, II, 529.
Serpent, II, 57.
Serpentaire de Virginie, II, 46.
Serpolet, II, 370.

Serſiſi d'Eſpagne, II, 503.
des pauvres, II, 503.
Sifflement d'oreille, I, 412.
Signes de naiſſance, I, 360, 479, 593.
Silure, poiſſon, II, 531.
Simarouba, II, 205.
Soif fébrile, I, 4, 419.
Soldanelle, II, 160.
Sole, II, 535.
Solitaire, ver, I, 283.
Soleil (coup de), I, 384.
Sommeil léthargique, I, 152.
Somniferes, II, 276.
Son, II, 461.
Sorbe, II, 512.
Sorgo, ou bled barbu, II, 492.
Souchet, II, 116.
Souci, II, 232.
Soude, II, 103.
Soufre, II, 475.
Sparalon, poiſſon, II, 536.
Spaſme, I, 172.
cynique, I, 172, 413.
Sperniole, II, 330.
Sphacele interne, I, 132.
Spode, II, 196.
Squinancie, I, 423.
Squirre interne, I, 115.
externe, I, 350.
des mammelles, I, 534.
de la matrice, I, 542.
Stagnation de ſang, I, 113.
de pus, I, 113.
Staphylome, I, 399.
Starde, oiſeau, II, 525.
Stechas arabique, II, 305.
Stérilité des femmes, I, 518.
Sternutatoires, II, 408.
Stomachiques, II, 168.
Stoughton; ſon élixir, II, 183.
Storax calamite, II, 267.
liquide, II, 352.
Strangurie, I, 309.
Sublimé doux, II, 105.
corroſif, II, 385.
Suc des plantes, II, 4.
antiſcorbutique, II, 61.
apéritif, II, 88.
aſtringent, II, 123.
ophthalmique, II, 403.
purgatif, II, 153.
Succin, II, 396.
Succiſe, plante, II, 72.
Sucre, II, 251, 545.
Sucre candi, II, 253.
d'orge, II, 253.
de lait, II, 253.
roſat, II, 463.
de ſaturne, II, 335.
vermifuge, II, 190.
Sudorifiques, II, 68.
Suette, I, 39.
Suffocation, I, 204.
des enfans, I, 504.
hyſtérique, I, 567.
Sumach, II, 127.
Superfétation, I, 519.
Superpurgation, I, 255.
Supi, poiſſon, II, 541.
Supions, II, 541.
Suppoſitoire; *voyez* la table latine.
Suppreſſion des égoûts habituels, I, 64.
des évacuations, *ibidem.*
des hémorrhoïdes, I, 454.
des lochies, I, 527.
des menſtrues, I, 511.
d'urine, I, 311, 576.
Suppuratifs, II, 349.
Suppuration interne, I, 127.
externe, I, 335.
Sureau, II, 223.
Surdité, I, 4, 410.
Surmulet, poiſſon, II, 538.
Suvereou, poiſſon, II, 536.
Suye, II, 296.
Syncope, I, 226.
cardiaque, I, 189.
Syrop; *voyez* la table latine.
d'armoiſe, II, 234.
d'épine vinette, II, 30.
de Glauber, II, 146.
de guimauve, II, 252.
de longue vie, II, 241.
de mûres, II, 425.
de nénuphar, II, 284.
de nerprun, II, 166.
d'œillet, II, 274.
de pied de chat, II, 253.

T.

Tabac, II, 441.
Tablettes; *voyez* la table latine.
alimenteuſes, II, 115.
Tabouret, herbe, II, 127.
Tacamaque, gomme, II, 397.
Taches de la peau, I, 479.
des yeux, I, 401.

Tamarin

Tamarin, II, 161.
Tamaris, II, 223.
Tanéſie, II, 189.
Tante, poiſſon, II, 541.
Tarantiſme, I, 366.
Tarin, oiſeau, II, 529.
Tartre, II, 223.
Tartre émétique, II, 146.
Tartre martial, II, 97.
Taureau; ſa chair, II, 517.
Tauteno, poiſſon, II, 541.
Teigne des enfans, I, 589.
Teinture; *voyez* la table latine.
anodyne, II, 285.
Tempérans, II, 31.
Tenche, poiſſon, II, 534.
Teneſme, I, 264.
Térébenthine commune, II, 346.
de Chio, II, 213.
Terre des couteliers, I, 447, II, 448.
foliée de tartre, II, 97.
du Japon, II, 205.
de Lemnos, II, 366.
Terreur panique des hyſtériques, I, 504.
des enfans, I, 578.
Teſticules; leurs maladies, I, 447.
Tête; ſes maladies internes; I, 142.
externes, I, 381.
ſes plaies, I, 372.
ſes remedes, II, 130.
Thé de la Chine, II, 556.
de l'Europe, II, 56.
du Mexique, II, 175.
Thériaque, II, 84.
des Allemands, II, 177.
des pauvres, II, 469.
Thim, II, 371.
Thon, poiſſon, II, 530.
Thymelée, II, 161, 382.
Tillau; ſes fleurs; II, 295.
Tintement d'oreille, I, 412.
Tiſane; *voyez* la table latine.
de Callac; II, 59.
de Vinache, II, 59.
royale, II, 151.
Tithymale, II, 158, 161.
Tonnerre; ſa brûlure, I, 376.
Toniques, II, 109.
Topinambours, II, 505.
Tormentille, II, 203.
Torpille; ſa chair, II, 533.
Torticolis, I, 99.
Tortue, II, 543.
Tourdre, oiſeau, II, 527.
Tourdre, poiſſon, II, 535.
Tourterelle, II, 524.
Toute-bonne, plante, II, 232.
Toux, I, 184.
des enfans, I, 565.
Trainaſſe, herbe, II, 126.
Tranchée des accouchées, I, 525.
des enfans, I, 569.
Tranſpiration arrêtée, I, 64.
Treffle aigre, II, 25.
hépatique, II, 36.
Tremblement, I, 5, 154.
du cœur, I, 221.
Treſſaillemens des tendons, I, 5.
Trochiſques; *voyez* la table latine.
Trombus par la ſaignée, I, 467.
Truffes, II, 554.
Trujo, poiſſon, II, 538.
Truite, II, 532.
Tumeur; *voyez* la table latine.
blanche des articulations, I, 461.
froide, I, 89.
Turbith, II, 159.
minéral, II, 106.
Turbot, II, 532.
Turcot, II, 518.
Turquette, II, 212.
Tuſſilage, II, 248.
Tuthie, II, 406.
Tympanite, I, 278.

V.

VACHE; ſa chair, II, 517.
ſon lait, II, 18.
Vagin; ſa chûte, I, 543.
Valériane des jardins, II, 284.
ſauvage, *ibid.*
Vanneau, II, 524.
Vanille, II, 118.
Vapeurs du vin, du charbon, &c. I, 204.
Vapeur fortifiante, II, 369.
contre la ſurdité, II, 416.
Vapeurs hyſtériques, I, 503.
hypochondriaques, I, 103.
Varices, I, 354.
Varicocele, I, 449.
Veau; ſa chair, II, 517.
Velar, II, 266.
Venin, I, 137.
de la vipere, I, 363.
Ventouſes, II, 319.
Ventre; ſes maladies, I, 232, 432.
tuméfié des enfans, I, 574.

Vents des premieres voies, I, 278.
de la matrice, I, 547.
Verd de gris, II, 376.
Verdon, II, 529.
Vergadelle, poiſſon, II, 537.
Verge dorée, II, 93.
Verjus, II, 27, 548.
Vermicelli, II, 490.
Vermifuges, II, 183.
Vermillon, II, 107.
Vérole, I, 81.
des enfans, I, 562.
(la petite), I, 497, 557.
volante, I, 502.
Véronique, II, 56.
Vers de terre, II, 334.
des oreilles, I, 409.
ou lombrils, I, 282.
des enfans, I, 572.
de différentes parties, I, 134.
Ver ſolitaire, I, 282.
Verre d'antimoine, II, 148.
ciré, II, 207.
Verrues de la peau, I, 361.
de l'anus, I, 456.
des parties génitales, I, 439.
Verd de gris, II, 375.
Verge dorée, II, 93.
Verjus, II, 27, 548.
Verrée; *voyez Hauſtus*; table latine.
Vertige, I, 142.
Verveine, II, 397.
Véſicatoires, II, 378.
Veſce, II, 494.
Veſſie renverſée, I, 436.
Vif argent, II, 476.
Vigne blanche, II, 93.
Vins naturels, II, 272.
médicinaux; *voyez* la table latine.
Vin brûlé, II, 263.
Vin cuit, II, 563.
Vin d'Albe, II, 561.
d'Alicante, II, 561.
d'Anjou, II, 562.
d'Aubagne, II, 563.
de Barbantane, II, 563.
de Beaune, II, 562.
de Bourgogne, II, 562.
des Canaries, II, 561.
de Canes, II, 563.
de Candie, II, 560.
de Canteperdrix, II, 563.
de caſſis, II, 563.
de Champagne, II, 562.
Vin dit chiarello piquanté, II, 561.
de Chypre, II, 560.
de la Ciotat, II, 563.
de Condrieux, II, 562.
de Cote rôtie, II, 562.
de Graux, II, 562.
de Cuers, II, 563.
de Florence, II, 561.
de Frontignan, II, 562.
de Gemenos, II, 563.
de Grave, II, 562.
de l'Hermitage, II, 563.
dit lacryma de Galliti, II, 561.
de Lunel, II, 562.
de Madere, II, 561.
de Malaga, II, 561.
de Marciminien, II, 561.
de la Margue, II, 563.
de Marignane, II, 563.
de Metelin, II, 560.
de Monté Fiaſconé, II, 561.
de la Moſelle, II, 562.
muſcat, II, 560.
d'Orleans, II, 562.
de Paris, II, 562.
de Pérouſe, II, 561.
de Poitou, II, 562.
de Pontac, II, 562.
du Rhin, II, 562.
de Ries, II, 563.
de Rota, II, 561.
de Roquevaire, II, 563.
de S. Laurent, II, 563.
de Schiras, II, 560.
de Scio, II, 560.
de Stancou, II, 560.
de Tavels, II, 562.
de teinte, II, 561.
de Tokai, II, 560.
de Xeres, II, 561.
Vinaigre, II, 548.
de Saturne, II, 398.
des quatre voleurs, II, 412.
Vipere; ſa morſure, I, 363.
ſes propriétés, II, 57.
Viſage; ſes maladies, I, 391.
couperoſé, I, 391.
Vitriol, II, 366, 406.
Vive, poiſſon, II, 538.
Ulcere; *voyez* la table latine.
Vomiſſement, I, 338; *voyez* la table lat.
Vomitifs, I, 13, II, 140.
Urine; ſes propriétés, II, 346.
ſanglante, I, 305.

Urines ſupprimées, I, 64, 311.
Vuidanges, I, 527.
abondantes, I, 528.
retenues, I, 527.
Vulnéraires internes, II, 130.
externes, II, 354.
pour la poitrine, II, 254.
de Suiſſe, II, 137.

Y.

Yeble, II, 345.

Yeux; leurs maladies, I, 393.
leur brûlure, I, 377.
leurs taches, I, 401.
leurs remedes, II, 399.
Yeux d'écreviſſes, II, 195.
Yvoire, II, 75.
brûlé, II, 196.
Yvreſſe, I, 153.

Z.

Zédoaire, II, 81.

Fin de la Table Françoiſe.

EXTRAIT des Regiſtres de l'Académie Royale des Sciences. Du 14 *Juin* 1769.

Messieurs Bourdelin & Malouin, qui avoient été nommés pour examiner l'*Ouvrage Latin de Médecine Pratique* de M. Lieutaud, à laquelle l'Auteur a ajoûté un *Traité des Aliments*, en ayant fait leur rapport, l'Académie a jugé cet Ouvrage digne d'être imprimé ſous ſon Privilege, en foi de quoi j'ai ſigné le préſent Certificat. A Paris, le 14 Juin 1769.

Signé, GRANDJEAN DE FOUCHY, Secrétaire perpétuel de l'Académie Royale des Sciences.

PRIVILEGE DU ROI.

Louis, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenants Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Nos bien amés les Membres de l'Academie Royale des Sciences de notre bonne ville de Paris, nous ont fait expoſer qu'ils auroient beſoin de nos Lettres de Privilege pour l'impreſſion de leurs Ouvrages : A ces causes, voulant favorablement traiter les Expoſants, Nous leur avons permis & permettons par ces Préſentes de faire imprimer par tel Imprimeur qu'ils voudront choiſir, toutes les Recherches ou Obſervations journalieres, ou Relations annuelles de tout ce qui aura été fait dans les Aſſemblées de ladite Académie Royale des Sciences, les Ouvrages, Mémoires ou Traités de chacun des Particuliers qui la compoſent, & généralement tout ce que ladite Académie voudra faire paroître, après avoir fait examiner leſdits Ouvrages, & jugé qu'ils ſont dignes de l'impreſſion, en tel volume, marge, caracteres, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon leur ſemblera, & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de *vingt années* conſécutives, à compter du jour de la date des Préſentes, ſans toutefois qu'à l'occaſion des Ouvrages

ci-deſſus ſpécifiés, il en puiſſe être imprimé d'autres qui ne ſoient pas de ladite Académie : Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire de réimpreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi à tous Libraires & Imprimeurs d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, & débiter leſdits Ouvrages, en tout ou en partie, & d'en faire aucunes traductions ou extraits, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit deſdits Expoſants, ou de ceux qui auront droit d'eux, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenants, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers auxdits Expoſants, ou à celui qui aura droit d'eux, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion deſdits Ouvrages ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres, conformément aux Réglements de la Librairie; qu'avant de les expoſer en vente, les Manuſcrits ou Imprimés qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Ouvrages, ſeront remis ès mains de notre très cher & féal Chevalier le ſieur D'AGUESSEAU, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un en celle de notredit très cher & féal Chevalier le ſieur D'AGUESSEAU, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Préſentes : du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir leſdits Expoſants & leurs ayant cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Ouvrages, ſoit tenue pour duement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conſeillers Secrétaires, foi ſoit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires : CAR tel eſt notre plaiſir. DONNÉ à Paris, le onzieme jour du mois d'Août, l'an de grace mil ſept cent cinquante, & de notre Regne le trente-neuvieme. Par le Roi en ſon Conſeil. MOL.

Regiſtré ſur le Regiſtre XII de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N. 430, fol. 409, conformément au Réglement de 1723, qui fait défenſes, article 4, à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre huit exemplaires de chacun, preſcrits par l'article 108 du même Réglement. A Paris, le 5 Juin 1750.

Signé, LE GRAS, *Syndic.*

È TYPOGRAPHIA FR. AMBR. DIDOT.